SC.19.Pl.6.

Ars 1440

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS THEOLOGICI

QUOS

In Scholis Sorbonicis dictavit

D. CAROLUS WITASSE

Doctor Sacræ Facultatis Pariſienſis, Socius Sorbonicus, Regiuſque Theologiæ Profeſſor

IN SEPTEM TOMOS DISTRIBUTI.

TOMUS QUINTUS.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

VENETIIS, MDCCXXXVIII.

APUD JOANNEM BAPTISTAM RECURTI.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

TRACTATUS
DE
PŒNITENTIA.
PRÆFATIO.

IN more quondam fuit Eccleſiæ, ut qui ad Chriſtum accederent, iis uno eodemque ſimul tempore traderentur Baptiſmi, Confirmationis & Euchariſtiæ ſacramenta.

Neque profecto etiamnum aliud optet, quam ut, ſi longe diſtantibus intervallis, continuata ſaltem nec interrupta ſerie tribuantur.

Nempe is eſt rerum ipſarum ordo naturalis, ut qui renaſcuntur, ii primo vita, dein neceſſario robore, denique ſolido ad æternam vitam cibo donentur.

Atque utinam divino muneri nunquam deeſſe, & Dæmoni ſemper reſiſtere vellemus! alia ſane ſacramenta ſingulis per ſe opus non forent ad beatitudinem conſequendam.

Sed enim, ut ſcite Tertullianus notat *lib. de Pœnit. cap.*7. " Pervicaciſſimus hoſtis ille nunquam malitiæ ſuæ otium fa„ cit: atquin tunc maxime ſævit, cum hominem plene ſen„ tit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extingui„ tur .... Itaque obſervat, oppugnat, obſidet: ....

 „ non

„ non ſcandalis , non tentationibus deficit . . . . . . Hæc igi-
„ tur venena ejus providens Deus , ait idem , ... ali-
„ quid adhuc permiſit patere . Collocavit in veſtibulo Pœ-
„ nitentiam “ ut , ſi forte inter varias hujus vitæ procellas, navim noſtram ad objectos ſcopulos alliſerimus, hanc alteram habeamus poſt naufragium tabulam, qua nihilominus ad optatum felicitatis portum perveniamus.

Hoc igitur illud eſt ſacramentum de quo agere inſtituimus. Quo autem totum hoc argumentum , quod pro ſua amplitudine immenſum eſt, certis limitibus concludatur, illud in varias Quæſtiones diſtribuemus.

I. Erit de exiſtentia ſacramenti Pœnitentiæ.
II. De illius eſſentia, id eſt materia & forma generatim.
III. De Contritione.
IV. De Confeſſione.
V. De Satisfactione.
VI. De Abſolutione.
VII. De ejus Miniſtro.
VIII. De Subjecto.

IN-

INDEX.

PRæfatio. pag. III
QUÆSTIO I. De exiſtentia ſacramenti Pœnitentiæ. 1
ART.I. De nomine Pœnitentiæ. ibid.
ART.II. Quodnam ſit diſcrimen inter Pœnitentiæ virtutem & ſacramentum. 5
ART.III. An ſit aliqua remittendorum poſt Baptiſma peccatorum poteſtas Eccleſiæ conceſſa. 6
ART.IV. An hæc remittendorum peccatorum auctoritas ad graviora crimina extendatur. 16
ART.V. An quoddam ſit peccatum irremiſſibile. 19
ART.VI. An Pœnitentia ſit veri nominis Sacramentum. 32
ART.VII. Quo tempore inſtitutum ſit Pœnitentiæ ſacramentum. 39
QUÆST.II. De Eſſentia Sacramenti generatim. 40
ART.I. De Eſſentia Sacramenti generatim. ibid.
ART.II. De Materia ſacramenti Pœnitentiæ, variiſque circa eam opinionibus. 41
ART.III. De Forma ſacramenti Pœnitentiæ. 48
QUÆST.III. De Contritione. 49
ART.I. De natura Contritionis. 51
ART.II. De Contritionis proprietatibus. 65
ART.III. De partitione Contritionis generatim. 76
ART. IV. De variis Theologorum opinionibus circa Contritionis perfectæ aut imperfectæ neceſſitatem ac ſufficientiam. 84
ART.V. De Contritione perfecta. 87
SECT.I. De iis qui gratiam ſanctificantem peccatorumque remiſſionem Sacramenti ſuſceptioni præviam eſſe oportere cenſuerunt. ibid.
Ante concilium Tridentinum. ibid.
Tempore concilii Tridentini. 97
Poſt concilium Tridentinum. ibid.
SECT.II. An ferri poſſit etiamnum hæc ſententia. 100
SECT.III. An hæc ſententia vera ſit & tenenda. 101
ART.VI. De Contritione imperfecta ſeu Attritione. 106
SECT.I. An ad veniam peccatorum Sacramento conſequendam ſatis ſit dolor ex peccati turpitudinis intuitu profectus. 107
SECT.II. De Attritione ex ſola gehennæ metu concepta. 109
Quotuplex ſit timor. ibid.
An timor pœnæ ſit bonus. 111
An timor gehennæ ſit ſupernaturalis. 115
An ſententia quæ ad Pœnitentiæ ſacramentum ſufficere timorem gehennæ decernit ad fidem pertineat aut accedat. 117
An hæc ſententia quæ ad Pœnitentiæ ſacramentum timorem ſervilem ſatis eſſe decernit vera ac tenenda ſit. 125

Ar-

Argumentum primum ex converſione cordis. 126
Argumentum ſecundum ex odio & deteſtatione peccati. 128
Argumentum tertium ex auctoritate Theologorum veterum. 132
Argumentum quartum ex variis hujus ſententiæ incommodis. 134
Argumentum quintum ex ipſa hujus opinionis incertitudine. 135
Objectiones. 137
An ſententia quæ Attritionis ſervilis ſufficientiam aſſerit, antiqua ſit. 152
SECT. III. *De amoris Dei ad veram & legitimam attritionem neceſſitate.* 158
An amor Dei requiratur ad ſacramentum Pœnitentiæ. 159
Argumentum primum ex Scripturis. ibid.
Argumentum ſecundum ex Patribus. 161
Argumentum tertium ex veteribus Theologis ante concil. Trid. 165
Argumentum quartum ex ſynodo Tridentina. 175
Argumentum quintum ex Theologis a concilio Tridentino ad annum aſque 1600. 182
Argumentum ſextum ex Theologis ab anno 1600. ad hanc uſque ætatem. 191
Argumentum ſeptimum e ratione. 198
An amor Dei ad ſacramentum Pœnitentiæ neceſſarius debeat eſſe prævalidus & cordi dominari. 200
Qualis eſſe debeat ejuſmodi amor prævalidus. 202
An amor æternæ beatitudinis ſufficiat ad veniam peccatorum in Sacramento conſequendam. ibid.
An is amor Dei ſuper omnia, qui neceſſarius eſſe ſtatuitur, ſit amor charitatis. 206
QUÆST. IV. *De Confeſſione.* 218
ART. I. *De erroribus circa Confeſſionem.* ibid.
ART. II. *De inſtitutione Confeſſionis ejuſque ex Scripturis neceſſitate.* 220
ART. III. *De Confeſſionis uſu & neceſſitate ex Eccleſiæ traditione & Patrum teſtimoniis per tredecim priora ſæcula.* 222
ART. IV. *De multiplici Confeſſionum genere.* 294
ART. V. *De variis Confeſſionis proprietatibus.* 300
De neceſſitate Confeſſionis. ibid.
De veritate Confeſſionis. 301
De integritate Confeſſionis. ibid.
De ſigillo Confeſſionis. 307
QUÆST. V. *De Satisfactione in univerſum.* 309
ART. I. *De Satisfactione in univerſum.* 311
ART. II. *De Satisfactione privata.* 322
ART. III. *De Pœnitentia publica.* 323
SECT. I. *De Pœnitentia publica generatim.* 324
De varia Eccleſiæ diſciplina circa Pœnitentiam publicam. ibid.
De quatuor Pœnitentiæ gradibus. 328

SE-

SECT.II. *De peccatis Pœnitentiæ publicæ obnoxiis.* 333
An omnia peccata lethalia Pœnitentiæ publicæ ſubjicerentur. ibid.
An peccata occulta Pœnitentiæ publicæ ſubjicerentur. 351
SECT.III. *De Subjecto Pœnitentiæ publicæ.* 364
An Clerici quondam Pœnitentiæ publicæ addicerentur. ibid.
An hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus imponeretur Pœnitentia publica. 371
SECT.IV. *De proprietatibus Pœnitentiæ publicæ.* 373
An iteraretur Pœnitentia publica. ibid.
An Pœnitentia publica etiamnum imponi poſſit, aut debeat. 381
QUÆST.VI. *De Abſolutione.* 391
ART.I. *In quo poſita ſit Abſolutio.* ibid.
ART.II. *De iis quibus olim concederetur, & nunc concedenda ſit Abſolutio.* 400.
An qui Pœnitentiam ſani non petierant, iis in exitu Abſolutio concederetur. ibid.
An ſint quædam peccata propter quæ olim Abſolutionem Eccleſia denegaverit. 404
Quibuſnam Abſolutio jam concedenda ſit. 416
De iis qui ſani ad Pœnitentiæ ſacramentum accedunt. ibid.
De moribundis quibus eſt adminiſtrandum Pœnitentiæ ſacramentum. 418
ART. III. *Quandonam concederetur olim Abſolutio, & hodie concedenda ſit.* 421
QUÆST.VII. *de Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ.* 431
ART.I. *De ſacramenti Pœnitentiæ Miniſtro generatim.* ibid.
ART.II. *De Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ in annua confeſſione.* 434
QUÆST.VIII. *De ſubjecto ſacramenti Pœnitentiæ.* 441
ART.I. *De ſubjecto ſacramenti generatim.* ibid.
ART.II. *De Subjecto ſacramenti Pœnitentiæ ſpeciatim.* ibid.

LE-

LECTORI MONITUM,

Quod editioni Pariſienſi præfixum eſt.

PRodeunt in lucem opera Theologica clariſſimi viri Caroli Witaſſe dictata in Scholis Sorbonicis, abundantis, & exquiſitæ doctrinæ referta, omnium celebrata ſermonibus, ardentibuſque votis expetita.

A Tractatu de Pœnitentia factum ideo initium eſt, quod hiſce temporibus viſus eſt maxime conveniens, quibus Sacra Facultas Pariſienſis cenſura notavit errores unius e ſuis adverſus contritionem præſertim amoremque divinum vulgatos; eoque magis quod eruditus diſertuſque Theologiæ hujus ſcriptor in aliquam cenſuræ comparandæ partem venerat, paulo antequam e vivis excederet.

Præfatio hic non eſt adhibita, quia initio totius operis, hoc eſt Tractatui de Attributis Divinis erit congruens magis.

TRA-

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine Pœnitentiæ.

OMNEM quæ de re aliqua inſtituitur diſſertationem, a nomine ipſo ordiri oportere ſapientes monent. Illud autem hic eo magis neceſſarium eſt, quod hujus temporis hæretici vel in ipſis vocibus colorem erroribus ſuis quærant. Cum enim quatuor hactenus occurrere viſa ſint in iis quos ſcelerum vere pœnitet: primum quod agnoſcant factum; ſecundum quod emendent mores; tertium quod doleant de admiſſo; quartum tandem quod pœnas a ſe ipſi ſumant ad ſatisfaciendum Deo: hæcque duo poſtrema, & imprimis ultimum, hæretici noſtri exhorreant, Pœnitentiæ vim omnem collocarunt in propoſito melioris vitæ.

Atque adeo duo contendunt:

Primum eſt *Pœnitentiæ* vocabulo, *reſipiſcentiæ* nomen longe anteponi debere, atque hoc in illius locum in vertendis Scripturis ſubſtitui omnino oportuiſſe. Ita Lutherus *in reſol.*, Beza *ad cap. 3. Matth.* &c. quibus præiverat Eraſmus paſſim, & Laurentius Valla *in Annot. ad cap. 7. 1. Cor.*

Alterum eſt, vocem ipſam *Pœnitentiæ* nihil amari aut doloris aut pœnæ per ſe ſonare, ſed tantum conſilii mutationem. Idem Lutherus in quadam epiſtola ad Vicarium ſui Ordinis ſcripta anno 1518. ait ſe tandem didiciſſe, quod *Pœnitentiæ* nomen non ſignificaret odium veteris vitæ aut dolorem ex ea conceptum, ſed duntaxat amorem juſtitiæ quo nihil dulcius eſſe queat.

Sic autem ſentire ſe prædicant, quod ea ſit origo, is uſus iſtorum nominum apud bonos auctores.

Quocirca videndum 1. qua voce ad Pœnitentiam exprimendam utantur ſcriptores ſacri ac Novi potiſſimum Teſtamenti; 2. quænam ſit illius *Pœnitentiæ* nominis origo; 3. quis utriuſque vocabuli uſus apud prophanos auctores; 4. quæ eorum ſignificatio fuerit in Eccleſia.

Itaque Scripturæ ad Pœnitentiam deſignandam utuntur voce *μετανοίς*, quam vulgatus interpres ubique reddit nomine *Pœnitentiæ*.

Μετάνοια porro, ſi ad verbi vim præciſe attendas, nihil aliud eſt, quam *animi mutatio*: unde Tertullianus *lib.* 2. *adverſ. Marcion c.* 24. „ „ In Græco ſono, inquit, *Pœnitentiæ* nomen non ex delicti confeſſio„ ne, ſed ex animi demutatione compoſitum eſt. „ Quod quidem grammatice expendens Lactantius *lib.* 6. *Inſt. c.* 24. „ Is, quem facti ſui „ pœnitet, inquit, errorem ſuum priſtinum intelligit: ideoque Græci „ melius & ſignificantius *μετάνοιαν* dicunt, quam nos poſſumus *Reſi„ piſcentiam* dicere; reſipiſcit enim ac mentem ſuam quaſi ab inſania „ recipit, quem errati piget, caſtigatque ſeipſum dementiæ, & confir„ mat animum ſuum ad melius vivendum: tum illud ipſum maxime „ cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur.

Pœnitentiæ autem vocabulum, quod in Scripturis *μετανοίᾳ* reſpondet, alii ducunt ex *pone* & *tenere*: quod nempe quem peccati pœnitet, is priorem ſententiam mutet & poſterius conſilium teneat. In ea opinione ſunt nonnulli recentiores, Pierius ſcilicet *ad Eclogam* 2. *Virgilii*, & Eraſmus *in cap.* 3. *Matth.* nec non & *ad cap.* 7. 1. *Cor.* in quam, utpote ſibi opportunam, ſtatim conceſſere Lutherus *Sermone de Pœnitentia capite 6. & 7.* & Calvinus *Inſtitutionis lib. 3. c. 3.* Sed illud inſulſum eſſe nemo non videt; Pœnitentia enim diphthongum habet, quam a ſuperioribus vocabulis haurire non poſſit.

Alii derivant ex *pœna*, quaſi *pœnitere* idem ſit quod *pœnam tenere*. Auctor libri *de vera, & falſa Pœnitentia* apud Sanctum Auguſtinum *cap.* 29. “ *Pœnitere*, inquit, eſt *pœnam tenere*, ut ſemper puniat in „ ſe ulciſcendo quod admiſit peccando. “ Id amplexi ſunt Magiſter Sententiarum *lib.* 4. *diſtinct.* 14. & Gratianus *de Pœnitentia diſt.* 3. *cap. Pœnitentia*, quos exinde pro more ſuo vulgo ſecuti ſunt Theologi, & Juris Canonici Interpretes, quibus adde Sanctum Iſidorum Hiſpalenſem, qui *lib.* 2. *de Officiis cap.* 16, „ *Pœnitentia*, in-

„ inquit, nomen ſumpſit a *pœna*, qua anima cruciatur & caro mor-
„ tificatur. “

Alii denique *Pœnitentiæ* nomen repetunt a *punitione*: ita ut *Pœnitentia* dicatur quaſi *punitentia*. S. Iſidorus idem *in exhortatione ad Pœnitentiam*, “ A punitione, inquit, *Pœnitentia* nomen accepit quaſi *punitentia*,
„ dum ipſe homo punit pœnitendo in ſe quod male admiſit. “ *Lib.*
„ autem *6. Orig. cap. ult. Pœnitentia*, inquit, appellatur quaſi *puniten-*
„ *tia*, eo quod ipſe homo puniat pœnitendo in ſe quod male admi-
„ ſit. “ Eo reſpicit S. Auguſt. *Epiſt.* 153. *ad Macedonium n. 6.* aiens:
“ Nihil aliud agit, quem vere pœnitet, niſi ut id quod male fecerit impu-
„ nitum eſſe non ſinat. “

Atque hæc de vocum iſtarum origine.

Jam quod pertinet ad uſum, certum eſt, ut varia ſit apud auctores prophanos earum ſignificatio, illas tamen ſenſu doloris ac pœnæ uſurpari.

Μετανοεῖν enim Plutarcho *de adulatione*, *& in Periclis vita*, Luciano *de ſaltatione*, non ſolum eſt *reſipiſcere*, ſed & de admiſſo dolere, imo & aliquando ſonat *pœnas ſcelerum exigere*: hincque apud eos fuit Dea Μετάνοια nomine, de qua ſic Auſonius in celebri diſticho:

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas:
Nempe ut pœniteat, ſic Metanæa vocor.

Eodem modo Pœnitentia ſæpe accipitur. Cicero *Tuſc.* 4. “ Alexan-
„ drum regem videmus, qui cum interemiſſet Clytum familiarem ſu-
„ um, vix a ſe manus abſtinuit: tanta vis fuit pœnitendi! “ Ovidius *lib.* 1. *de Ponto*, *elegia* 1.

Pœnitet; oh! ſi quid miſerorum creditur ulli;
Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo.

Verum iſthæc omnia mittamus: neque enim hic de vocum iſtarum origine diſputamus, ſed de uſu, penes quem, ut ait Horatius *in Poetica* “ jus eſt & norma loquendi: “ imo neque curamus quemnam uſum illæ habeant apud exoticos, qui nihil ad nos attinent, ſed quærimus quamnam in Eccleſia ſignificationem obtineant. Hæc enim nobis unica regula eſt loquendi ac ſentiendi. Quis autem ignorat hanc eſſe vulgarem earum tum in Scripturis, tum in Patribus notionem, ut non ſolum animi mutationem & emendationem vitæ, ſed dolorem & externa quælibet doloris ſigna arguant?

Ea certe vis eſt verbi μετανοεῖν.

Sap. 5. 3. de impiis, *Dicent intra ſe Pœnitentiam agentes & præ anguſtia ſpiritus gementes.*

Matth.3.2. Joannes Baptiſta Judæos alloquens *Pœnitentiam agite*, inquit, & v.8. *Facite ergo fructum dignum Pœnitentiæ.*

Cap. 11. 21. *Si in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere Pœnitentiam egiſſent.*

Cap. 12.41 *Viri Ninivitæ ... Pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ* : at Jonas ipſe explicans cap.3. Prophetiæ ſuæ v.5. in quo ſita fuerit iſta Pœnitentia, nominat *jejunia*, *ſaccum*, *& cinerem*.

Act.26.v.20. *Ut Pœnitentiam agerent. . . . . digna Pœnitentia opera facientes.*

2.Cor.7.9. *Contriſtati eſtis ad Pœnitentiam.*

Atque in eundem ſenſum accipitur a Patribus, quos enumerare longum & ſupervacaneum foret.

Unus inſtar omnium nobis erit Hermas apud quem Angelus duris, quos tunc Pœnitentes obibant, laboribus præfectus, vocatur Angelus *μετανοίας*.

Ergo *μετάνοια* non tantum facti agnitionem & emendationem vitæ, aut etiam deteſtationem peccati ſonat, ſed & pœnas quaslibet ad luenda peccata neceſſarias, quæ ex intimo illo animi dolore quaſi ex fonte proficiſcuntur ; ac proinde plenam perfectamque ejus notionem non exprimit *reſipiſcentiæ* vocabulum, quod dilutioris multo eſt ſignificationis.

Non itaque mirum, ſi juxta nativum Scripturæ ſenſum & Eccleſiæ diſciplinam, vulgatus noſter interpres *Pœnitentiæ* nomen uſurpaverit. Quid enim eſt pœnitere, & Pœnitentiam agere? an pigere ſcelerum duntaxat & redire ad ſaniorem mentem, quod Hæretici volunt? neutiquam. Audiamus ſanctos Doctores.

Tertullianus de luctuoſo Pœnitentiæ differens apparatu, *lib. de Pœnitentia cap.9.* " Confeſſione, inquit, Pœnitentia naſcitur, Pœnitentia „ Deus mitigatur. "

Cyprianus *de lapſis* hortans eos ad dignam ſatisfactionem " Pœnitentia, „ inquit, crimine minor non ſit. "

Gregor. Naz. *oratione 39. Pœnitentiam* appellat *baptiſmum lacrymarum*, *baptiſmum laborioſum*.

Ambroſius apud Gratianum *de Pœnitentia*, *diſtinct. 3. cap. 1.* " Pœ„ nitentia eſt, & mala præterita plangere, & plangenda non admit„ tere. "

Auguſtinus *Serm. 351. n. 12.* " Non ſufficit (ad Pœnitentiam), in„ quit, mores in melius commutare, & a factis malis recedere ; niſi „ etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per „ humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus „ eleemoſynis. "

Auctor *de vera & falſa Pœnitentia cap. 8.* apud eundem. " Pœni„ tentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet com„ miſiſſe. "

Gre-

Gregorius Magnus *homilia* 34. *in Evangelia*, *numer.* 15. " Pœniten-
" tiam agere eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpe-
" trare. "

Iſidorus *lib.* 2. *Sentent. cap.* 13. *pag.* 440. ex eodem Gregorio. " Il-
" le Pœnitentiam digne agit, qui reatum ſuum ſatisfactione legiti-
" ma plangit; condemnando ſcilicet, & deflendo quod geſſit, tan-
" to in deplorando profuſius, quanto extitit in peccando procli-
" vius. "

Reſipiſcant itaque Novatores, tam delicati quam a veritate alieni, quibus tantopere odioſum eſt *Pœnitentiæ* nomen, quique gravia ſcelera poſt Baptiſmum admiſſa abſque ullo labore piare ſe poſſe exiſtimant.

Erubeſcant etiam laxioris diſciplinæ duces, & magiſtri, qui Pœnitentiæ ſacramentum omnibus paſſim tam temere impertiuntur, quod majores noſtri olim tanta cautione, nec niſi pœnitentibus, tribui voluerunt.

ARTICULUS II.

Quodnam ſit diſcrimen inter Pœnitentiæ virtutem & ſacramentum.

DIſtingui vulgo ſolet Pœnitentia duplex; alia quæ virtus, alia quæ ſacramentum nominetur.

Pœnitentia quæ virtus, eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito placandi Deum, & non peccandi de cætero. Sunt fere verba ſynodi Tridentinæ *ſeſſ.* 14.

Pœnitentia vero poſteriore ſenſu eſt ſacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum, quo peccata poſt Baptiſmum admiſſa delentur.

Pœnitentiæ etiam virtus a Sacramento multis ex capitibus differt.

Primo quidem; quod virtus tota poſita ſit in operibus pœnitentis, ſacramentum vero requirat inſuper abſolutionem ſacerdotis.

Secundo quod, ut ait Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. Pœnitentiæ virtus fuerit univerſis hominibus qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad juſtitiam aſſequendam neceſſaria; illis etiam qui Baptiſmi ſacramento ablui petiviſſent, ut, perverſitate abjecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtarentur; ſacramentum vero Pœnitentiæ non niſi a Chriſto fuerit inſtitutum, nec pertineat niſi ad eos qui poſt Baptiſma acceptum in peccata lapſi fuerint.

Hic porro de ſacramento tantum nobis controverſia eſt cum Hæreticis, qui nedum illud agnoſcant, inficiantur etiam ullam ineſſe Eccleſiæ remittendorum poſt Baptiſma peccatorum poteſtatem. Quapropter ordo poſtulat ut de ejuſmodi poteſtate primo verba faciamus.

ARTICULUS III.

An ſit aliqua remittendorum poſt Baptiſma peccatorum poteſtas Eccleſiæ conceſſa.

CUm de hac Eccleſiæ auctoritate ſermo fit, ſtatim allegantur multi inter veteres Hæreticos qui eam negaſſe perhibeantur; Montaniſtæ nimirum, Novatiani, Valdenſes, Wicleſiſtæ, Joannes Hus, & Hieronymus a Praga; ſed immerito, ut videtur: illam enim admiſere,

Primo Montaniſtæ & Novatiani, ut modo declarabimus.

Secundo Valdenſes, in eo tantum hæretici, quod vellent illam eſſe penes quemlibet virum probum, non autem penes ſacerdotem malum. " De Sacramento Pœnitentiæ, inquit Raynerus *cap.* 5. di„ cunt, quod nullus poſſit abſolvi a malo ſacerdote: item dicunt „ quod bonus laicus poteſtatem habeat abſolvendi: item, quod ipſi „ per impoſitionem manuum peccata dimittant, & dent Spiritum San„ ctum. " De his vide illuſtriſſimum Boſſuetum *Variationum lib.* 11. Non igitur circa ſacramentum, ſed circa ſacramenti miniſtrum errabant.

Tertio Wicleſus cum Valdenſibus docens *lib.* 4. *Trialogi cap.* 10. 14. *&c.* claves non operari, niſi in Sanctis; de quo idem præſul *ibid.* 53. Attamen in bulla Martini V. ad calcem concilii Conſtantienſis, & apud Thomam Valdenſem *tomo* 2. *de ſacramentis*, *cap.* 141. Wicleſus memoratur ejuſmodi poteſtatem funditus ſuſtuliſſe.

Quarto Huſſitæ, qui cum Eccleſia catholica ſeptem ſacramenta ſemper confeſſi ſunt, ut oſtendit idem auctor *ibid. n.* 161.

Quocirca is error eſt peculiaris quorumdam e Lutheranis, & Calvinianorum, qui factam a Chriſto poteſtatem remittendorum peccatorum collocant in prædicatione Evangelii, & excitatione ad fidem, qua peccata delentur, aut in baptiſmi dandi facultate, aut in ſimplici quadam declaratione; aut eam referunt duntaxat ad externum Eccleſiæ regimen, quæ pro ſua auctoritate poſſit peccatoribus conventus ſacros interdicere, aut pœnitentibus permittere. Ita præſertim Calvinus *in inſtitutione & antidoto*, ubi de poteſtate clavium, & Kemnitius, 2. *parte examinis conc. Trid.*

ASSERTIO I.

Eſt in Eccleſia poteſtas remittendorum peccatorum.

PROBATUR 1. ex Scripturis.

Matthæi cap. 16. v. 19. Chriſtus Petrum alloquens, *Tibi dabo*, inquit, *claves regni cœlorum; & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum*

tum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

Ibidem cap. 18. v.18. omnibus Apoſtolis, *Amen dico vobis*, inquit, *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.*

Joan. 20.22. *Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

PROBATUR 2. traditione Eccleſiæ, quæ hac in parte ita conſtans eſt & manifeſta, ut non ſolum hanc poteſtatem ſemper agnoverint catholici, ſed etiam nullus ad hæc tempora hæreticus inventus eſſet, qui eam auderet convellere.

Et vero ſi pro Hæreticis habuit Eccleſia, qui hanc poteſtatem imminuerent, quanto magis qui eam abolerent?

PROBATUR 3. diſciplina eccleſiaſtica omnium ſeculorum: ubique enim & ſemper pœnitentibus veniam indulſit Eccleſia.

OBJICIES cum Calvino id honoris ſervandum eſſe Deo ut remittat peccata.

RESPONDEO hanc eſſe vocem infidelium Judæorum Marc. cap. 27. *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* eandemque fuiſſe Montaniſtarum olim & Novatianorum exceptionem, ut de illis conſtat ex Tertulliano *de pudicitia*, de his vero ex Ambroſio & Paciano: quorum reſponſionibus tanquam armis jamdudum victricibus uti juvat ad ſimilem Novatorum noſtrorum impietatem profligandam. Sic igitur Ambroſius loquitur *lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. num. 6.* " Sed aiunt ſe
" Domino deferre reverentiam, inquit, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent: imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata reſcindere, commiſſumque munus refundere: nam cum ipſe in Evangelio ſuo dixerit Dominus Jeſus: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.* Quis eſt ergo qui magis honorat, utrum qui mandato obtemperat, an qui reſiſtit? Dominus enim par jus ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit. " Pacianus vero *epiſt. 1. ad Sempronianum;* ſic in eandem rem habet. " Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum eſt: ſed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. " *Epiſt.* autem 3. " Quare, inquit, ſive baptiſamus, ſive ad Pœnitentiam cogimus, ſive veniam pœnitentibus relaxamus, Chriſto id auctore tractamus. "

Ut autem os obſtruerent Novatianis, & argumento ad hominem, demonſtrarent hominibus vere ineſſe poſſe facultatem remittendorum peccatorum, urgent eos exemplo Baptiſmatis, in quo ipſi confitebantur peccata a ſacerdotibus ablui. Ambroſius, verbi cauſa *ibidem cap. 8. n.37.* " Sed dicis, inquit, quia in lavacro operatur myſteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? nonne Dei nomen operatur? Quid ergo?

„ Ubi vultis vindicatis vobis gratiam, ubi vultis repudiatis? "Idem Calvino reſpondeas.

ASSERTIO II.

Ejusmodi poteſtas non eſt tantum poſita in Evangelii prædicatione.

Probatur 1. ipſa perſpicuitate verborum Chriſti. Cur enim, ſi prædicationem Evangelii commendare tantum voluit Apoſtolis, cur, inquam, id clare non dixit? Quam ineptum & impium eſt dictu, Verbo Dei, ut quod vellet eloqueretur, defuiſſe orationem! Certe alibi cum jubet Evangelium annuntiari, id ſine ullis ambiguitatibus, ullaque circuitione pronuntiat.

Probatur 2. quia ſi quis attentius rem excutiat, non leve diſcrimen reperiet inter utramque locutionem: nam ubi de Evangelio; *Prædicate*, inquit, *Evangelium omni creaturæ;* adeoque de omnibus ſine ullo diſcrimine, ullave exceptione loquitur. At ubi de remiſſione peccatorum, non ſine cautela & reſtrictione; *Quorum*, inquit, *remiſeritis peccata*, *&c.* Ergo non eadem omnino poteſtas utrobique demandatur.

Probatur 3. ex Patribus. Ut enim ſubtiliter notat Chryſoſtomus *lib. 3. de Sacerdotio*, Chriſtus eandem poteſtatem communicavit cum Apoſtolis, quam ipſe habebat. Paulo enim ante dixerat: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos.* At Chriſtus profecto non habuit tantum poteſtatem Evangelium prædicandi, ſed etiam vere peccata remittendi.

Merito itaque ſynodus Tridentina, *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. relatis quæ ſupra adduximus verbis Evangeliſtarum, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Euangelium annuntiandi detorquent: & *canone* 3. pronuntiat: " Si quis verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum Sanctum,*
„ *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta*
„ *ſunt;* .... detorſerit...., ad auctoritatem prædicandi Evangelium,
„ anathema ſit.

ASSERTIO III.

Hæc remittendorum peccatorum facultas etiam ultra baptiſmum extenditur.

Probatur 1. ex verbis ipſis Scripturæ ſacræ, quæ jam laudavimus: nullis enim cancellis circumſcribitur, quæ ibi conceditur auctoritas. Imo ad eos præſertim videtur pertinere, qui jam baptizati fuerint. Cum enim in ligando ac ſolvendo illa conſiſtat; certe judiciaria eſt: at judiciariam poteſtatem non habet Eccleſia niſi in ſuos. *Quid*

enim

enim mihi de iis qui foris ſunt judicare? inquit Apoſtolus 1. *Cor.* 5. 12. Ergo &c.

Probatur 2. ex Patribus, qui ita Scripturam intellexerunt, & intelligendam nobis tradiderunt.

Cyprianus ſuo & ſynodi Africanæ, cui præerat, nomine *Ep.* 54. *ad Cornel. de lapſis* poſt baptiſmum reconciliandis diſſerens, "Nec enim „ fas erat, inquit, aut permittebat paterna pietas, & divina clemen„ tia Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei „ ſalutaris ſubſidium denegari; ut de ſæculo recedentes ſine communi„ catione & pace ad Dominum dimitterentur; quando permiſerit ipſe, „ qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata eſ„ ſent; ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolveren„ tur."

Firmilianus Cappadociæ Metropolita ad eundem Cyprianum *Epiſt.* 75. *apud Cyprian. p.* 324. *edit. Oxon.* "Soli Petro dixit; *Quæcumque „ ligaveris ſuper terram, erunt &c.* Et iterum in Evangelio, quando „ in ſolos Apoſtolos inſufflavit Chriſtus, dicens: *Accipite Spiritum-San„ ctum, ſi cujus remiſeritis peccata, remittentur illi: & ſi cui tenueritis, „ tenebuntur.*" Poteſtas ergo remittendorum peccatorum Apoſtolis da„ ta eſt, & Eccleſiis, quas illi a Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſ„ copis qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt.

Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnitentia cap.* 1. *num.* 6. hoc eodem loco debellat Novatianos, qui hanc remittendorum poſt Baptiſma peccatorum facultatem negabant.

Pacianus *Epiſt. ad Sempronianum* 1. adverſus eoſdem Hæreticos "Quid „ eſt illud, inquit, quod Apoſtolis dixit: *Quæ ligaveritis in terris, li„ gata erunt in cœlis: & quæcunque ſolveritis in terris, ſoluta erunt in cœ„ lis?* cur hoc, ſi ligare hominibus ac ſolvere non licebat? An tantum „ hoc Apoſtolis licet? Ergo & baptizare ſolis licet, & Spiritum-San„ ctum dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare; quia totum hoc „ non aliis quam Apoſtolis imperatum eſt? Quod ſi uno in loco & „ reſolutio vinculorum, & ſacramenti poteſtas datur, aut totum ad „ nos ex Apoſtolorum forma & poteſtate deductum eſt, aut nec illud „ ex decretis relaxatum eſt .... Si ergo & lavacri & chriſmatis po„ teſtas majorum longe chariſmatum ad Epiſcopos inde deſcendit: & „ ligandi quoque jus ac ſolvendi."

Chryſoſtomus *hom.* 4. *de verbis Iſaiæ*, Rex quidem, inquit, ea quæ „ ſunt in terris, ſortitus eſt adminiſtranda; Sacerdotii autem jus ſupe„ rius eſt poſitum. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in „ cœlo.* Regi ergo corpora commiſſa ſunt, Sacerdoti animæ, Rex pe„ cuniarum reliqua dimittit, Sacerdos reliqua peccatorum."

Libro autem 3. *de Sacerdotio* citatis Evangeliſtæ iiſdem verbis "Quæ„ nam, inquit, obſecro, poteſtas hac una major eſſe queat? Pater om„ nifariam Filio poteſtatem dedit; cæterum video ipſam eandem omni-

„ fa-

„ ſariam poteſtatem a Filio illis traditam . . . Corporis lepram purga„ re, ſeu verius dicam, non purgare quidem, ſed purgatam probare Ju„ dæorum Sacerdotibus licebat; at vero noſtris Sacerdotibus, non cor„ poris lepram, ſed animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed & „ purgare prorſus conceſſum eſt. " *Ibid.* demum explicans quouſque ſe extendat hæc auctoritas : " Neque enim tantum, inquit, cum nos re„ generant Sacerdotes, ſed poſtea etiam condonandorum peccatorum fa„ cultatem obtinent. "

Auguſtinus *Sermone* 352. *num.* 8. eundem Evangelii textum torquet in Hæreticos, qui hanc poteſtatem adimebant poſt baptiſma ſuſceptum : " Sed quid Dominus, inquit, Eccleſiæ ſuæ? *Quæcumque ſolveritis in* „ *terra*, inquit, *ſoluta erunt in cælo*. " *Sermone* autem 392. *num.* 3. hortans fideles qui inquinati peccatis erant ut recurrerent ad claves Eccleſiæ, " Nemo ſibi dicat, inquit, occulte ago (Pœnitentiam,) apud „ Deum ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt. *Quæ ſolveritis &c.* Ergo ſi„ ne cauſa datæ ſunt claves Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium, „ fruſtramus verba Chriſti. "

Cyrillus Alexandrinus *lib.* 12. *pag.* 1101. *in Joannem*, ad hoc idem Joannis " Quonam igitur modo, inquit, Servator dignationem, quæ „ ſoli naturæ divinæ debetur, ſuis diſcipulis attribuit? . . . Remittunt „ porro peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus, ut arbi„ tror, modis : vel enim dignos ad baptiſmum vocant, vel prohibent „ eos qui nondum digni ſunt : vel alio quodam modo peccata remit„ tunt ac retinent; nempe cum filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, vel „ pœnitentibus ignoſcunt, ſicuti Paulus, &c.

Adjunge quos collegit Eſtius *in* 4. *ad diſt.* 18. Dionyſium vulgo Areopagitam, Tertullianum, Origenem, Athanaſium, Baſilium, Gregorium Nazianz. Hieronymum, Arnobium juniorem, Fulgentium, Anaſtaſium Nicænum, Theophilactum, ac præter hos Hermam *lib.* 2. Epiphanium, *Hæreſ.* 59. & Leonem *Epiſt.* 91.

Jure igitur ſynodus Tridentina, *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. ſic ait, relato quod fecit Chriſtus, & dixit *Joan.* 20. inſufflans in Apoſtolos, & tribuens Spiritum-Sanctum : " Quo tam inſigni facto & verbis tam perſpicuis, „ poteſtatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles „ poſt baptiſmum lapſos Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus fuiſſe conceſ„ ſam univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. *Can.* autem 3. " „ Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris : *Accipite Spiritum-ſan*„ *ctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis : & quorum retinueritis* „ *retenta ſunt*, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinen„ di peccata in ſacramento Pœnitentiæ, anathema ſit.

Probatur 3. de decretis Eccleſiæ quibus olim confixi ſunt Montaniſtæ ac Novatiani, qui hanc Eccleſiæ poteſtatem circumcidebant : quanto magis ſi penitus abrogaſſent?

Prob. 4. uſu ipſo perpetuo Eccleſiæ. Qui enim peccaverant poſt baptiſm-

tiſmum, quoſque pœnitebat criminum, eos ad pacem & veniam, cum libuit, ſemper admiſit.

Probatur 5. ſpeciatim eorum Patrum auctoritate, qui Novatianos ex profeſſo impugnarunt, Ambroſii nempe ac Paciani.

Ambroſii locum ſupra retulimus, *pag.* 14.

Pacianus vero, *Ep.* 3. ſic loquitur, " Sed Pœnitenti, inquit, peccata „ dimittis, cum tantum in baptiſmate tibi liceat relaxare peccatum; Non „ mihi plane, ſed Deo ſoli, qui & in baptiſmate donat admiſſum, & „ pœnitentium lacrymas non repellit. "

Sunt quidem nonnulli e ſanctis Doctoribus qui ita Catechumenos alloquuntur, quaſi poſt baptiſmum nihil jam remedii ſupereſſet in peccata relabentibus. Sic Pacianus *Serm. ad Competentes* " Igitur dilectiſſimi ſemel abluimur, ſemel liberamur, ... ſemel felices ſunt, quorum remiſſa ſunt facinora, & quorum tecta ſunt peccata. Tenete fortiter „ quod accepiſtis, ſervate feliciter: amplius peccare nolite, puros vos „ ex eo & immaculatos in diem Domini reſervate. "

Sed abſit ut eo putetur poſt baptiſma naufragis Pœnitentiæ portum claudere voluiſſe; cum nullus ſit inter veteres, qui contra Novatianos omnem veniæ ſpem lapſis præcidentes fortius & elegantius ſcripſerit.

Ergo ita loquebantur majores noſtri, non quod remedium Pœnitentiæ negarent, ſed quod illud oſtendere refugerent, ne peccandi licentia dari videretur. In exemplum eſto Tertullianus, qui *in ſuo de Pœnitentia libro*, cum de ea diſputaſſet, quæ ante Baptiſmum uſurpabatur, " Hucuſque „ Chriſte Domine, inquit *cap. 6.* de Pœnitentiæ diſciplina ſervis tuis „ diſcere vel audire contingat, quouſque etiam delinquere non oportet „ audientibus, vel nihil jam de Pœnitentia noverint, nihil ejus requirant. Piget ſecundæ, imo jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem, „ ne retractantes de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videamur. "

Quamquam autem ita loquebantur, & revera Eccleſiæ crimini verterent hanc benignitatem & indulgentiam Novatiani juxta Pacianum *Ep.* 3. imo & Ethnici referente ſancto Auguſtino *ſerm.* 352. *num.* 9. quaſi ſcilicet Pœnitentia eſſet peccandi incentivum, ut loquitur in eodem argumento Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnitentia*, *cap.* 9. attamen non idcirco minus, cum opus erat, eo remedio ad curanda fidelium vulnera utebantur, quod ex omnium ſæculorum diſciplina manifeſtum eſt; de quo diligenter Cotelerius ad Hermam *pag.* 114.

ASSERTIO IV.

Ecclesia non tantum declarat remiſſa eſſe prius a Deo peccata, ſed etiam vere ea remittit.

Eſt illa aſſertio non ſolum adverſus Hæreticos hujus temporis, ſed etiam contra nonnullos veteres Theologos, qui in declaratione remiſſionis

ſionis peccatorum omnem hanc poteſtatem ſitam eſſe dixerunt; Magiſtrum ſcilicet Sententiarum *diſt.* 18. Alenſem, Bonaventuram, Gabrielem & alios.

PROBATUR ex verbis Scripturæ. *Matthæi* enim *capite* 16. *verſu* 19. dantur Petro claves regni cœlorum; ergo cœlos Petrus aperit, non apertos duntaxat oſtendit. Deinde cum ait Chriſtus ſolvenda eſſe in cœlis, quæ Apoſtoli ſolverint in terra, quis non videt iis datam eſſe poteſtatem vere abſolvendi peccatores, non autem tantum abſolutos declarandi? Judicium enim Eccleſiæ hic deſcribitur, quaſi prius cœleſti; & Deus ſtatuitur, quaſi qui ratam habeat ab hominibus latam ſententiam. Denique actio ipſa Sacerdotis hic ponitur, quaſi quæ antevertat omnem remiſſionem peccatorum, eamque præſtet: Ergo niſi vim facere velimus manifeſtæ Chriſti ſententiæ, pro certo haberi oportet conceſſam eſſe Apoſtolis veram ac proprie dictam ſolvendi auctoritatem.

PROB. 2. Eccleſiæ traditione. Ut enim modo vidimus, omnes ſancti Doctores confeſſi ſunt uno ore, Eccleſiæ ineſſe poteſtatem remittendorum peccatorum.

PROB. 3. variis eorumdem Patrum de hac auctoritate placitis.

Primo enim multi ſunt qui iſtud de declaratione commentum diſerte refellant. Legatur Chryſoſtomus *ſupra pag.* 7. "Noſtris Sacerdotibus, in-„ quit, animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed & purgare prorſus „ conceſſum eſt." Addatur Hugo a ſancto Victore *tom.* 3. *ſummæ ſententiarum*, *tract.* 6. *cap.* 11. Denique Richardus Victor. de poteſtate ligandi & ſolvendi *cap.* 12. Extat, inquit, quorumdam de poteſtate li-„ gandi atque ſolvendi ſententia tam frivola, ut ridenda potius videa-„ tur, quam refellenda. Putant enim & prædicant Sacerdotes non ha-„ bere poteſtatem ligandi atque ſolvendi, ſed oſtendendi homines eſſe „ ſolutos ſive ligatos." Eſt etiam ea de re erudita diſputatio Thomæ Valdenſis, *tom.* 2. *de ſacramentis*, *cap.* 141. *&c.*

Secundo alii ſtatuunt ſacerdotum ſententiam in ſolvendo peccatore priorem eſſe divina.

Cyprianus *ſupra epiſt.* 57. "Solvi autem poſſent illic (in cœlo) in-„ quit, quæ hic prius in eccleſia ſolverentur."

Hilarius *in Matth.* 16. *num.* 7. "O beatus cœli janitor, inquit, cu-„ jus arbitrio claves æterni aditus traduntur! cujus terreſtre judicium „ præjudicata auctoritas ſit in cælo!"

Chryſoſtomus *Hom.* 5. *de verb. Iſaiæ* "A terra, inquit, judicandi „ auctoritatem ſumit cœlum: nam judex ſedet in terra. Dominus ſe-„ quitur ſervum, & quidquid hic in inferioribus judicavit, hoc ille in „ ſupernis comprobat."

Leo *ſerm. de. Transfiguratione* "Nec in ligandis, inquit, aut ſolven-„ dis quorumcumque cauſis aliud ratum eſſet in cœlis, quam quod Pe-„ tri ſediſſet arbitrio."

Auctor libri *de vera & falſa Pœnitentia ſupra*, allatis Chriſti verbis: „ Hoc

" Hoc eſt, inquit, ego Deus & omnes ordines cœleſtis militiæ, & „ omnes Sancti in mea gloria laudant vobiſcum, & confirmant, quos „ ligatis & ſolvitis ſuper terram. "

Bernardus *ſermone* 1. *in natalem Petri & Pauli*: " Petro, inquit, „ quid potentius, qui claves regni cœlorum tam ſingulariter accepit, „ ut præcedat ſententia Petri ſententiam cœli: *Quodcumque ligaveris* „ *&c.*

At ſententia Sacerdotum non antevertit Dei judicium, ſi homines prius a Deo ſoluti ſint, quam ab Eccleſia ſoluti eſſe declarentur.

Tertio iidem aut alii docent peccatores eſſe mortuos, donec Sacerdotum judicio reviviſcant; eos in ſalutem recipi, dum abſolvuntur, & a morte æterna liberari: quæ tria conſiſtere non poſſunt, ſi abſolutio Eccleſiæ mera ſit peccati jam remiſſi declaratio.

Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 7. exemplo Lazari adducto, ſic alloquitur Novatianos: " Vos indignamini, inquit, & contra Eccleſiam „ congregatis concilium, quia videtis mortuos in Eccleſia reviviſcere, „ & peccatorum venia indulta reſuſcitari.

Hilarius *ad cap.* 18. *Matth. num.* 8. " Ad terrorem autem metus ma„ ximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis A„ poſtolicæ judicium præmiſit, ut quos in terris ligaverint, id eſt pec„ catorum nodis innexos reliquerint, & quos ſolverint, confeſſione vi„ delicet veniæ receperint in ſalutem; hi Apoſtolicæ conditione ſenten„ tiæ in cœlis quoque ſoluti ſint aut ligati. "

Auguſtinus *ſerm.* 351. *num.* 12. " Quis certus eſt, inquit, quod Im„ perator ignoſcat? & tamen pecunia funditur, maria tranſmeantur: „ ſine dubitatione fiunt iſta, cum ſit dubium quo fine proveniant: & „ tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ quam corda Regum, quibus cla„ vibus quodcumque in terra ſolvitur, etiam in cœlo ſolutum promit„ titur; & multo honeſtior eſt humilitas qua ſe quiſque humiliat „ Eccleſiæ Dei; & labor minor imponitur, & nullo temporalis mor„ tis periculo mors æterna vitatur. " Adeundus eſt hac etiam de re Morinus *libro* 8. *capit.* 1, ubi ea multis antiquorum teſtimoniis illuſtrat.

Quarto non pauci veteres Patres tradunt, niſi ad Eccleſiæ preces, veniam Pœnitentibus a Deo non concedi.

S. Leo *Epiſt.* 28. ad Theodorum Forojulienſem, *cap.* 2. " Sic divi„ næ, inquit, bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, niſi „ ſupplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri. "

S. Eligius *Hom.* 4. id laudat & amplectitur.

Ergo indulgentia Dei precibus Sacerdotum alligata eſt, ab iiſque pendet.

Quinto iidem volunt in Evangelio fuiſſe adumbratam Pœnitentium ſolutionem facta ab Apoſtolis Lazari ſolutione; nimirum, Iræneus *lib.* 5. *adverſus hæreſes*, Ambroſius *ſupra*, Auguſtinus *tract.* 2. & 49. *in Joan.*

Auctor

Auctor *libri de vera & falſa Pœnitentia cap.* 10. Eucherius Lugdunenſis *Hom. poſt Dominicam* 4. *Quadrageſimæ*, Greg. Mag. *Hom.* 26. *in Evangelia*, Eligius *Hom.* 10. Synodus Aquiſgranenſis, &c. Atqui Apoſtoli vere ſolverunt Lazarum, non ſolutum duntaxat oſtenderunt. Ergo.

Sexto Chryſoſtomus *ſupra*, colligit ex Evangelii textu eandem a Chriſto cum Apoſtolis communicatam fuiſſe auctoritatem quam ipſe habebat a Patre. Chriſtus porro vere remittebat peccata accedentibus ad ſe.

Septimo Cyrillus Alexandrinus itidem *ſupra* agnoſcit in eo grande quoddam miraculum quod hominibus data ſit poteſtas quæ ſoli debetur naturæ divinæ: atqui nullum profecto prodigium eſt, ſi iſta auctoritas in ſola remiſſionis peccatorum declaratione poſita ſit.

PROB. 4. ex Synodo Tridentina *ſeſſ.* 14. *capite* enim 6. damnat inter doctrinas " falſas, & a veritate Evangelii penitus alienas, eam „ quæ aſſerit abſolutionem Sacerdotis eſſe ſolum nudum miniſterium . . . „ declarandi remiſſa eſſe peccata. " *Can.* autem 9. ſic habet " Si quis „ dixerit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judi- „ cialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa „ eſſe peccata confitenti, . . . anathema ſit. "

PROB. 5. auctoritate ſacræ Facultatis Pariſienſis, quæ anno 1638. 1. Julii confixit ſententiam ſcriptoris cujuſdam, qui tum affirmaverat abſolutionem eſſe tantum juridicam peccati jam remiſſi declarationem.

PROB. 6. variis rationibus Theologicis.

Prima eſt. Effectus ſacramenti Pœnitentiæ, juxta decretum Eugenii IV. eſt abſolutio a peccatis; juxta concilium autem Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. reconciliatio eſt cum Deo; ac proinde peccator dici non debet, aut abſolutus a peccatis, aut cum Deo reconciliatus, antequam Sacramentum illud ſuſcipiat.

Secunda quod longe majoris oneris futura ſit, quam utilitatis, ejuſdem Sacramenti ſuſcipiendi neceſſitas ac præceptum, ſi eo tantum abſolutionis vis redeat, ut ſignificet peccata jam eſſe remiſſa.

Tertia quod, hoc poſito, nullius jam aut exigui admodum uſus eſſe videatur Sacerdotis opera: quorſum enim & cuinam declarabit remiſſa eſſe peccata? An Deo, qui omnia novit? An Eccleſiæ, ad quam non pertinet hoc de occultis judicium? An Pœnitenti, qui longe melius miniſtro cognoſcit quæ apud ſe aguntur in intima conſcientia, maxime ſi doctior eo ſit quem adit, ut ſæpe contingit? An denique ſibi ipſi, cum ea declaratione ipſe non indigeat?

Quarta eſt, quod ſi agatur tantum de quadam declaratione facienda, jam non appareat cur juriſdictione ac miniſtro Eccleſiæ opus ſit; doctrina vero & ſcientia in quolibet homine non ſufficiat.

Quinta quod eadem ſit auctoritas Eccleſiæ in Pœnitentiæ ſacramento, quæ in Baptiſmo, ut ex Patribus nuper confecimus: at in Baptiſ-

mate

mate vere remittuntur peccata, non autem remiſſa tantum declarantur : Ergo.

Neque eſt quod opponas Hieronymum, qui *ad Matth.* 16. explicans verba Chriſti de clavibus regni cœlorum Petro datis, ſic habet : " Iſtum locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de „ Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur; cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis, ubi „ jubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus, &, ſi lepram habuerint, tunc „ a Sacerdote immundi fiant : non quo Sacerdotes leproſos faciant & „ immundos, ſed quo habeant notitiam leproſi, & non leproſi; & poſſint diſcernere qui mundus quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit; ſic & hic alligat vel „ ſolvit Epiſcopus & Presbyter, non eos qui inſontes ſunt vel noxii, „ ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit veritates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus. "

Nam ibi ſanctus ille Doctor invehitur in quoſdam Sacerdotes, qui, clavium poteſtate intemperanter abutentes, putabant ſe poſſe pro auctoritate ſua & licentia illius ævi, ligare quicumque ſibi non placebant, ac ſolvere quos libebat, abſque ullo vitæ reſpectu. Ut autem eſt in reprehendendo acer, quid mirum etiam ſi hic paulo ſit vehementior? At ſi recte eum expendas, non hic agebat ut ſolvendi ac ligandi poteſtas accurate definiretur, ſed ut ſolvendorum ac ligandorum mores diligentius excuterentur. Duplex enim eſt officium Sacerdotis : 1. debet probare qui ſint ſolvendi & ligandi : 2. debet deinceps ſententiam ferre. De priori tantum loquitur; & in eo capite juſta eſt ac legitima comparatio veteris & novæ legis Sacerdotum. Ut enim ante Levitarum judicium, qui lepræ ſuſpecti erant, aut vere erant mundi aut immundi, nec penes Levitas erat eos mundos aut immundos facere; ſic in nova lege homines debent eſſe noxii antequam ligentur, & vere converſi ad Deum antequam ſolvantur; neque id in arbitrio eſt noſtrorum Sacerdotum : ſi enim aliter ligarent aut ſolverent, nihil prorſus efficerent. At quod pertinet ad aliud caput, nempe quoad ſententiæ conditionem, longe diſpar ratio eſt utriuſque poteſtatis : nam " Levitæ, ut ait Chryſoſtomus *ſupra*, non lepram purgabant, ſed purgatam tantum probabant; „ noſtris autem Sacerdotibus animæ ſordes non purgatas tantum probare, ſed & purgare prorſus conceſſum eſt. " Sed de hoc etiam alibi, ubi de contritionis efficacia, & abſolutionis vi diſputabimus. Interim iſta ſufficiant, quæ ex dicendis majorem lucem accipient.

Unum hoc addo, Magiſtrum ſcilicet Sententiarum, Alenſem, Bonaventuram a nonnullis recentioribus excuſari : jure an ſecus, aliorum eſto judicium : nos ad alia pergimus.

A S-

ASSERTIO V.

Iſta remittendorum peccatorum facultas non eſt tantum politica, nec ad externum Eccleſiæ regimen unice ſpectat.

Probatur 1. iis omnibus argumentis quæ hactenus congeſſimus: ea enim demonſtrant Eccleſiæ conceſſam fuiſſe veram & proprie dictam remittendorum, etiam coram Deo, peccatorum auctoritatem.

Prob. 2. ex verbis ipſis Scripturæ: nam ſi hæc poteſtas unice pertinet ad externum Eccleſiæ regimen, in eo tantum ſita eſt ut Eccleſia poſſit peccantibus claudi, & Pœnitentibus reſerari. At Chriſtus Petro dedit non claves Eccleſiæ duntaxat, ſed regni cœlorum. Deinde, hoc poſito, iſta facultas ad terram ſolummodo ſpectaret. At Chriſtus non tantum in terra, ſed & in cœlo validam fore Apoſtolorum ſententiam affirmat. Denique, prior eſſet Dei in cœlis indulgentia, Sacerdotum in terra judicio: contra autem ſtatuit Chriſtus.

Prob. 3. Ratione. Annon enim manifeſte videtur in Evangelio grande quiddam & eximium Eccleſiæ & Apoſtolis a Chriſto concedi? At ſi hæc eſſet tantum politica poteſtas, ſacros videlicet conventus vel dignis permittendi, vel indignis interdicendi, nihil foret ſingulare; nihil quod vel ipſis antiquæ legis Sacerdotibus non competeret. Ergo.

ARTICULUS IV.

An hæc remittendorum peccatorum auctoritas ad graviora crimina extendatur.

Non hic quæritur, an majorum criminum reis veniam ſemper & ubique Eccleſia conceſſerit; de quo alius erit dicendi locus; ſed an concedere poſſit, quod antiquiores Hæretici nonnulli negarunt.

Primi hanc poteſtatem Eccleſiæ abrogare conati ſunt Montaniſtæ, ſic vocati a Montano quodam Phryge, qui epiſcopatum ambiens, & repulſam paſſus, inclinante ſecundo ſæculo defecit a recta fide. Cumque ſe Prophetam, & promiſſum in Evangelio Paracletum eſſe jactaret, majoremque cæteris affectaret auſteritatem, prædicare cœpit levioribus quidem culpis veniam ab Eccleſia tribui poſſe, non autem gravioribus: quod diſcimus præſertim ex Tertulliano, qui, cum diu in Eccleſia floruiſſet, ad eum ſe tandem adjunxit. Is enim *in libro de pudicitia*, quem transfuga conſcripſit adverſus Catholicos *cap.* 2. " Cauſas Pœnitentium, „ inquit, delicta condicimus. Hæc dividimus in duos exitus: alia erunt „ remiſſibilia, alia irremiſſibilia. *Cap.* autem 18. ait " levioribus deli„ ctis veniam ab Epiſcopo conſequi poſſe (Pœnitentes,) majoribus ac „ irremiſſibilibus a Deo ſolo. " *Cap.* autem 19. allatis quibuſdam le„ viorum peccatorum exemplis " Horum ergo, inquit, erit venia per „ exora-

„ exoratorem Patris Chriſtum. Sunt autem & contraria iſtis, & gra-
„ viora & exitioſa, quæ veniam non capiant, homicidium, idolola-
„ tria, fraus, negatio, blaſphemia, utique & mœchia & fornicatio, &
„ ſi qua alia violatio templi Dei. "

Dubitari tamen poteſt, an illud ut fidei dogma, an ut merum diſciplinæ caput ſpectaverint: *capite* enim 21. ſic habet idem Tertullianus: " Sed habet, inquis, poteſtatem Eccleſia delicta donandi. Hoc
„ ego magis & agnoſco & diſpono, qui ipſum Paracletum in Prophe-
„ tis novis habeo dicentem: poteſt Eccleſia donare delictum; ſed non
„ faciam, ne & alia delinquant..... Ergo ſpiritus veritatis poteſt qui-
„ dem indulgere peccatoribus veniam, ſed cum plurium malo non
„ vult.... & ideo Eccleſia quidem delicta donabit; ſed Eccleſia Spiri-
„ tus per ſpiritalem hominem, non Eccleſia numerus Epiſcoporum. "
Ibi namque, ut patet, agnoſcit in Eccleſia poteſtatem remittendorum quorumlibet peccatorum; eam autem ſancit exeri non debere, ne licentia peccandi detur; nec poſſe, niſi a ſpiritalibus hominibus, quales putabat eſſe ſuos gregales.

Secundi in hoc ordine ponuntur Novatiani, ſic dicti a Novato aut Novatiano, qui cum eſſent Presbyteri, hic quidem Romanæ eccleſiæ, ille Carthaginienſis, & alter a Cornelio ſummo Pontifice, alter a S. Cypriano defeciſſent, communibus conſiliis immitem illam ſectam condiderunt, quæ graviorum ſcelerum reos Deo ab Eccleſia reconciliari nec debere nec poſſe pertinaciter contendit. Unde & *Catharos* ſe, mundoſque appellabant, quod aliorum ſordibus non inquinarentur.

Sed hujus hæreſeos non una forma nec unus gradus fuit.

Primo enim, Novatianus tantum repellebat eos qui lapſi fuiſſent in idololatriam, cæteros vero omnes, etiam mœchos ac fraudatores ad communionem ſuam admittebat; quod ei graviter exprobrat Cyprianus *ep.* 55. *ad Antonianum*, " Si ſe cordis, inquit, & renis ſcrutatorem
„ conſtituit & judicem, per omnia æqualiter judicet, & fraudatores
„ & mœchos a latere ſuo atque a comitatu ſuo ſeparet. " Et iterum "
„ Nec ſibi in hoc, inquit, novi Hæretici blandiantur, quod ſe dicant
„ idololatris non communicare, quando ſint apud illos & adulteri &
„ fraudatores, qui teneantur idololatriæ crimine ſecundum Apoſto-
„ lum, &c.

Deinde vero cum ob iſtiuſmodi communionem cum mœchis & aliis ſceleratis hominibus, vehementer urgeretur a Catholicis, in aliam omnino partem declinavit, ſtatuens omnia peccata eſſe paria & pariter venia indigna, ſaltem ſi credimus Ambroſio *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 2. *num.* 5. ubi aſſerit illum omnia peccata, Stoicorum quodam more, paribus putaſſe æſtimanda menſuris. " *Cap.* autem 3. *num.* 10. adverſus Novatianos pugnans qui aliquod in peccatis diſcrimen eſſe confitebantur, " Non hoc, inquit, auctor veſtri erroris Novatianus, qui nemini
„ dandam Pœnitentiam putavit. "

At in hoc extremo diu ſtare non potuit error, & ſe ſe tandem reduxit: ut enim modo ſignificavimus, aliquam eſſe peccatorum differentiam agnoverunt Novatiani; dixeruntque, teſte Ambroſio *ibid.* ſe exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus.

De his vide inter antiquos Scriptores Euſebium *lib.* 4. Epiphanium *hæreſi* 79. Auguſtinum *hæreſi* 38. Theodoretum *lib.* 3. *hæret. fabularum*, Hieron. *in chronico Euſebii*, Socratem, Sozomenum, Pacianum *epiſtola* 3. Philaſtrium *hæreſ.* 34. Primaſium *hæreſ.* 38. Philoſtorgium *lib.* 8. Photium *in Eulogio*, & Auctorem *indiculi hæreſeon* a Menardo ſub nomine Hieronymi editum; e recentioribus vero Baronium *in Annalibus*, Petavium *in ſuis ad Epiphanium obſervationibus* Rigaltium *ad epiſtolam* 49. *Cypriani*, & RR. PP. Benedictinos *ad libros Ambroſii de Pœnitentia*. Quorum dicta ad normam eorum, quæ demonſtravimus, exigas, aut etiam, ſi opus eſt, corrigas; nam Philaſtrius & Epiphanius ita loquuntur, quaſi omnem Pęnitentiam Novatiani abolitam voluerint: quibus cave ne adjungas ſynodum Tridentinam *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. ubi de his ita ait: " Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negan„ tes, magna ratione Eccleſia catholica tanquam Hæreticos exploſit at„ que condemnavit. " Illud enim de criminum graviorum remittendorum poteſtate duntaxat accipiendum eſt.

ASSERTIO.

Quæ a Chriſto Eccleſiæ conceſſa eſt poteſtas remittendorum peccatorum, ea ſpectat ad peccata etiam graviora.

Prob. 1. ex verbis Scripturæ. Chriſtus enim ubique generatim loquitur. Matt. 7. *Quodcunque ligaveris*. Matt. 18. *Quæcunque alligaveritis*. Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*.

Prob. 2. variis Patrum, quæ adduximus, teſtimoniis. Apud eos enim nullum eſt criminum diſtinctionis veſtigium.

Prob. 3. decretis Eccleſiæ, quibus confoſſi ſunt Montaniſtæ ac Novatiani, hanc poteſtatem ad certa peccata reſtringentes.

Prob. 4 Eccleſiæ uſu ab Apoſtolis ad nos uſque derivato. Paulus enim inceſtum Corinthium quem tradiderat Satanæ *in priore ad Cor. epiſtola*, poſt aliquod tempus abſolvit *poſterioris cap.* 2. Joannes quemdam juvenem, qui in inſignem latronem evaſerat, communioni poſt certum Pœnitentiæ ſtadium reſtituit, ut refert Euſebius. Tertullianus antequam ad Montaniſtas deficeret *lib. de Pœnit. cap.* 4. ſic pronuntiat ex communi Eccleſiæ uſu " Omnibus ergo delictis ſeu carne, ſeu ſpi„ ritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium „ deſtinavit Deus, idem & veniam per Pœnitentiam ſpopondit. "

Prob. 5. ſpeciatim iis Patrum teſtimoniis qui Eccleſiæ fidem in hoc capite adverſus Novatianos vindicarunt. Sic S. Cyprianus, *Epiſt.* 55. *ad Antonianum*, *ſupra pag.* 34. ex profeſſo revincit Novatianos. Sic

Ambro-

Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnitentia cap.* 3. *n.* 10. " Deus, inquit, diſtin-
„ ctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & re-
„ laxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit. "
Pacianus ſimiliter *ſerm.* 3. examinans Chriſti verba ad Apoſtolos ſic habet: " *Quæcunque ſolveritis*, inquit, omnino nihil excipit: *Quæcun-
„ que*, inquit, vel magna vel modica. "

Neque eſt quod objicias eundem Pacianum *in exhortatione ad Pœnitentiam*, ubi ſic habet de peccatis gravioribus. " Hæc quicunque poſt
„ fidem fecerit, Dei faciem non videbit ...... Deſperavere tantorum
„ criminum rei. Quid vobis ego feci? nunquid non fuit in poteſtate
„ ut non fieret? nullusne admonuit? nemo prædixit? .... quid quæritis
„ ſera ſolatia? tunc decuit, cum licebat. " Ex quo quis forte inferat nullam ab eo relinqui ſpem lapſis in ſcelera majora poſt baptiſmum.

Verum is ſane allucinetur. Ibi enim contra Pacianus ejuſmodi peccatores ad Pœnitentiam excitat, & totis viribus ſuper eo contra Novatianos pugnat. Et vero ſtatim inducit eos ſic loquentes, " Ergo,
„ inquiet aliquis, perituri ſumus. Et ubi miſericors Deus, qui mor-
„ tem non invenit, nec lætatur in perditione vivorum? moriemurne
„ in peccatis noſtris? & quid facies tu Sacerdos? quibus emolumentis
„ tot Eccleſiæ detrimenta penſabis? " Sic autem reſpondet ipſe: " Ac-
„ cipite remedium, ſi deſperare cœpiſtis, ſi miſeros vos agnoſcitis, ſi
„ timetis. " Ergo ibi Pacianus ſequens majorum conſuetudinem Pœnitentiam quidem modo oſtentabat, modo celabat; de quo nonnihil ſupra attigimus, ſed nunquam eam inficiatus eſt.

ARTICULUS V.

An quoddam ſit peccatum irremiſſibile.

AD pleniorem eorum quæ hactenus diſputavimus notitiam, inquirendum adhuc reſtat, an non ſit aliquod ſcelus, quod veniam omnino invenire non queat, etiam apud Deum.

Illud autem dupliciter poteſt intelligi: 1. enim ambigi poteſt an non quiſpiam aliquando propter facinorum gravitatem ac multitudinem ita deſeratur a Deo, ut ab eo poſthac Pœnitentiæ donum nunquam obtineat; de quo ubi de gratia: 2. An non ſit aliquod crimen quod juxta ordinarias Dei leges remitti non poſſit, quantacunque demum Pœnitentia agatur, quod hic expendemus propter Novatianos & nonnullos Theologos e ſchola.

Novatiani nempe licet affirmarent graviorum etiam peccatorum reos veniam a Deo & ſperare & accipere poſſe, quam ipſi tamen negabant, & eum in finem duros eis Pœnitentiæ labores indicerent, ut conſtat cum ex aliis, tum præſertim ex Socrate *hiſt. lib.* 4. *cap.* 13.

ii nihilominus identidem argumentis utebantur, quæ ſpem omnem iis præcidere viderentur, ut legere eſt apud Ambroſium *lib.* 1. *de & 2. de Pœnitentia* & Pacianum *epiſt.* 2.

Ricardus vero Armachanus *lib.* 9. *quæſtionum Armenor. cap.* 27. ait probabile eſſe, quod grandiora quædam crimina ſint, quæ nulla Pœnitentia expiari queant.

ASSERTIO.

Nullum eſt peccatum quod Pœnitentia, & venia deleri non poſſit.

Probatur 1. ex Scripturis.

Primo enim Prophetæ paſſim Judæos, qui horrendis criminibus erant implicati, cohortari non deſinunt, ut Pœnitentiam agant, veniamque iis Dei nomine pollicentur: verbi cauſa, Iſaias cap. 1. verſ. 16. *Lavamini*, inquit, *mundi eſtote...quieſcite agere perverſe, diſcite bene facere .... & venite, & arguite me, dicit Dominus; ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*, idem fere habet *cap.* 55. Adde Jeremiam *cap.* 18. *&c.*

Secundo Deus apud Ezechielem non tantum eodem modo loquitur cap. 18. 21. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt .... vita vivet, ... omnium iniquitatum ejus non recordabor:* ſed & rationem ſubjicit, cur eos tam amanter invitet ad Pœnitentiam: *Numquid voluntatis meæ eſt*, inquit v. 23. *mors impii? .... & non ut convertatur a viis ſuis & vivat?*

Tertio Joel cap. 2. verſ. 31. veniam cuilibet Pœnitenti abſque diſcrimine ſperandam eſſe docet. *Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit.*

Quarto Chriſtus in Evangelio cum Apoſtolis peccatorum remittendorum poteſtatem dedit, nullum excepit.

Quinto Petrus Epiſtola prima cap. 2. verſ. 9. Dei miſericordiam prædicans, *nolens* inquit, *aliquos perire, ſed omnes ad Pœnitentiam reverti.*

Probatur 2. e ſanctis Patribus.

Hilarius *in cap.* 18. *Matth.* " Neque fas eſt, inquit, nos ex præſcripto legis dandæ veniæ numero concludi; cum per Evangelii gratiam ſine modo fuerit nobis a Deo indulta. "

Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 4. " Omnibus converſis, inquit, pollicetur veniam: quia ſcriptum eſt, *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* "

Hieronymus *Epiſt. ad Oceanum de bigamia*: " Fruſtra mortuus eſt Chriſtus, inquit, ſi aliquos vivificare non poteſt. Mentitur Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum & voce demonſtrans, *Ecce Agnus Dei;*

" *ecce*

„ *ecce qui tollit peccata mundi*, ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus „ peccata non tulerit. “

Sanctus Auguſtinus, cum alicubi dixiſſet peccatum aliquod eſſe quod nullatenus remitti poſſit, illud *lib.* 1. *retract. cap.* 19. revocans “Addendum „ fuit, inquit, ſi in hac tam ſcelerata mentis perverſitate finierit hanc vi- „ tam: quoniam de quocunque peſſimo in hac vita conſtituto, non eſt „ utique deſperandum, nec pro illo impudenter oratur, de quo non deſ- „ peratur. “

Idem invenies apud Baſilium *ad virginem lapſam*, Chryſoſt. *in duabus Epiſt. de reparat. lapſi*, & alios bene multos, quos vide apud Natalem Alex. *tom.* 6. *pag.* 725.

Probatur 3. auctoritate Eccleſiæ.

Primo enim capitulo Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. *tom.* 11. *Concil. pag.* 144. habetur iſta ſententia: “ Si poſt ſuſceptionem Ba- „ ptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſem- „ per Pœnitentiam reparari. “

Probatur 4. exemplis e Scriptura ductis. Quis enim, verbi cauſa, Rex unquam pejor fuit Manaſſe Ezechiæ filio, cujus immania ſcelera deſcribuntur 4. *Regum* 12. & 2. *Paral.* 33. At is tamen Pœnitentia ſua placavit Deum, ut ibidem narratur. An execrabilius nefas admitti unquam potuit quam a Judæis qui Dominum Jeſum necaverunt? At non tantum Chriſtus pro iis oravit, ſed & Petrus Act. 2. poſtquam verſu 23. eos alloquens dixerat: *hunc per manus iniquorum affigentes interemiſtis*: ſic, ne deſperarent, ſubjicit verſ. 38. *Pœnitentiam agite . . . in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*. Vide & Act. 7. v. 51. & 58. Quis impietate unquam ſuperavit Simonem Magum? Eum nihilominus ad Pœnitentiam hortatur Petrus. Act. 8. v. 22.

Probatur 5. ratione. Ubique enim Deus in Scripturis peccatores impellit ad Pœnitentiam, & graviſſimas minas intentat iis qui ad ſe reverſi non fuerint. At, quemadmodum acute Tertullianus monet *de Pœnitentia cap.* 8. “ Non comminaretur non Pœnitenti, ſi non ignoſceret Pœni- „ tenti. “

Objicies 1. illud Heli ad filios ſuos 1. Reg. 2. 25. *Si peccaverit vir in virum, placari poteſt ei Deus: ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Igitur peccata in Deum admiſſa remitti nequeunt, cum pro iis nemo orare poſſit.

Distinguo conſequens: remitti nequeunt ita facile; concedo: prorſus; nego. Hæc enim eſt ſententia illius loci: quod nimirum longe difficilius remittantur peccata in Deum quam in homines admiſſa, utpote quæ ſint graviora. Atque id optime animadvertit Ambroſius *lib.* 1. *de Penitentia cap.* 9. *num.* 4. Novatianis enim reſpondens, qui iiſdem verbis abutebantur, notat, non eſſe dictum, *ullus orabit*; ſed, *quis orabit?* quia ad Deum tali in caſu exorandum, opus eſt

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

homine ſingularis apud eum gratiæ, qualis, verbi cauſa, Moſes fuit, qui Deum Judæis ob idololatriam iratum placavit. " Non enim ſcri-
„ ptum eſt, inquit, *nullus orabit pro eo*, ſed, *quis orabit*? Hoc eſt,
„ quis ille ſit qui in tali cauſa orare poſſit, quæritur, non excludi-
„ tur. " Reſponſionem autem ſuam deinde ſimili locutione confirmat.
„ Denique habes, inquit, in pſalmo 14. *Domine, quis habitabit in ta-*
„ *bernaculo tuo?* . . . Non enim nullus, ſed probatus habitabit . . . .
„ Similiter igitur accipiendum: *Quis orabit pro eo?* hoc eſt: ſingula-
„ ris vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccavit in Dominum: quo
„ major culpa eo majora ſunt quærenda ſuffragia. " Tum adducit exemplum Moſis *Exodi* 31. " Non enim, inquit, quicumque de vulgo pro Ju-
„ dæorum populo, ſed Moyſes rogavit, quando vituli caput, fidei imme-
„ mores, adoraverunt. "

Objicies 2. illud Dei ad impios Prov. 1. 25. *Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit . . . . . tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane conſurgent, & non invenient me*, & Jeremiæ cap. 14. verſ. 11. *Noli orare pro populo iſto in bonum: cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum.*

Respondeo 2. hoc pertinere potiſſimum ad primam controverſiæ partem, quam hic non tangimus; an videlicet Deus aliquando penitus deſerat certos peccatores, quod hic & alibi ſignificari volunt multi Theologi. Sic Amos 1. 3. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam*: Matth. 23. 32. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum*. Luc. 19. 42. *Si cognoviſſes & tu (Jeruſalem) & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis . . . . eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*: Joan. 12. 39. *Propterea non poterant credere, &c.* Atque hæc quidem qua ratione ſint intelligenda non jam diſputatur: Non defuerunt autem Theologi, qui ejuſmodi peccatores a Deo penitus deſeri judicaverint, de quibus Vaſquez *in prima parte diſp. 97. cap. 2.* " Sunt, inquit, non pauci nec
„ infimi nominis Theologi qui cenſent interdum propter priora pec-
„ cata ita deſtitui homines per aliquam certam periodum vitæ, ut nec
„ ſufficiens, nec neceſſarium eis concedatur auxilium, quo obſervare
„ valeant mandata credendi, Pœnitentiæ, & alia ejuſmodi, atque peccata devitare. " Tum inter eos memorat Henricum Gandavenſem, Abulenſem, Roffenſem, Cajetanum & Tapperum.

Respondeo 2. iſta dici propterea quod vera tunc non eſſet Pœnitentia, ſed falſa tantum Pœnitentiæ umbra, utpote quæ ex ſolo ingruentis mali timore, non ex ſincera peccatorum deteſtatione, & ſolida Dei charitate concepta ſit. Cum autem pronuntiamus Pœnitentia deleri poſſe omnia peccata; de plena, non adumbrata duntaxat Pœnitentia loquimur.

Objicies 3. illud 2. Machab. cap. 9. 13. de Antiocho pœnitente:

te : *Orabat hic ſceleſtus Dominum , a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.*

Respondeo hanc quoque Antiochi Pœnitentiam non veram , ſed fucatam extitiſſe , nec Dei amore , ſed ſolo doloris ſenſu fuiſſe expreſſam : eum denique non tam Deo ſatisfacere , quam mortem , & mali horrendi , quo cruciabatur , acerbitatem a ſe avertere voluiſſe . Unde Sanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.*1. *art.*1. *quæſtiuncula* 1. *ad* 1. " Dicendum , inquit , quod veniam conſecutus fuiſſet Antiochus , ſi „ vere pœnituiſſet , ſed non habuit veram Pœnitentiam , quia non „ ex amore juſtitiæ de peccatis commiſſis dolebat ; ſed timore pœnæ „ quam expectabat , vel dolore pœnæ quam ſuſtinebat . Et hoc etiam „ multis in fine pœnitentibus contingit , quia non eſt facile ut affe„ ctus , quo homo toto tempore vitæ ſuæ inclinavit in aliquid , ſubito „ ad contrarium retrahatur. "

De hujuſmodi peccatis aiunt in ſchola ea eſſe irremiſſibilia , non ratione ſui , ſed ratione ſubjecti .

Objicies 4. illud , quo Novatiani maxime nitebantur , Chriſti dictum Matth. 12. 31. *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus , Spiritus autem blaſphemia non remittetur . Et quicunque dixerit verbum contra Filium Hominis , remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum , non remittetur ei , neque in hoc ſæculo , neque in futuro :* Ergo remitti non poteſt .

Distinguo conſequens : remitti non poteſt tam facile ; concedo : omnino ; nego . Sic enim loquitur Chriſtus , quia rarius & difficilius remittitur . Ea enim blaſphemia dicitur in Spiritum Sanctum , quia non eſt ex ignoratione & infirmitate , ſed ex certa malitia & contra veritatem cognitam ; quod Phariſæi faciebant , qui cum manifeſtam Dei virtutem in Chriſto diffiteri non poſſent , Spiritus Sancti opera Dæmoni tribuebant . Dicitur autem peccatum in Spiritum Sanctum , non quod non ſit etiam in Patrem & Filium , ſed quod Spiritui Sancto adſcribatur operatio miraculorum , & benigna mentis illuſtratio ad cognoſcendam veritatem . Duæ porro cauſæ ſunt , cur difficilius remittatur : prima eſt , quod directa fronte petat Spiritum gratiæ , qua peccata delentur : ſecunda quod nihil habeat quo excuſari poſſit , non ignorationem , non infirmitatem . Neque vero mirum eſſe debet , quod dicat Chriſtus unum peccatum remittendum , alterum vero non item , ad ſignificandam majorem difficultatem . Ea enim eſt Hebræis uſitata loquendi ratio : ſic Iſaiæ 54. 10. *Montes commovebuntur , & colles contremiſcent : miſericordia autem mea non recedet a te .* Hoc eſt , Potius montes commoverentur & colles contremiſcerent , quam miſericordia mea recederet a te . Sic Matt. 5. 18. *Amen quippe dico vobis ,* inquit Chriſtus , *donec tranſeat cœlum & terra , iota unum aut unus apex non præteribit a lege , donec omnia fiant .* Quod Lucas 16. 17. clarius exprimit , *Facilius eſt cœlum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere .*

Ita hunc locum explicat Chryſoſtomus *hom.* 24. *in Matt.* ubi ſic ait : " Spiritusne, inquies, blaſphemiæ non dimittetur pœnitentibus ? quod „ omnino falſum eſſe patet : nam & hoc peccatum dimiſſum ſcimus ; „ cum multis eorum , qui talia in Spiritum dixerant , ignotum eſſe „ conſtet. Quid igitur eſt quod dicit? Significare voluit, multo minus „ cæteris eſſe ignoſcibile ac veniale. Quam ob rem? quia videlicet „ quiſnam eſſet Chriſtus ignorabant : Spiritus autem Sancti gratia „ multis & magnis ſignis ſe ipſam manifeſtaverat. "

Et vero, ut obſervat hic Chryſoſtomus, multi Judæorum fuerunt, qui, cum Chriſto diu adverſati fuiſſent ac reſtitiſſent, ad eum poſtea converſi ſunt, ut ex hiſtoria Actorum manifeſtum eſt : ac proinde non erat illud peccatum omnino irremiſſibile.

Qui plura de hac blaſphemia volet, adeat Bellarminum *libro 2. de Pœnit. cap. 16.* & Maldonatum *in ſuis ad Matthæum Commentariis* de illa fuſius diſputantes.

Objic. 5. illud Apoſtoli ad Hebr. 6. 4. *Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus-Sancti, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad Pœnitentiam; rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, &c.* Ergo, &c.

Disting. antecedens : impoſſibile eſt renovari ad Pœnitentiam ante baptiſmum, id eſt, ad baptiſmum ; concedo antecedens : ad Pœnitentiam poſt baptiſmum? ſubdiſtinguo : impoſſibile eſt, hoc eſt, difficile ; concedo : omnino impoſſibile ; nego. Itaque duplex eſt horum Apoſtoli verborum intellectus.

Primo enim Ambroſius, Chryſoſtomus, Cyrillus apud OEcumenium, Auguſtinus *in expoſitione incboata Epiſt. ad Rom.* Theodoretus, Theophylactus & alii vulgo veteres ea accipiunt de Pęnitentia quæ Baptiſmo præmittitur, ſeu de ipſo baptiſmate ; atque id multa ſuadere videntur. 1. nomen Pęnitentiæ, quod non videtur alia ratione illic ſumi quam verſu 10. ubi ſic habetur : *non rurſum jacientes fundamentum Pęnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum* ; quod certe de baptiſmi Pęnitentia intelligitur. 2. particulæ iſtæ *ſemel* & *rurſus*, quas veroſimile eſt in rem eandem cadere : at cum ait Paulus, *qui ſemel ſunt illuminati*, de Baptiſmo haud dubie ſermonem habet : ergo cum addit *rurſus renovari*, de Baptiſmatis iteratione loquitur. 3. cauſa quam affert Apoſtolus cur impoſſibilis ſit iſta renovatio ; quia nempe hoc eſt rurſus crucifigere Chriſtum : id autem longe melius quadrat in Baptiſmum. Nam qui baptizatur, juxta Apoſtolum, conformatur Chriſti morti, Rom. 6. 3. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu in morte ipſius baptizati ſumus ; conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem.* Ac proinde iterum baptizari, eſt quaſi Chriſtum ſecundo crucifigi. 4. nomen ipſum renovationis. Baptiſmus enim ad Tit. 3. 5. vocatur *lavacrum regenerationis & renovationis*. 5. denique ſcopus Apoſtoli. Ibi enim rationem reddit, cur ad perfectiora provehatur, nec rurſus

tradat

tradat rudimenta fidei ; qualia traduntur, cum de Baptiſmo cogitatur.

Secundo alii, Origenes & Theognoſtus apud Athanaſium *epiſt.* 4. *ad Serapion.* Anſelmus & plurimi recentiores locum hunc referunt ad Pęnitentiam quæ poſt Baptiſmum agitur. Et ad eam quidem illum eſſe referendum contextus ipſe adeo clare ſignificat, ut ea de cauſa diu a multis in Eccleſia Latina in Canonem recepta non fuerit iſthæc epiſtola, quod videretur ſcilicet favere Montaniſtis & Novatianis. Et vero nomen Pęnitentiæ, quæ poſt Baptiſmi mentionem ponitur, hanc juvat interpretationem : juvat etiam argumenti ſeries. Adde quod comparet Apoſtolus hominem, qui in peccata labitur, terræ maledictæ, quod poſt acceptum cęli rorem proferat tantum ſpinas & tribulos, & cujus conſummatio ſit in combuſtionem : quod innuit hujuſmodi hominem prius accepiſſe Baptiſmatis gratiam, illique non tantum non ſupereſſe alterum Baptiſma, ſed nullum aliud remedium. Denique ſimilis nec minus dura ſententia eſt cap. 10. 26. ubi ſic Paulus ait, *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* At dubium nullum eſt quin hoc de Pęnitentia poſt Baptiſmum intelligatur : ergo nihil eſt cur alter locus de eadem non exponatur.

Quidquid id eſt, jam patet reſponſio.

Si enim ad Baptiſmum pertineat locutio, impoſſibile profecto eſt hominem, qui in peccata poſt Baptiſmum lapſus fuerit, eo renovari; non enim iteratur.

Si autem ſpectet ad Pęnitentiam poſt Baptiſmum, *impoſſibile* idem eſt quod *difficile*. Alioqui non tantum eſſet aliquod peccatum irremiſſibile poſt Baptiſma, ſed omnia eſſent poſt Baptiſmum irremiſſibilia. Porro autem hoc nulli unquam in mentem venit, ne Montaniſtis quidem & Novatianis : ergo omnes neceſſario debent locum illum ſic interpretari. Jam vero nemo diffiteatur peccata gravia poſt Baptiſmum difficillime reparari, maxime ſi quis ultro a Chriſti fide deficiat, quo videtur hic Apoſtolus reſpicere, ut & *cap.* 10. 26. *ſupra*. Si enim vera Pęnitentia adeo rara eſt, ut Ambroſius dicat ſe plures inveniſſe qui innocentiam baptiſmalem ſervaverint, quam qui amiſſam Pęnitentia reparaverint; quanto rarior eſt hujuſmodi deſertorum?

Objic. 6. illud ejuſdem Apoſtoli de Eſau in eadem Epiſtola, cap. 12. 17. *Scitote enim quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt : non enim invenit Pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.*

Respond. hoc ad rem non pertinere ; ibi enim ſermo non eſt de pęnitentia Eſau, ſed de pęnitentia Iſaac : cum enim vellet Eſau benedictionem ab Iſaac datam Jacobo fratri ab eo reſcindi, repulſam paſſus eſt, nec invenit in patre pęnitentiæ locum, qua illam revocaret.

Objic. 7. illud Joannis Epiſt. 1. 5. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare pec-*

re peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.

Respondeo hoc non dici de eo ipſo, qui peccavit, quaſi non poſſit rogare Deum, & Pęnitentia veniam conſequi: ſed de alio qui viderit fratrem ſuum peccantem. Non prohibet tamen Apoſtolus quominus oremus pro aliis qui ita prolabuntur: ſed innuit non ita certum fore precationis effectum. Si quis enim pro ſe ea quæ ad ſalutem ſpectant pie ac perſeveranter petat, certo id quod poſtulat a Deo impetrabit: ſed non item, ſi pro alio petat. Quanto magis, ſi ille alius quoddam ingens flagitium admiſerit?

Atque hæc e Scripturis: jam ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus.

Objicies 8. Hermam, qui *lib.* 3. *ſimilitudine 6. num.* 2. de hominibus loquens qui poſtquam nomen Domini nefandis inſectati eſſent verbis, ſe totos tradiderant hujus ſæculi deſideriis, " Iis, inquit, non eſt „ per Pęnitentiam regreſſus ad vitam. Hujuſmodi homines morti ſunt „ deſtinati. " Idem fere de iiſdem profert *ſimilitudine* 8. *num.* 8. idem de proditoribus ſervorum Dei *ſimilitudine* 9. *num.* 19.

Respond. hoc quidem argumento eſſe poſſe, quod ejuſmodi homines vulgo deſerantur a Deo, & tradantur in reprobum ſenſum; ita ut vix ac ne vix quidem ab inſania ſua ſe unquam recipiant: non autem quod peccata id genus veniam obtinere non poſſint, ſi vera & ſincera Pęnitentia accedat.

Objic. 9. illud Clementis, ſeu ignoti potius ac recentioris ſcriptoris *Apoſtolicarum conſtitutionum lib.* 2. *cap.* 23. de impio qui directa fronte impetit Deum, quaſi rerum humanarum curam non gerat, nec malos aliquando ſit ſuppliciis affecturus, " Hujuſmodi, inquit, venia ca„ rebit. ".

Disting. antecedens: quia vix contingit ut Pęnitentiam agat; concedo: ſi agat; nego. Ita loquitur Scriptor ille, quod qui prolapſus ſit ex certa ac deſtinata animi malignitate in hoc impietatis barathrum, rariſſime ex illo emergat: mirum autem non eſt ſi non ignoſcat Deus non pęnitentibus. Cæterum ſi hujuſmodi impios pęniteret ſceleris, non prohiberet Auctor eos ſuſcipi. Ipſe enim paulo poſt *cap.* 24. " Epiſcopus „ obſervet, inquit, ut qui non peccaverunt, ſine peccato maneant: Item „ converſos a peccatis, poſtquam ſanaverit, recipiat: ſin vero Pęniten„ tem, immiſericors ipſe non admiſerit, delinquit in Dominum Deum „ ſuum .... Hunc ad iram provocant qui pœnitentes excludunt. " *Cap.* autem 13. de quocumque homine Pœnitente: " Reſipiſcentem, inquit, „ vehementer caſtigatum ſuſcipe. " *Cap.* 14. " Si vero Pęnitentem non „ admiſeris, inſidiatoribus deditituum præbes .. Igitur Pęnitentem reci„ pe; nec te ullatenus dubitare faciant aut a propoſito retrahant, qui „ immiſericorditer dicunt non oportere cum hujuſmodi coinquinari, ne„ que vel ſermone communicare. " Et vero Cedrenus *tom.* 4. 1. *p.* 4. eandem auctoris illius ſententiam laudat & ſequitur. Quis autem inde inferat

ferat ævo Græculi hujus recentiſſimi peccata quædam habita eſſe pro irremiſſibilibus. Ergo ex iis verbis id colligi non poteſt.

Objic. 10. Origenes & Theognoſtus, teſte Athanaſio *Epiſt.* 4. *ad Serap. num.* 9. dixerunt eos, qui poſt Baptiſmum ad peccata recidunt, remiſſionem non conſecuturos, quia omnia Baptizatorum peccata ſunt veluti totidem blaſphemiæ in Spiritum-ſanctum: cujus quidem opinionis veſtigia adhuc impreſſa ſuperſunt apud Origenem *tom.* 2. *in Joan. cap.* 57.

Dist. antecedens: veniam non conſecuturos niſi difficillime; concedo: omnino; nego. In hoc quippe Origenis ac Theognoſti placito duo includuntur: 1. quod nullum ſit Baptizatorum grave peccatum, quod non ſit blaſphemia in Spiritum-ſanctum: quæ ſententia ſingularis eſt nec Evangelio certe conſentanea: 2. quod nullum ejus generis peccatum ſit, quod non ſit irremiſſibile. Porro hoc poſtremum affirmant, eo quod difficilius remittatur; non quod remitti nullatenus queat. Duo nempe diligenter in ſcriptis Patrum ſunt animadvertenda, cum de peccatis mentionem faciunt: unum, quod ita extenuent peccata ante Baptiſmum commiſſa, ut nulla aut fere nulla eſſe videantur, (quod dudum obſervavit Albaſpineus *lib.* 2. *Obſerv. cap.* 1.) alterum, quod ita exaggerent peccata poſt Baptiſmum perpetrata, quaſi nulla jam venia donari poſſint; ac præſertim paulo graviora. Non enim ea eſt tantum Origenis, & Theognoſti loquendi ratio, ſed & Clementis Rom. *Ep.* 2. *ad Cor.* Irænei *lib.* 4. *cap.* 45. Paciani *ſupra* & *ſerm. de Baptiſmo*, Didymi *de Spiritu-Sancto*, *tom.* 9. *bibl. Patrum p.* 53. Epiphanii *Hæreſi* 59. *num.* 5. Hieronymi *Ep. ad Demetriadem cap.* 8. &c. Sed an idcirco illi omnes arbitrati ſunt peccata hujuſmodi eſſe prorſus irremiſſibilia? Neutiquam profecto. Qui enim ibi dicunt eſſe irremiſſibilia, iidem alibi aſſerunt eſſe remiſſibilia. Imo Pacianus & Epiphanius eodem in loco utrumque ſimul pronuntiant, quod nempe irremiſſibilia ſint ſine gravi & laborioſa Pœnitentia, quæ rara eſt; & remiſſibilia tamen ſint, ſi ea adſit qua eluantur. Ut ut ſit, id certe immerito affingitur Origeni, quo nemo diſertius unquam definiit peccantibus poſt Baptiſmum adhuc reſtare ſpem pœnitendi. *Tomo* enim 15. *in Matth.* conceptis verbis docet, ſi quis poſt Baptiſmum ſit prolapſus, eum Pœnitentia reparari poſſe. Quid quod Origenes Pœnitentiæ patrocinium cepit ex profeſſo adverſus Celſum Chriſtianis exprobrantem, quod etiam poſt Baptiſmum homines variis ſceleribus inquinatos reciperent in ſocietatem ſuam, ſi eos pœniteret: " Rurſum reſipiſcentes, inquit *lib.* 3. haud ſecus quam redivi- „ vos recipiunt tandem poſt longiorem melioris mentis approbationem; „ ea tamen conditione, ut, quoniam lapſi ſunt, in poſterum excludan- „ tur ab omnibus dignitatibus Eccleſiaſticis:" quod fuſe ibidem proſequitur. Æquum vero eſt ut idem de Theognoſto judices, cujus nulla integra ad nos opera pervenerunt. Et ſane Athanaſius ipſe monet utriuſque ſententiam inquiſitione adhuc indigere, ne forte profundior in ipſis eorum dictis mens lateat.

Objic.

Objic. 11. Sanctum Cyprianum, qui *libro 3. teſtim. ad Quirin. cap.* 28. id oſtendendum ſibi proponit, non poſſe ſcilicet in Eccleſia remitti ei, qui in Deum deliquerit. Id autem probat ex verbis Heli 1. *Reg.* & Chriſti, de blaſphemia in Spiritum-Sanctum. Ejuſdem auctoritate abutuntur Novatiani apud Pacianum *Epiſt.* 3. quod *Tract. de lapſis*, dixerit Noe, Jobum & Danielem pro improbis oraſſe, nec veniam a Deo impetraſſe.

Respondeo minime omnium opponi poſſe Cyprianum, quippe qui nedum in hanc immiſericordem, quam convellimus, opinionem abjerit, ad mortem uſque decertarit contra Novatianos, & eos ſemper crudelitatis & inclementiæ accuſaverit, quod lapſos a ſpe communionis ac pacis arcerent, ut liquet ex pluribus ejus epiſtolis, ac præcipue ex *Epiſt. ad Antonianum*. Multo autem magis mirandum eſt, quod eum laudarint quondam Novatiani, quaſi faventem ſibi; adeo ut hinc manifeſtum ſit quanta prudentia quamque juſtis ponderibus tractanda ſint & examinanda veterum ſcripta. Primum igitur Cypriani locum accipe de difficultate veniæ; ſecundum de incerto ſucceſſu precum, quas juſti fundunt in gratiam aliorum, ſi ipſi nimirum Pœnitentiam non agant, quales erant Judæi, pro quibus orarunt Noe, Job & Daniel. Scilicet Cyprianus alloquitur lapſos, qui Martyrum precibus ac libellis nimium confiſi, ſtatim & abſque ſolito Pœnitentiæ curriculo veniam ſibi concedi impudenter flagitabant: ſed preces etiam Martyrum irritas fore abſque ullo Pœnitentiæ ſenſu oſtendens, adducit in exemplum, Dei apud Prophetam de Noe, Job & Daniele dictum: tumque ſic concludit: " Adeo non omne quod petitur, in præjudicio petentis, ſed in „ dantis arbitrio eſt. " Id confirmat Pacianus: reponens enim Novatianis, qui Cyprianum obtendebant; " Sed Noe, inquit, Job & Da„ niel filios ſuos & filias liberare non potuerunt. Et hoc tale eſt; ſi „ pro non rogantibus petunt, ſi pro perſeverantibus in crimine depre„ centur. "

Obj. 12. S. Athanaſius *Epiſt.* 4. *ad Serap.* explicans quid ſit illa in Spiritum-Sanctum blaſphemia, ait, certum eſſe peccatum, quo Divinitatis opera Diabolo ejuſque dæmonibus attribuuntur: in quam impietatem incidiſſe affirmat Phariſæos tempore Chriſti, & ævo ſuo Arianos, qui Chriſti divinitatem inficiabantur: eorum autem ex æquo culpam centies ibi ſtatuit eſſe irremiſſibilem. Ergo.

Dist. min. eſſe irremiſſibilem, hoc eſt difficilius remittendam; concedo: plane irremiſſibilem; nego. Quod enim nolit eam eſſe penitus irremiſſibilem, pluribus momentis iiſque certiſſimis & evidentibus demonſtrari poteſt. 1. enim ibi tantum quærit, quænam ſit illa blaſphemia in Spiritum-Sanctum: qua autem ratione eſſet irremiſſibilis, nec inveſtigat, nec decidit: adeoque irremiſſibilitatem illam, ut ita dicam, relinquit prout in Evangelio jacet, nihil addens, nihil augens. 2. Cum *ibid.* peccata in Chriſtum ut hominem admiſſa diſtinguit ab iis quibus divi-

divinitas ejus violatur, ait priora illa remiſſionem conſequi FACILE ac CITO; *num.* 15. " Magnopere quidem peccant, inquit; poſſunt tamen „ CELERITER Pœnitentiam agendo veniam conſequi. " *Ibid.* " CITO „ reſipiſcentibus veniam Chriſtus donare poteſt &c. " ergo alia in divinitatem admiſſa in eo ſolum opponuntur ac dicuntur irremiſſibilia, quod non ita facile, nec tam celeriter dimittantur.' 3. Ejuſdem plane generis & ordinis atque irremiſſibilitatis illud Phariſæorum crimen eſſe putavit, cujus olim fuerat Judæorum ſcelus, cum vitulum aureum adoraverunt, *ibid. num.* 16. At conſtat hoc Judæorum nefas non fuiſſe omnino irremiſſibile, cum iis veniam impetraſſe legatur Moſes *Exodi* 32. 4. Comparat hanc Phariſæorum blaſphemiam in Spiritum-Sanctum cum Arianorum impietate, *ibid. num.* 23. & utrumque ſcelus pariter eſſe irremiſſibile pronuntiat. Similiter *Epiſt.* 1. *ad eamdem num.* 3. & *Epiſt.* 3. *num.* 7. definit Pneumatomachos blaſphemare in Spiritum-Sanctum: ergone idcirco exiſtimavit venia donari non poſſe Arianos & Pneumatomachos, ſi in Eccleſiæ ſinum redire vellent? Nequaquam. Ipſe enim *ibid. Epiſt.* 3. *num.* 7. hortatur Pneumatomachos ad Pœnitentiam: " „ Fortaſſe enim, inquit, vel ſero tandem reſipiſcentes, ante inſitum „ errorem abſtergent ab anima ſua. " Arianos vero ipſe admiſit in ſynodo Alexandrina anno 362. & hæreſeos quidem Auctores & artifices gradu, ſi quem haberent, deturbari voluit; reliquos vero etiam cum priſtinis dignitatibus recepit: de quo vide Benedictinos in vita Athanaſii, ad annum 362. *num.* 9.

INST. Athanaſius *num.* 3. refellit opinionem Origenis & Theognoſti, qui cenſebant omne peccatum hominis baptiſati eſſe blaſphemiam in Spiritum-Sanctum, refellit, inquam, ex eo quod Paulus Corinthium abſolverit, imo & in eum charitatem confirmari voluerit, & quod Galatas retrorſum abeuntes parturiret, donec formaretur iterum in eis Chriſtus: ergo blaſphemiam ejuſmodi remitti nec debere, nec poſſe arbitrabatur.

DIST. conſequens: remitti nec debere nec poſſe ita facile; concedo: omnino; nego. Nam hæc quam deſcribit Pauli erga Corinthium & Galatas agendi ratio plena benignitatis, ſummam in Apoſtolo indicabat ad ignoſcendum propenſionem: at non ita agendum eſſe credebat cum iis qui blaſphemiæ in Spiritum-Sanctum rei forent.

INST. Atqui de irremiſſibilitate abſoluta, ut loquuntur, quæſtio erat; nam *ibid. num.* 13. arguit Origenem & Theognoſtum, quod nempe, ſi eorum ſententia obtineat, jam nihil ſit cur Novatianos culpemus: „ Cur, vero, inquit, Novatum culpamus Pœnitentiam tollentem, & „ dicentem nullam ſupereſſe iis veniam; qui poſt lavacrum peccave„ rint, ſi hæc verba de illis qui poſt lavacrum peccaverint dicta fue„ re? " At ſine dubio Novatiani admittebant peccata illa eſſe omnino irremiſſibilia.

DIST. antecedens: nihil ſit cur Novatianos culpemus in hypotheſi eorum

eorum qui ſtatuunt ab ipſis irremiſſibilitatem fuiſſe extenſam ad omne peccatum poſt Baptiſma admiſſum; concedo: ſecus; nego. Scilicet e veteribus nonnulli de Novatianis ita locuti ſunt, quaſi omnia omnino peccata poſt Baptiſmum admiſſa irremiſſibilia eſſe ſancirent: quod ſupra notavimus. Atque ad eos accedit hic Athanaſius: ſentit enim Novatianos blaſphemiam illam, de qua Chriſtus in Evangelio, interpretatos eſſe de omni poſt Baptimum peccato, quod ſibi videbatur eſſe irremiſſibile. Quocirca duo in iis Hæreticis reprehendi poterant & reprehendebantur, ut modo patebit ex Paciano, Ambroſio & Hieronymo: primum, quod contenderent quicumque poſt Baptiſmum graviter delinqueret, eum blaſphemare in Spiritum-Sanctum: alterum, quod inde inferrent ejuſmodi peccata eſſe plane irremiſſibilia. Primum hic tantum ſpectat Athanaſius; quia in eo ſolo conſentiebant cum Novatianis Origenes ac Theognoſtus. Quod autem attinet ad alterum caput, illud ibi non attingit; alibi vero clariſſime definit id blaſphemiæ genus poſſe deleri Pœnitentia: libro enim *de communi eſſentia Patris & Filii, & Spiritus-Sancti*, (quem tamen nonnulli ipſi abjudicant) *cap.* 49. cum de hac blaſphemia multa diſſeruiſſet conſentanea iis quæ leguntur *in Epiſt.* 4. *ad Serapionem*, quam expendimus, " Quin & hoc „ obſervandum eſt, inquit, non dixiſſe Chriſtum; ei qui blaſphemaverit ac Pœnitentiam egerit, remiſſionem dandam non eſſe; ſed blaſ„ phemanti, id eſt in blaſphemia permanenti; quandoquidem nullum „ eſt peccatum irremiſſibile apud Deum illis qui vere, ex animo, & „ ut par eſt, Pœnitentiam agunt. " Hæc ibi Athanaſius, ſeu quis alius Auctor, bonus certe & ejuſdem ætatis: quiſquis autem ſit, nobis perinde eſt, cum Eccleſiæ ſententiam illic proferat, a qua nemo eſt qui ſuſpicari poſſit Athanaſium abiiſſe.

Obj. 13. S. Pacianus *Epiſt.* 3. *pag.* 64. reſpondens Semproniano, uni e Novatianis, qui aſſerebat illud Chriſti pronuntiatum de omni peccato, & de blaſphemia in Filium remittenda, & de blaſphemia in Spiritum-Sanctum non remittenda, extendi ad omnia peccata graviora poſt Baptiſmum, ac proinde ea irremiſſibilia eſſe, ſic contra ait: " Aut ego „ fallor, aut iſtud exemplum contra te valet. Nam ſi omne peccatum „ & blaſphemia relaxabitur, video veniam Pœnitentibus non negari.... „ ſed *qui in Spiritu-Sancto blaſphemaverit*, ait, *non remittetur ei*. Soles „ totas percurrere Lectiones; cur hic non legiſti quid ſit iſtud *in Spiri„ tu-Sancto*? .... Hoc eſt in Spiritum-Sanctum deliquiſſe, in ea blaſphe„ maſſe, quæ per Spiritum-Sanctum gerebantur: in cæteris quippe pec„ catis aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate „ ſuperamur: hæc cæcitas eſt, non videre quod videas, & Spiritus„ Sancti opera Diabolo deputare..... Hoc eſt ergo quod non dimitti„ tur: reliqua bonis Pœnitentibus, Semproniane frater donantur. " Ergo ſaltem blaſphemia illa irremiſſibilis eſt.

Respondeo Novatianos, ut jamjam ad Athanaſium animadverteba-

bamus, ita ratiocinari conſueviſſe: Omne peccatum grave poſt Baptiſma admiſſum eſt blaſphemia in Spiritum-Sanctum, de qua in Evangelio: atqui blaſphemia illa eſt irremiſſibilis: ergo omne peccatum grave poſt Baptiſma prorſus irremiſſibile eſt. Jam vero poterat utraque prior propoſitio a Catholicis negari nulloque negotio confutari; & utramque negat ac refellit Ambroſius *lib. 2. de Pœnitentia cap. 4.* quem legere operæ pretium fuerit; ſed Pacianus minorem Novatianis permittit, quamvis eam non concedat: totus autem hæret in majore, & evincit non omne peccatum poſt Baptiſma dici poſſe blaſphemiam in Spiritum-Sanctum, quidquid ſit tandem de hujuſce blaſphemiæ irremiſſibilitate, quam non vult expendere. Et vero eadem plane cum Paciano ratione loquitur Ambroſius *ſupra*, adeo ut prima fronte videatur agnoſcere, blaſphemiam illam eſſe penitus irremiſſibilem: ſed poſtea mentem aperit circa illam irremiſſibilitatem, eamque refellit, ſubjungens paulo poſt omnem qui invocaverit nomen Domini ſalvum fore, & hoc eodem blaſphemiæ peccato teneri Hæreticos, ac Schiſmaticos, qui dubio procul in ſalutis viam redire poſſunt.

Objicies ultimo. Hieronymus *Epiſt. 149. ad Marcellam*, confutans Novatianum, qui dicebat omne crimen poſt Baptiſmum, ac præſertim Chriſti coram Tyrannis negationem eſſe illam blaſphemiam in Spiritum Sanctum quæ juxta Chriſtum nunquam remittetur. „ Probet .... Novatianus, inquit, aliquem de iis qui ſacrificare compulſi ſunt ante tribunal Judicis, reſpondiſſe omnia quæ in Evangelio ſcripta ſunt ..... & tunc poterit approbare irremiſſibilem in Spiritum Sanctum eſſe blaſphemiam .... Doceat aliquem negatorem Beelzebub vocaſſe Chriſtum, & ultro referam gradum, negatorem non poſſe veniam conſequi poſt ruinam. Aliud eſt tormentis cedere, & ſe Chriſtianum negare: aliud Chriſtum Diabolum vocare. " Unde ſic diſputare licet: Qui dat illud Novatianis, quod nimirum, ſi negatio Chriſti ſit blaſphemia in Spiritum Sanctum, ea ſit irremiſſibilis, ut illi ſentiebant, is ſaltem putat blaſphemiam eſſe omnino irremiſſibilem: atqui Hieronymus, &c. Ergo.

Distinguo majorem: qui illud dat & concedit ut verum; concedo: qui illud dat nec concedit tamen, ſed tantum permittit, quia rem iſtam non attinebat excutere; nego. Eadem via incedit Sanctus Hieronymus, qua modo Pacianus: atque adeo utrique eadem eſt reſponſio adhibenda.

Sic arguebant Novatiani: Quicumque negat Chriſtum ante tribunal Judicis, is blaſphemare cenſendus eſt in Spiritum Sanctum. At qui blaſphemat in Spiritum Sanctum, hujus ſcelus eſt omnino irremiſſibile: Ergo.

Penes Hieronymum erat utramque, aut utram vellet propoſitionem inficiari: ſed quia intricata videri poterat minor, ob verborum Chriſti vim, eam non concedit quidem, ſed permittit ſolummodo, quod

Rhe-

Rhetoribus ac Philoſophis frequenti in uſu eſt. At Novatianos ſiſtit ad majorem : contenditque falſum illud eſſe , quod videlicet , quicumque negaverit Chriſtum , is blaſphemaſſe cenſendus ſit in Spiritum Sanctum.

Quod vero utramque propoſitionem non expenderet, & totam quæſtionem accuratius non pertractaret , fecerunt temporis anguſtiæ , de quibus illic conqueritur Hieronymus . " Fuerat quidem , inquit, prolixius differendum : ſed quoniam amicis , & qui ad noſtrum hoſpitiolum convenerunt , præſentiam noſtram negare non poſſumus , & tibi non ſtatim reſpondere admodum viſum eſt arrogantis ; latam diſputationem brevi ſermone comprehendimus , ut non tam Epiſtolam quam Commentariolum dictaremus. "

Sed hæc ſatis fuerint: de tota autem controverſia conſuli poſſunt Morinus *lib.9.de Pœnitentia cap.*28. Natalis Alex. *diſſert.* 22. *ad ſæculum* 3. *tom.* 6. *pag.* 725. & nota Benedictinorum ad librum 2. Ambroſii *de Pœnitentia*, *cap.* 4.

ARTICULUS VI.

An Pœnitentia ſit veri nominis ſacramentum.

ANtiquos Hæreticos qui a nonnullis putantur negaſſe hoc ſacramentum, Montaniſtas dico , Novatianos , Valdenſes , Wicleſianos & Huſſitas, illud contra cum Eccleſia catholica agnoviſſe , ex dictis conſtat; ac de Huſſitis ſpeciatim notant Walemburgici Fratres *in compendio controverſ. c.* 26. *to.*2. *p.* 18. idque ex ipſa Joannis Hus, & Rokiſanæ confeſſione.

Ac proinde Lutherani & Calviniani primi omnium extiterunt, qui ſacramentum illud inficiati ſint.

Sed non eadem omnes ratione ſe geſſerunt.

Lutherus enim variæ admodum ſuper eo capite ſententiæ fuit, etiam aliquando in uno eodemque libro , verbi gr. *de captivitate Babylonica.* " Principio , inquit , neganda mihi ſunt ſeptem ſacramenta , & tantum tria pro tempore ponenda , Baptiſmus , Pœnitentia , Panis. "

Ad calcem vero, "Si rigide loqui volumus, inquit, tantum duo ſunt in Eccleſia Dei ſacramenta, Baptiſmus & Panis. " Idem tamen poſtea ſæpe Pœnitentiam cæteris ſacramentis accenſuit, puta *propoſit.* 35. adverſus Lovanienſes.

Neque magis ſibi conſtiterunt ejus diſcipuli.

In Apologia enim confeſſionis Auguſtanæ quæ communibus eorum conſiliis edita , ſummæ apud illos eſſe debet auctoritatis , ubi de ſacramentis agunt " Si ſacramenta , inquiunt , vocamus ritus , qui habent mandatum Dei , & quibus addita eſt promiſſio gratiæ , facile

„ eſt judicare quæ ſint proprie ſacramenta : nam ritus ab hominibus „ inſtituti , non erunt hoc modo proprie dicta ſacramenta : non eſt „ enim auctoritatis humanæ promittere gratiam. . . . Vere igitur ſunt „ ſacramenta, Baptiſmus, Cœna Domini, Abſolutio, quæ eſt ſacramen- „ tum Pœnitentiæ; nam hi ritus habent mandatum Dei & promiſſionem „ gratiæ: certo enim debent ſtatuere corda, cum baptizamur, cum veſci- „ mur corpore Domini, cum abſolvimur, quod vere nobis ignoſcat Deus „ propter Chriſtum. "

Quo quidem eorum decreto quid apertius ? Ad ſacramentum enim veri nominis tria requiruntur, ritus aliquis ſenſibus obvius , divina inſtitutio , & annexa gratiæ promiſſio , hæc porro tria diſerte hic , & numerantur & aſtruuntur, ita ut nullus ſit effugio locus.

Melancthon anno 1522. *in locis communibus* docuit Pœnitentiam non eſſe ſacramentum ; ſed poſtea ſententiam revocavit in editione anni 1543.

At Kemnitius contra 2. *parte examinis Concilii Trident.* & Mathias Illyricus *cap.* 18. *Apologiæ* pro confeſſione Antuerpienſi, & in præfatione libri *de ſectis & diſſidiis Pontificiorum* , diſerte ex albo ſacramentorum Pœnitentiam tollunt . Ne autem videantur diſcedere a decretis confeſſionis Auguſtanæ , eam interpretantur de ſacramento improprie dicto: quod quam abſurdum ſit , nemo eſt qui non videat ; Kemnitio tamen adhæſerunt Selnvivus 2. *parte Pædagogiæ*; & Wigandus *in methodo doctrinæ Magdeburgenſis*.

Verum hac ætate Lutherani vulgo profitentur Pœnitentiam eſſe verum ſacramentum. Utuntur ſcilicet paſſim Catechiſmo Lutheri, in quo illa inter alia ſacramenta reponitur.

Calviniani autem ac Zuingliani univerſi Pœnitentiam expungunt e numero ſacramenrorum præeuntibus ſibi Zuinglio *in lib. de vera & falſa religione cap. de ſacramentis* , & Calvino *lib.* 4. *inſtitutionis cap.* 19. *num.* 15. quorum placita ſequuntur ac defendunt de Dominis , *tomo* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 15. *& ſequentibus* ; nec non , & Forbeſius *lib.* 9. *cap.* 5.

Quia vero hi omnes qui ſacramentum illud convellere nituntur, viderunt iis , qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur , aliquo remedio opus eſſe , & quodam ſigno ad obſignandam illorum fidem , cui omnia tribuunt , commenti ſunt hoc ſignum ad remedium nihil aliud eſſe , quam ipſum Baptiſma , cujus memoria ac virtute iterum purgarentur : ita ut ſacramentum Pœnitentiæ nullum plane eſſet præter Baptiſmum . Ita Calvinus *lib.*4. *inſtitutionis cap.* 19. *n.* 17. cui præluſerat Lutherus *in lib. de Captivitate Babylonica*.

Calvinus porro illic Hieronymi dictum de altera Pœnitentiæ poſt naufragium tabula carpens , ſic ait : " Quaſi vero per peccatum deleatur Baptiſmus , & non potius in memoriam revocandus ſit peccatori , quoties de peccatorum remiſſione cogitat, ut illinc ſe ſe colligat,

„ animumque recipiat, & fidem confirmet. . . . Aptiſſime itaque dixeris „ ſi Baptiſmum vocaveris *Pœnitentiæ ſacramentum*, cum in confirmationem gratiæ & fiduciæ ſigillum iis datus ſit, qui Pœnitentiam meditantur. "

Ex hoc autem commento duo inferunt ſibi opportuna ac maxime commoda: primum, eodem modo eademque prorſus facilitate peccata deleri cum in Baptiſmo, tum poſt Baptiſmum: alterum, (quod hujus conſectarium eſt,) nullas ſupereſſe pœnas luendas peccatis remiſſis poſt Baptiſmum, ut nullæ ſuperſunt, cum crimina Baptiſmo eluuntur.

Quapropter duo ſunt hic diſputanda: primum, an Pœnitentia ſit veri nominis ſacramentum: ſecundum, an ſit Sacramentum a Baptiſmate diſtinctum.

ASSERTIO I.

Pœnitentia eſt veri nominis Sacramentum.

Probatur 1. ex Scriptura, cujus varia loca de poteſtate remittendorum peccatorum ſupra laudavimus. Nempe ad Sacramentum tria tantum neceſſaria ſunt: ſignum aliquod ſenſibile, inſtitutio divina, & gratiæ promiſſio. Atqui hæc tria ſatis exprimuntur in iis Scripturæ locis. Ac 1. quidem ſignum aliquod ſenſibile eſſe oportere evidenter declaratur. Nam cum dicat Chriſtus: *Quæcumque ſolveritis &c. Quorum remiſeritis, &c.* idque in gratiam eorum qui ad Eccleſiæ claves confugiunt, ex eo neceſſarie ſequitur ſigno aliquo opus eſſe, ut innoteſcat quibus peccata remittantur, quibuſve retineantur. Secundo eſt etiam ibi inſtitutio divina, ut liquet. Tertio tandem eſt gratiæ quoque promiſſio, quia nonniſi gratiæ infuſione peccata expelluntur.

Probatur 2. ex perpetua & conſtanti omnium ſæculorum traditione. Quid enim indicat ille, qui ſemper fuit, Chriſtianorum concurſus ad Eccleſiæ claves, veniæ obtinendæ cauſa? Quid arguit gravis illa, & tot librata ponderibus Eccleſiæ in earum uſu diſciplina? Quid illa a Patribus tantopere laudata Sacerdotum auctoritas in remittendis peccatis ſignificat, niſi poſt Baptiſmum eſſe remedium Eccleſiæ commiſſum, quo peccata curentur? Illud autem remedium non foret ejus roboris ac virtutis niſi, Chriſto volente, divinam gratiam conciliaret lapſis; ac proinde verum eſſet ac germanum Sacramentum.

Probatur 3. decreto Concilii Trid. *ſeſſ.* 14. *can.* 1. " Si quis dixerit, inquit, in catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe verum ac „ proprie dictum Sacramentum pro Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in „ peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino inſtitu„ tum; anathema ſit. "

Pro-

PROBATUR 4. auctoritate plurium Patrum, qui conceptis verbis eam vocant aut *Sacramentum*, aut, quod idem eſt, *myſterium* perinde ac Baptiſma.

Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 3. Baptiſmo & Pœnitentia memoratis, " Idem inquit, in utroque myſterio eſt. "

Auguſtinus *lib.* 5. *de Baptiſma*, *cap.* 20. refellens Donatiſtas, qui ex Evangelio colligebant peccatores non audiri etiam in Sacramentorum adminiſtratione: " Si ad hoc valet, inquit, quod dictum eſt in Evan-" gelio, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo " exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel " ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum qui-" bus manus imponitur. " Quod enim per manuum impoſitionem Pœnitentiam intelligat, ut & forte ſacram Ordinationem, notius eſt quam ut probatione indigeat. Confert autem iterum Pœnitentiam cum Baptiſmo, eamque *Sacramentum* apellat *in Pſal.* 146. *n.* 8.

Theodoretus *in epitome divinorum decretorum cap.* 28. *tom.* 4. *pag.* 314. ubi de Pœnitentia, peræque *myſterium Baptiſmi & myſterium Pœnitentiæ* nominat.

Victor Cartennenſis *lib. de Pœnit. cap.* 2. " Denique, inquit, Dominum " audi in Evangelio quibus jaculis feriat peccatorem ut intelligas quanti fa-" ciat Pœnitentiæ Sacramentum. "

PROBATUR 5. teſtimoniis illorum qui Pœnitentiam cum Baptiſmo conferunt, quoad conferendæ gratiæ vim ac facultatem.

Tertullianus *de Pœnitent. cap.* 7. loquens de iis qui Baptiſmi gratia amiſſa cœlorum fores ſibi peccatis ſuis clauſerunt, " Hæc igitur venena ejus " providens Deus, clauſa licet ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera " obſtructa, aliquid adhuc permiſit patere.... collocavit in veſtibulo Pœ-" nitentiam ſecundam quæ pulſantibus patefaciat, ". *cap.* autem 12. " Igi-" tur cum ſcias adverſus gehennam, poſt prima illa intinctionis Domi-" nicæ munimenta, eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalu-" tem tuam deſeris? .... Quid ergo ultra de iſtis duabus humanæ ſalutis " quaſi plancis, &c. "

Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 8. adverſus Novatianos qui Sacerdotibus denegabant peccatorum remittendorum poteſtatem; " Cur, inquit, ba-" ptizatis, ſi per hominem peccata remitti non licet? In Baptiſmo enim " utique remiſſio peccatorum omnium eſt, nec intereſt utrum per Pœniten-" tiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum Sacerdotes ſibi vindicent. Idem " in utroque myſterio eſt. "

Hieronymus *lib.* 1. *contra Pelag.* " Redimatur, inquit, ſanguine Salva-" toris, aut in domo baptiſmatis, aut in Pœnitentia, quæ imitatur baptiſ-" mi gratiam. "

S. Leo *epiſt.* 82. ad Theodorum, " Multiplex, inquit, miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per Baptiſmi gratiam, " ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ.

Victor Uticenſis *libro ſecundo de perſecutione Vandalica*, ſic inducit populos Sacerdotibus in exilium miſſis aientes: " Quibus nos miſe-
" ros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi ſunt
" parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis Pœnitentiæ munus col-
" laturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum
" vinculis soluturi? quia vobis dictum eſt: *Quæcumque ſolveritis, &c.*

Prob. 6. conſenſione utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet & Occidentalis.

Ac de Latinis quidem nullum dubium eſſe poteſt: non ſolum enim omnes ac ſingulæ Eccleſiæ in eo concordabant, cum Lutherus ac Calvinus prodierunt; ſed & ante annos 500. ut patet ex Lombardo *lib. 4. ſentent. diſtinct.* 14. & omnibus exinde Theologis, Lucio III. Papa, capite *ad abolendam*, extra *de Hæreticis*, & decreto Florentino.

Quod autem pertinet ad Græcos res eadem debet eſſe extra controverſiam; ſeptem enim Sacramenta nobiſcum illi confitentur, de quo Simeon Theſſalonicenſis, Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus *in reſponſione ad Germanos*, qui ipſum ſuper eo conſuluerant, Gabriel Philadelphienſis *in opere de ſeptem Sacramentis*, Allatius *de concordia utriuſque Eccleſiæ*, Arcudius *de Sacramentis lib. 1. cap. 2.* Perpetuitas fidei, *tomo 3. ad finem*, in pluribus quæ ibi profert Orientalium teſtimoniis.

Imo, ut jam diximus, ne per hæc quidem ſæcula Hæretici Sacramentum illud convellere auſi ſunt.

Quocirca fides iſta, quam jam tenemus, non ſolum Concilio Florentino, & Tridentino, ſed & Theologiæ noſtræ incunabulis, quin etiam Orientalium, & Græcorum ipſo ſchiſmate anterior eſt. Jam vero multæ Orientales Eccleſiæ V. ſæculo ſchiſma fecerunt, aliæ VI. aliæ VII. aut VIII. ergo fides iſta erat IV. ſæculo; ac proinde vera illa eſt: nam ſi falſa eſſet, inde ſequeretur ipſam veterem Eccleſiam in capitali dogmate aberraſſe: ergo jam tum portæ inferi prævaluiſſent adverſus eam: ergo non eſſet illa *columna ac firmamentum veritatis*, ut ait Paulus 1. *Tim.* 3.

ASSERTIO II.

Pœnitentiæ Sacramentum aliud eſt a Baptiſmate.

Prob. 1. ex Scripturis: nam præterquam quod eſt aliquod ſine dubio poſt Baptiſma remedium a Chriſto inſtitutum in gratiam eorum, qui in peccata laberentur, (impoſſibile enim eſt baptiſmo ſemel illuminatos, eo rurſum renovari;) Chriſtus profecto Apoſtolis facultatem dedit remittendorum ac ligandorum peccatorum, etiam poſt baptiſma: id enim ſupra evicimus: atque adeo voluit ut aliquod ſi-

gnum

gnum uſurparent, tum ut remiſſio declaretur, tum ut ſoluti a ligatis ſecernerentur. Illud vero ſignum qualecumque ſit, non eſt baptiſmi recordatio; cum hæc in animo, & quidem Pœnitentis lateat. Non eſt etiam Baptiſmus, qui ex Eccleſiæ fide & diſciplina non iteratur. Eſt igitur ſignum quoddam aliud a Baptiſmo diverſum. Signum porro illud eſt ſymbolum remiſſionis peccatorum ac gratiæ divinæ: ac per conſequens eſt verum omnino, & aliud prorſus a Baptiſmo, Sacramentum.

PROBATUR 2. ex Patribus qui ea diſerte diſtinguunt.

Tertullianus *ſupra*, "Clauſa, inquit, ignoſcentiæ janua, & intin-„ ctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc (Deus) permiſit patere .... Pœ-„ nitentiam ſecundam, ... ſecunda ſubſidia, ... ſecundam ſpem, ...„ duabus quaſi plancis." Ergo Baptiſmum & Pœnitentiam velut duo diſtincta remedia ſpectavit.

Epiphanius *hæreſi* 59. definit, iis qui poſt Baptiſma peccant ſubveniri non poſſe Baptiſmate, ſed alio remedio, quod Pœnitentia eſt.

Chryſoſtomus *libro* 3. *de Sacerdotio*: "Neque enim ſolum, inquit, „ cum nos regenerant, ſed etiam poſtea condonandorum nobis peccato-„ rum poteſtatem obtinent."

Auguſtinus *lib.* 5. *de Baptiſ. cap.* 20. duos eſſe modos docet remittendorum peccatorum, Baptiſmum & Pœnitentiam. *Lib.* 2. *adulterinis conjugiis cap.* 16. "Si a Catechumeno factum eſt homicidium, Baptiſ-„ mate abluitur; ſi a Baptizato, Pœnitentia & reconciliatione ſanatur. „ *Ep. ad Boniſ.* "Si infans poſt Baptiſmum propria incipit habere „ peccata, illa non regeneratione auferuntur, ſed alia curatione ſanantur."

PROB. 3. variis Pœnitentiæ nominibus ſupra allatis, quæ evidenter ſignificant eam non eſſe quid idem cum Baptiſmate.

Primo enim Tertullianus *de Pœnit. cap.* 4. Ambroſius *in Pſal.* 27. *&* *ad virginem lapſam*, Hieronymus *in cap.* 3. *Iſaiæ*, *Ep.* 65. *ad Pammachium*, *&* *alia ad Demetriadem*, Pacianus *Epiſt.* 1. *&* 2. *ad Sempronianum*, Magiſter in textum Grat. *cauſa* 2. *de Pœnit. diſt.* 1. & Gloſſa ordinaria *in caput* 1. *Iſaiæ*, Pœnitentiam vocant *alteram poſt naufragium tabulam*, quia nempe cum peccato violatus eſt Baptiſmus, ſicque quo ad effectum confractum eſt hoc navigium, Pœnitentia relinquitur, quæ nos cum labore perducat ad portum ſalutis. Porro ſi ea eſt altera poſt naufragium tabula, a Baptiſmo ſine dubio differt. Et vero, quaſi hoc Hieronymi ſolius dictum eſſet, illud inſectantur Lutherus *de Captiv. Babylonica*, Calvinus *lib.* 4. *inſtit. cap.* 19. *num.* 17. & Kemnitius 2. *parte exam. Conc. Trid.* iis autem non diſpliceret tantopere hæc communis Patrum loquendi ratio, niſi argumento eſſet, quod aliter etiam ſentirent, quam hæreſis cuperet.

Secundo eandem Pœnitentiam appellant *Baptiſmum laborioſum* ac *lacrymarum* Clemens Alexand. Euſebius *lib.* 3. *hiſt. cap.* 23. Gregor. Nazian.

Orat. 39. & Joan. Damaſc. *lib.* 4. *de fide cap.* 10. atque idcirco cum priore confundi nec debet, nec poteſt.

Merito itaque ſynodus Trid. ambas has voces indices cuſtodeſque fidei ſancivit; primam quidem *Seſſ.* 4. *Can.* 2. alteram *ibid. cap.* 2.

Prob. 4. Eccleſiæ diſciplina & uſu. Is enim mos fuit, ut qui poſt Baptiſmum ſeſe ſceleribus inquinaſſent, ii & diutius probarentur, & longioribus ac gravioribus ad ſatisfaciendum Deo laboribus ac pœnis ſubjicerentur. Id inter alios teſtatur Sanctus Auguſtinus *Hom.* 41. *inter* 50. iſtiuſque conſuetudinis rationem reddit. " Qui nondum ac„ cepit Baptiſmum, inquit, nondum violavit Sacramentum: qui au„ tem violavit Sacramentum male & perdite vivendo, & ideo remotus „ eſt ab altari, ne judicium ſibi manducet & bibat, mutet vitam, corrigat ſe, & reconcilietur. " Et *Hom.* 50. diſtincta triplici Pœnitentia, alia ante Baptiſmum, alia leviorum delictorum poſt Baptiſma, alia lethalium; de hac poſtrema ſic loquitur: " In hac Pœnitentia majorem „ in ſe quiſque ſeveritatem exercere debet, ut a ſeipſo judicatus, non „ judicetur a Deo. " At iſta non cohærent cum placitis Hæreticorum. Quorſum enim tanta ſeveritas, ſi ſola Baptiſmi recordatione peccata deleantur?

Prob. 5. Eccleſiæ judicio. In Synodo enim Tridentina *ſeſſ.* 14. *can.* 2. " Si quis, ait, Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœniten„ tiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, ... anathema ſit. "

Prob. 6. Ratione. Ut enim ajunt Patres Trid. *ibid. cap.* 2. " Hoc „ Sacramentum multis rationibus a Baptiſmo differre dignoſcitur: nam „ præterquam quod materia & forma, quibus Sacramenti eſſentia per„ ficitur, longiſſime diſſidet, conſtat certe Baptiſmi miniſtrum judi„ cem eſſe non oportere ....*Quid enim mihi*, inquit Apoſtolus, *de iis* „ *qui foris ſunt judicare?* ſecus eſt de domeſticis fidei ...Nam hos ſi ſe „ poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptiſmo „ ablui, ...ſed ante hoc tribunal; tanquam reos ſiſti voluit; ut per „ Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ..... ad ipſum confu„ gerint, poſſent liberari. Alius eſt præterea Baptiſmi, alius Pęniten„ tiæ fructus: per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus „ in illo efficimur creatura; plenam & integram peccatorum omnium „ remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem „ per ſacramentum Pęnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, „ divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus; ut meri„ to Pęnitentia laborioſus quidam Baptiſmus a ſanctis Patribus dictus „ fuerit. "

ARTICULUS VII.

Quo tempore inſtitutum ſit Pœnitentiæ Sacramentum.

ASSERTIO.

POENITENTIÆ Sacramentum inſtitutum eſt a Chriſto poſt ſuam Reſurrectionem.

PROB. 1. ex Scripturis. Tunc enim inſtitutum eſt hoc Sacramentum, cum inſufflavit Chriſtus in Apoſtolos & dixit: *Accipite Spiritum-Sanctum*; *quorum remiſeritis*, *&c.* Atqui hæc demum peracta ſunt poſt Chriſti Reſurrectionem, ut ex Joannis 20. liquet. Ergo.

PROB. 2. ex Synodo Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 1. ubi ſic habet: " Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus, inſufflavit in Apoſtolos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum-Sanctum*, *&c.* quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit."

OBJ. Chriſtus Matt. 16. antequam pateretur, dixit Petro: *Quodcumque ſolveris &c.* Matth. 18. omnibus ſimul Apoſtolis *Quæcumque alligaveritis*. Ergo.

Nego conſequentiam: tunc enim auctoritatem illam non conceſſit, ſed tantum promiſit; cujus rei triplex eſt argumentum: 1. quod Chriſtus Petro dixerit: *Tibi dabo*: illud autem eſt, ut patet, futuri temporis, non præſentis: 2. quod fruſtra tanto cum apparatu Chriſtus poſt Reſurrectionem inſufflaſſet in Apoſtolos, eis dediſſet Spiritum-Sanctum, & ſimul facultatem peccatorum remittendorum, ſi jam ante & iſta poteſtate & Spiritu-Sancto ad id fuiſſent exornati: 3. quod non videatur fuiſſe congruum, ut prius Apoſtoli obtinerent auctoritatem in corpus Chriſti myſticum, quam jus haberent in corpus Chriſti naturale. At corporis Chriſti naturalis conficiendi jus conſecuti ſunt tantum in ſuprema cœna, cum dixit iis Chriſtus: *Hoc facite in meam commemorationem*: Ergo non ante auctoritate ulla donati ſunt in Eccleſiam, quæ corpus eſt Chriſti myſticum.

INST. Eodem ſaltem tempore poteſtatem acceperunt a Chriſto: Atqui ex conceſſis modo, jus obtinuerunt in Chriſti corpus naturale ante Reſurrectionem ejus: Ergo.

Nego majorem, cujus ratio mox allata eſt.

INST. Qui nunc conſecrantur Sacerdotes, ii uno eodemque tempore utramque hanc poteſtatem ſortiuntur. Ergo & Apoſtoli quorum ſunt ſucceſſores.

1. Nego antecedens: diſtinctis enim temporibus hac duplici poteſtate donantur Sacerdotes: namque jus acquirunt in corpus Chriſti naturale, cum manus eis imponit Epiſcopus initio inaugurationis ſuæ; accipiunt autem duntaxat jus in corpus Chriſti myſticum, cum peracta jam communione, ait eis Epiſcopus: *Accipite Spiritum-Sanctum, quorum &c.*

2. Nego conſequentiam; & ſi enim non poſſint jam dividere utramque poteſtatem Epiſcopi, non inde ſequitur Chriſtum id præſtare non potuiſſe.

QUÆSTIO SECUNDA.

De eſſentia ſacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De eſſentia Sacramenti generatim.

ESSENTIAM Sacramenti vocamus illa ex quibus, quaſi partibus, ea coaleſcit.

Harum autem partium Theologi, ad exemplum corporum naturalium, aliam appellant materiam, aliam formam: illam in rebus ad multa flexibilibus, hanc in verbis effectum Sacramenti clarius exprimentibus collocantes.

Atque hujus quidem loquendi rationis primus Auctor fuit Guillelmus Altiſſiodorenſis, qui ad annum 1240. floruit.

Hæc vero nomina non omnibus exinde Theologis, vel etiam Synodis generalibus placuere.

At non ita preſſe veteres Sacramenta definierunt: quos enim Sacramentorum ritus a Chriſto & Apoſtolis receperant obſervaſſe contenti, ac poſteris tradidiſſe, non in id admodum incumbebant, ut quæ ad Sacramentum quodlibet conſtituendum præciſe neceſſaria erant, aut ſecus, aperirent.

Quod cum ita ſit, manifeſtum eſt, ut optima cenſeatur Theologorum ratio, qui generatim iſta ſanciverunt, imo nec contemnenda ſit eorum, qui iſta ſigillatim in unoquoque Sacramento inveſtigant, hanc tamen expertem non eſſe periculi: quandoquidem enim Sacramenta pendent ex uno Chriſti arbitrio, ibique non erratur abſque gravi diſcrimine, aut ſaltem detrimento animarum; quis novit ea, ex quibus Sacramentum neceſſario efflorescit, niſi ſollicite Patrum ea de re ſententiam exploraverit, aut Eccleſiæ judicium?

Sed

Sed qua tandem via, inquies, veteris Eccleſiæ mentem compertam habebimus?

Illud ſane operis ardui eſt: ſed tamen, niſi me fallit animus, quatuor indiciis deprehendi poteſt, ſi quid ad Sacramenti eſſentiam pertineat.

Primo ſi ab eo Sacramentum nomen trahat. Sic enim Baptiſmus dicitur *lavacrum aquæ* & Euchariſtia vocatur *panis*.

Secundo ſi ei attribuatur vis conferendæ gratiæ. Non enim ritus eſt humani, ſed ſolius Sacramenti gratiam conferre.

Tertio ſi ſemper & ubique ab Apoſtolorum ævo in uſu fuit. Cum enim ritus Eccleſiaſtici pro varietate locorum ac temporum diverſi ſint; id a Chriſto ipſo & Apoſtolis profluxiſſe in Sacramentum jure putabitur, in quod omnes omni tempore ac loco conſenſerint.

Quarto ſi ne in neceſſitate quidem illud prætermiſſum ſit. Nam cum, ubi neceſſitas ingruit, vulgo neceſſaria reſecentur, merito illud Sacramenti eſſentiæ adſcribetur, a quo abſtinere nunquam fas fuerit.

Quamvis autem horum quodlibet ſeorſum probabile tantum ſit, non certum veritatis argumentum; ſi tamen contingat ut omnia ſimul in unum quid concurrant, tunc nullus aut vix ullus dubio locus ſupereſſe æquo rerum æſtimatori videbitur.

His poſitis jam recenſendæ ſunt & expendendæ de eſſentia ſacramenti Pœnitentiæ variæ Theologorum opiniones, ut exigantur deinde ad normam antiquitatis.

Cum autem duæ vulgo ſtatuantur illius eſſentiæ partes, materia ſcilicet & forma; de materia primum agemus.

ARTICULUS II.

De materia ſacramenti Pœnitentiæ, variiſque circa eam opinionibus.

DUPLEX hujus Sacramenti materia diſtinguitur, alia remota, alia proxima. Nulla porro controverſia eſt de materia remotiſſima, ſeu materia circa quam occupatur. Univerſi enim confitentur eam eſſe peccata poſt Baptiſmum admiſſa, & vi clavium remittenda.

Tota ergo lis eſt de materia ex qua conflatur proprie iſtud Sacramentum.

Jam vero de ea quinque ſententiæ inveniuntur.

PRIMA eſt S. Thomæ & ejus diſcipulorum, qui materiam Pœnitentiæ eſſe rentur tres Pœnitentis actus, Contritionem nimirum, Confeſſionem & Satisfactionem.

Quod quidem placitum amplexi ſunt etiam Richardus de Media-villa Franciſcanus, anno circiter 1290. & Gabriel circa annum 1490.

Illud autem ad fidem pertinere aut ſaltem accedere nonnulli recentiores

tiores affirmant ob Eugenii IV. Summi Pontificis, & Synodi Tridentinæ decreta.

SECUNDA eſt Scoti *in 4. ſentent. diſt. 14. quæſt. 4. & diſt. 16. quæſt. 1. T. 9.* & omnis ejus Scholæ, totam Pœnitentiæ Sacramenti eſſentiam in ſola abſolutione reponentium, ita ut abſolutio, quatenus eſt ritus aliquis ſenſibilis, habeatur pro materia; quatenus autem ſignificat effectum, pro forma.

Scoto præiverant anno 1146. Robertus Pullus Cardinalis *parte 6. cap. 61.* & anno circiter 1200. Stephanus Langthonus, qui ex Cancellario Pariſienſis Academiæ factus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, *in ſumma* manuſcripta, quam laudat Launoius *de Contritione pag.* 243.

Scotum autem ſecuti ſunt anno 1320. Guillelmus Okam, anno 1500. Joannes Major *in 4. diſt. 14. q. 2.* & Jacobus Almainus *in 4. diſt. 18.* anno 1536. ſynodus Colonienſis I. *part. 7. cap.* 30. & Auctor *Enchiridii Colonienſis* qui Gropperus vulgo exiſtimatur, anno 1552. paulo poſt ſeſſionem 14. Synodi Tridentinæ *de Pœnit.* cui etiam interfuit, Fredericus Nauſea Viennenſis Epiſcopus *in Catechiſmo capit.* 47. anno 1557. Gabriel Putherbæus *in lib. de Pœnitent. capit.* 1. ac poſtea etiam Paulus Palenterius *tomo 4. in 4. ſentent. lect.* 75. & Julius Gemellius, Bononienſes Theologi, nec non & Maldonatus e Societate Jeſu *in ſuis de Pœnit. Comment.*

Eodem inclinant Launoius *in libello de Contritione* paſſim, & Palavicinus *lib. 12. hiſt. Conc. Trid. cap.* 12.

Atqui hæc eadem erat communis Theologorum Pariſienſium opinio, cum ſynodus Tridentina habebatur, ſi credimus Paulo Sarpio *libro 4. hiſt. Conc. Trid.*

Etſi autem hi omnes actus Pœnitentis non admittant pro materia Sacramenti, volunt tamen eos in re vel in voto eſſe diſpoſitiones ad illud neceſſario & quadantenus eſſentialiter requiſitas.

Unde & Andreas Vega *in concilium Tridentinum*, exiſtimat inter utroſque Theologos, Thomiſtas ſcilicet ac Minores, quæſtionem eſſe tantum de nomine.

TERTIA ſententia eſt Durandi *in 4. diſt. 16.* qui arbitratur hoc Sacramentum ex Confeſſione tanquam materia, & abſolutione tamquam forma conſtare: Contritionem vero eſſe tantum diſpoſitionem præviam; Satisfactionem autem Pœnitentiæ fructum: has tamen partes dici poſſe " ſi pars ſumatur large pro omni eo quod requiritur, . . . ſive antecedenter, ſive conſequenter."

QUARTA eſt eorum, qui pro materia hujus Sacramenti agnoſcunt impoſitionem manuum Sacerdotis una cum actibus Pœnitentis, ſive hi etiam pro materia, ſive pro diſpoſitionibus tantum habeantur. Illi autem Theologi nec pauci ſunt, nec infimi nominis.

Primus eſt Guillelmus Altiſſiodorenſis *lib. 4. ſummæ*; abſolutionis enim ac clavium vim omnem conſtituit in impoſitione manuum Sacerdotis.

Secun

Secundus eſt Vincentius Bellovacenſis *lib.* 8. *Speculi hiſtorialis cap.* 43. ubi Guillelmi verba exſcribit.

Tertius eſt Guillelmus Arvernus, ſeu Pariſienſis, eorumdem æqualis, *de Pœnit. pag.* 461. cum enim Pœnitentiam verum eſſe Sacramentum ibi contendat, ac proinde ſignum ſenſibile ſanctificantis gratiæ, pro ſigno illo ſenſibili aſſignat impoſitionem manuum fieri tunc ſolitam.

Quartus Alexander Halenſis 4. *parte ſummæ q.* 5. *memb.* 1. *art.* 1. qui eodem, quo Guillelmus Pariſienſis modo raciocinatur.

Quintus ille ignotus Theologus, qui ejuſdem Guillelmi auctoritatem obtendebat ac ſequebatur, & quem refellit S. Thomas 3. *p. q.* 84. & *opuſc.* 22.

Sextus Marianus Victorius *in lib. de Sacram. confeſſ. cap.* 13. & *de Pœnit. publ.* ad finem.

Septimus eſt quidam Petrus Bullingerus Trecenſis *in inſtit. Chriſt.* quæ a duobus Academiæ Pariſienſis Doctoribus probatæ, ex licentia Supremi Senatus in lucem prodierunt anno 1558.

Quinta ſententia eſt, quæ ait hominem ipſum pœnitentem eſſe materiam Sacramenti. Ita Gerſon apud Biel *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 2. *pag.* 245. & Couſſordus apud Pinterellum *de attrit. pag.* 81.

Atque eo revocari quoque poteſt Thomas Valdenſis *tom.* 2. *de Sacr. cap.* 147.

Nunc quid de iis ſtatuendum eſſe nobis videatur, ut paucis declaremus.

Dicimus 1. non eſſe de fide neque ad illam accedere, quod contritio, confeſſio & ſatisfactio ſint materia proprie dicta Sacramenti Pœnitentiæ.

Probat. 1. quia id nuſquam Eccleſia definivit : 2. quia non modo poſt Concilium Florentinum, ſed etiam Tridentinum, multi ubique extiterunt graves Theologi, qui contra ſenſerint, & etiamnum ſentiant abſque ulla hæreſeos aut erroris nota & ſuſpicione. Quis enim Hæreticos vocet Scotum, & qui eum ſequuti ſunt ex omnibus Chriſtiani orbis partibus ad hoc uſque tempus? Quis Durandum? quis Guillelmum Pariſienſem & Marianum Victorium? quis ſynodum Colonienſem? quis Gropperum illius ducem?

Objicies 1. Concilium Florentinum in decreto pro Armenis, poſtquam definiit generatim omnia ſacramenta conſtare materia & forma, & intentione miniſtri, de Pœnitentia ſic habet : " Quartum ſacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus Pœnitentis, qui in tres diſtinguntur partes, quarum 1. eſt contritio ... 2. oris confeſſio .... 3. ſatisfactio. "

Respondeo 1. hoc decretum non eſſe concilii Florentini, ſed Eugenii IV. Pontificis, ſoluta jam ſynodo; atque adeo non tantæ eſſe auctoritatis, quantæ foret, ſi Eccleſia ipſa illud tuliſſet : 2. Eugenium IV. conſulto dixiſſe eos actus Pœnitentis eſſe *quaſi materiam*, non vero ma-

ro *materiam* : quod maxime eſt obſervandum : 3. Summum illum Pontificem ibi de ſacramentis non ſemel tradere communia ſcholarum placita, quibus ipſe adhæreſcebat, non autem ſemper Eccleſiæ dogmata : 4. Scotiſtas & alios plures nihilominus deinceps, ut ante, libere negaſſe, quod hi actus ad eſſentiam pertineant ; ac proinde illud Eugenii decretum non habitum fuiſſe pro neceſſario ac ſancito fidei placito.

OBJICIES 2. ſynodum Tridentinam quæ *ſeſſ.* 14. *capit.* 3. ſic ait " „ Sunt autem quaſi materia hujus ſacramenti ipſius Pœnitentis actus, „ nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio. "

RESPOND. 1. Synodo Tridentinæ id imprimis fuiſſe propoſitum, ut errores quidem Novatorum configeret, ſed quæſtiones Theologicas non attingeret, qualis ea eſt quam in manibus habemus : 2. Patres hujus concilii ſequutos Eugenii prudens conſilium pronunciaſſe hos actus eſſe *quaſi materiam*, *non materiam* : 3. illos hoc dicto videri ſententiam Scotiſtarum confirmaſſe potius, quam proſcripſiſſe, ut obſervat Palavicinus *ſupra* : 4. Franciſcanis, cum vererentur ne ſibi fraudi foret, ac ſuæ opinioni noceret ejuſmodi locutio, fuiſſe a Synodo ſatisfactum, ut narrat Sarpius : 5. Ab eo tempore, eandem quæ prius, ea de re ſentiendi libertatem ſemper viguiſſe.

INST. Synodus Trident. ſtatuit hos actus Pœnitentis eſſe tres Pœnitentiæ partes, eoſque requiri ad integritatem ſacramenti.

RESPONDEO ne unam quidem eſſe in Synodo Tridentina voculam conſilii expertem : ac idcirco definiiſſe Patres, quod eſſent tres *Pœnitentiæ partes*, non autem *ſacramenti*, quod requirerentur, non ad ſacramenti eſſentiam, ſed ad integritatem ; quæ multum inter ſe differunt, & ſedulo notanda ſunt. Et vero ſi ſacramenti partes enumerare voluiſſent, non jam tres, ſed quatuor fuiſſent recenſendæ : Abſolutio enim, quæ ibi omittitur, eſt abſque dubio pars ſacramenti. Ergo eo tantum ſpectarunt, ut profligarent hæreſim Lutheranorum, qui negabant hos actus ad Pœnitentiam requiri, & contendebant ſufficere terrores conſcientiæ incuſſos & fidem.

Etſi autem daremus hos actus habitos fuiſſe pro partibus ſacramenti, nihil inde ſequeretur : non enim expendenda ſunt Eccleſiæ verba ad regulas Philoſophorum, ſed ad communem vulgatamque loquendi conſuetudinem, quæ operis partem vocat quidquid ad illud requiritur : ſic memoriam partem dicimus eſſe Rhetoricæ, ut Maldonatus animadvertit.

DICIMUS 2. fundamento non carere ſententiam quæ negat actus Pœnitentis eſſe materiam ex qua ſacramentum Pœnitentiæ conſtituatur.

PROBATUR 1. pluribus momentis quæ in omnes ſimul cadant.

Primo enim materia & forma ex æquo partitur ſacramentum ; atque adeo ſi materiam ſacramenti Pœnitentiæ ſuppeditaret Pœnitens, formam vero Sacerdos, non eſſet cur Pœnitens non diceretur miniſter hujus ſacramenti perinde ac Sacerdos.

Secun-

Secundo. Toti ſacramento alligata eſt gratia hujus ſacramenti propria: ſi ergo partem ſacramenti ſubminiſtret Pœnitens, ipſe ſibi gratiam ex opere operato conferet.

Tertio. Gratia ſacramenti Pœnitentiæ non eſt gratia quævis, ſed quæ datur per modum abſolutionis, ut aiunt; quia Chriſtus dixit; *Quæcumque ſolveritis*, *&c.* ac proinde ſe ipſe Pœnitens abſolveret.

Quarto. Vim conferendæ gratiæ, & remittendorum eo ſacramento peccatorum iis ſolum conceſſit Chriſtus, quibus claves dedit, ac dixit: *Quorum remiſeritis*, *&c.* Atqui ſolis Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus poteſtatem eam fecit, non ipſis peccatoribus qui ad claves Eccleſiæ confugiunt. Ergo.

Quinto. Sacramentum eſt quoddam ſignum, quod cum effectu ſuo aliquam habere debet convenientiam, ut illum exprimat. At nulla prorſus convenientia eſt contritionis, confeſſionis aut ſatisfactionis cum gratia peculiari quam præſtat ſacramentum: imo contritio ne ſignum quidem eſſe poteſt: ſatisfactio autem, & confeſſio poſſunt quidem eſſe indicia cordis contriti, & humiliati, non autem repræſentant ſolutionem intimam animorum, quæ ſingularis eſt effectus Penitentiæ.

PROBATUR 2. ſpeciatim de ſingulis.

Primo enim Contritio non poteſt eſſe materia ſacramenti, cum ea ſenſibilis non ſit, & in animo lateat. 2. Contritio vel ſpectatur in ſe, vel in confeſſione: ſi in ſe; non eſt externus aliquis ritus, qualis requiritur ad materiam ſacramenti: ſi in confeſſione; eſt quidem aliquid ſenſibus obvium, ſed tunc non diſtinctum ab ipſa confeſſione; ac per conſequens aut non poteſt eſſe materia ſacramenti, aut non eſt materia quædam diſtincta a confeſſione. 3. In adultis non minus requiritur contritio ad baptiſmum quam ad Pœnitentiam; neque tamen eo in caſu contritio dicitur materia baptiſmatis.

Secundo. Confeſſio non videtur etiam poſſe ſtatui pro materia Pœnitentiæ. 1. enim abſque confeſſione poteſt eſſe hoc ſacramentum, ut cum datur morientibus, qui præ morbo peccata confiteri non poſſunt, modo nutibus illud poſtulent: imo is eſt uſus ac opinio plurimorum, ut etiam abſque ullis nutibus dari poſſit, ac reipſa detur; quod alibi expendemus. Ergo æternæ hominum ſalutis intereſt, inquiunt, ut confeſſio pro materia non agnoſcatur. 2. ſymbolum externum Pœnitentiæ debet aliquatenus exprimere effectum illius; quomodo aqua ſignificat intimam animi ablutionem: at confeſſio poteſt eſſe quidem indicium humiliationis, non autem abſolutionis interioris. Ergo.

Tertio. Multo adhuc minus ſatisfactio poteſt cenſeri eſſe materia proprie dicta Pœnitentiæ. 1. enim materia formam antevertit; ſatiſfactio autem ſequitur abſolutionem juxta morem jam vulgatum. 2. ſatisfactio vel conſideratur quatenus a Sacerdote injungitur, vel quatenus obitur a Pœnitente: priore modo non eſt neceſſaria ad ſacramentum;

tum ; abſque ulla enim ſatisfactione hoc ſacramentum conceditur nonnullis morientibus , qui ſcilicet Sacerdotem exaudire aut intelligere non poſſunt : non ſecundo etiam modo ; quia ab ejus executione ſacramentum non pendet , cum eam aut obliviſci abſque culpa, aut per negligentiam omittere poſtmodum Pœnitens poſſit . 3. vel ſatisfactio ſumitur quatenus in propoſito eſt , vel quatenus opere exercetur : ſi primum; non eſt materia, quia non eſt ſenſibilis, & cum contritione tunc confunditur : ſi ſecundum; ipſo jam ſacramento poſterior eſt. Ego nullo modo poteſt eſſe materia ſacramenti.

Dicimus 3. hos Pœnitentis actus eſſe , improprie loquendi , materiam ſacramenti Pœnitentiæ , quia ſunt ad illud neceſſariæ diſpoſitiones , vel in re , vel in voto .

Probatur ex decretis Eugenii IV. & Conc. Trid. *ſupra*; id enim ſaltem poſtulant.

Dicimus 4. hos actus non eſſe ejuſdem inter ſe neceſſitatis.

Probatur quia contritio ſuppleri non poteſt ; confeſſio vero aliquando ſuppletur nutibus , aut forte etiam probata vita , quæ talis cognoſcitur aut præſumitur ; ſatisfactio autem poteſt etiam omitti illæſa ſacramenti eſſentia ; modo firmum illius obeundæ propoſitum præceſſerit.

Dicimus 5. Abſolutionem non eſſe materiam ſacramenti Pœnitentiæ, hoc eſt, non eſſe totam illius eſſentiam.

Probatur multis rationibus.

Primo enim Eugenius IV. & ſynodus Tridentina de abſolutione verba faciunt quatenus ad Pœnitentiam attinet : eam autem eſſe illius formam tantum pronuntiant, non etiam materiam. Imo & materiam aliquam commemorant ab ea diſtinctam, quo ſatis ſignificant eam non eſſe integram hujus ſacramenti eſſentiam.

Secundo. Eugenius *in decreto* ait ſacramenta tribus perfici: rebus nempe quaſi materia, verbis quaſi forma, & intentione miniſtri. Ergo in ſolis abſolutionis verbis non conſiſtit tota Pœnitentia.

Tertio. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. aſſerit tantum , in abſolutione ſacramenti vim præcipue ſitam eſſe : ergo non cenſet ea ſola vim omnem hujus ſacramenti contineri : ergo aliquid aliud ad Pœnitentiam adhuc requiri indicat.

Quarto. In omnibus aliis Sacramentis materia & forma ſunt quidam a ſe invicem diſtincti ritus. Quorſum igitur aliter ſtatuas de Pœnitentia , cum ad id nulla neceſſitas impellat?

Dicimus 6. non omnino abſque veri ſpecie impoſitionem manuum aſſignari pro legitima materia ſacramenti Pœnitentiæ quondam potuiſſe.

Eſt adverſus Sanctum Thomam *3. par. qu.* 84. *& in opuſculo* 22. nec non & pleroſque recentiores, quorum numerus & auctoritas tanti fiunt apud quoſdam , ut impoſitionem quoque manuum e libris ritualibus expungerent.

Pro-

PROBATUR omni fere argumentorum genere, quæ Patrum ea de re mentem teſtatam facere poſſunt.

Primo enim impoſitio manuum Sacerdotis tam eximii apud veteres ponderis fuit ad illud ſacramentum, ut ejus nomine paſſim Pœnitentia appelletur, quemadmodum *lavacrum aquæ* dicitur, & Euchariſtia *Panis*: & ne utamur multis teſtibus in re clara & conſtanti non neceſſariis, Auguſtinus v. c. *lib.* 3. *de Baptiſmo*, *cap.* 16. *num.* 21. hoc nomen tribuit Pœnitentiæ: "Manus autem impoſitio, inquit, non ſicut Baptiſmus repeti non „ poteſt."

Secundo. Impoſitioni manuum aſcribitur is effectus qui maxime proprius eſt ſacramenti Pœnitentiæ, nempe reconciliatio. Concilium Carthaginenſe IV. *canone* 76. de Pœnitente, " Reconcilietur, inquit per manus impoſitionem, " (qui canon exinde laudatus & uſurpatus eſſe legitur, tum in Capitularibus *lib.* 4. *cap.* 120. & 140. tum apud Reginonem *tomo* 1. *p.* 201. Burchardum *lib.* 18. *cap.* 23. & Yvonem *parte* 15. *cap.* 8.) Optatus Milev. idem ſignificat *lib.* 2. *pag.* 57. Donatiſtas alloquens, „ Dum manus imponitis, inquit, & delicta donatis „ &c. " idem Auguſtinus de Baptiſmo *lib.* 5. *cap.* 22. *num.* 28. *ſupra*. „ Quomodo exaudit Deus, inquit, homicidam deprecantem ſuper ca- „ pita eorum quibus manus imponitur; " id eſt ſuper eos qui ſacramento Pœnitentiæ donantur? idem denique, ut reliquos ſileam, S. Leo *Epiſt.* 82. ubi ſic habet: " Qui convivio ſolo Gentilium & eſcis im- „ molatiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis & manus impoſitione purgari. "

Ita porro is effectus impoſitioni manuum attribuitur, ut abſque ea nulla putetur abſolutio, & qui ſine ejus beneficio ad Euchariſtiam accedunt, hi propterea exiſtimentur eſſe rei corporis & ſanguinis Domini. Primum aſtruit eadem ſynodus IV. Carthaginenſis *can.* 78. "Pœ- „ nitentes, inquit, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, „ non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.. „ Hinc Benedictus Levita *in collectione capitularium an.* 845. *lib.* 5. *c* „ 116. „ Sacerdos ſibi confitentibus manus imponat, ... quoniam ſine „ manus impoſitione nemo abſolvitur ligatus." Alterum Cyprianus *Ep.* „ 16. *edit. Oxon. de lapſis*; „ Nondum, inquit, manu eis ab Epiſco- „ po & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur, cum ſcriptum ſit: *Qui* „ *ederit panem & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis &* „ *ſanguinis Domini*. " Unde Thomas Valdenſis jampridem colligebat quod impoſitio manuum eſſet de neceſſitate ſalutis: de quo conſule Valeſium *ad l.* 6. *Euſeb. c.* 44. *p.* 138.

Eodem redit quod illa cenſeatur ita ſolvere Pœnitentem, ut exinde liber ſit & jus habeat Euchariſtiæ percipiendæ. Cyprianus *Epiſt.* 9. „ „ Per manus impoſitionem, inquit, jus communicationis accipiant." Auctor *Apoſt. Conſtitutionum lib.* 2. *cap.* 18. „ Eum qui luxit recipe, „ cuncta Eccleſia pro eo deprecante, & manu impoſita ſine eum in Eccleſia eſſe."

Ter-

Tertio tantæ neceſſitatis eſſe credebatur ea manuum impoſitio; ut ne in extremo quidem vitæ diſcrimine omitteretur. Concilium Carthagin. IV. *can.* 78. de Pœnitente moribundo " Dent teſtimonium, inquit, „ qui eum audierunt, & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur „ per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. " Idem „ paſſim præſcribunt plerique omnes rituales libri. Adeatur Regino *tomo* 1. *cap.* 122.

Quarto is ritus ſemper & ubique viguit ab Apoſtolorum ævo: ab his enim illum manaſſe aſſeverat Thomas Valdenſis; & id profecto evincit omnium gentium in eam conſenſio jam ab initio fere noſtræ Religionis. De Africa teſtis eſt II. vix exeunte ſæculo Tertullianus *lib. de Pudicit. cap.* 8. *pag.* 738. ac III. ſanctus Cyprianus *ſupra*: de Italia per idem tempus Pontifex Stephanus *apud eundem Cyprianum Epiſt.* 74., ac de Oriente auctor a me modo memoratus *Apoſt. conſtitutionum*: de Africa IV. ſæculo Optatus: de eadem V. ſæculo Auguſtinus: de Italia ſanctus Leo, ut prætermittam concilium Arauſicanum in Galliis, concilium Toletanum IV. in Hiſpaniis, Burchardum in Germania & alios diverſarum gentium ejuſdem aut inferioris ævi ſcriptores. Legatur Marianus Victorius *de publicis Pœnitent. pag.* 243.

Quinto. Hæc Pauli verba 1. ad Timotheum 4. verſ. 14. *Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyteri*: ibidem cap. 5. verſ. 22. *manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis*: & 2. cap. 1. verſ. 6. *admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*; quæ vulgo, & rectius quidem intelliguntur de ſacra Ordinatione, & ex quibus Theologi colligunt impoſitionem manuum eſſe materiam Ordinationis: hæc, inquam, eadem verba veteres multi de Pœnitentiæ ſacramento interpretati ſunt; de quo vide Tertullianum *de Pudicit. cap.* 81. Pacianum *Epiſt.* 2. & 3. & alios. Ac proinde ex hoc quoque colligi poteſt eam eſſe materiam Pœnitentiæ.

Quidquid ſit, ex his ſaltem patet quam temere agant & quanta afferant pericula Pœnitentibus ii, qui dum abſolutionem Pœnitentibus impertiuntur, manus iis imponere non curant.

ARTICULUS III.

De forma ſacramenti Pœnitentiæ.

ASSERTIO.

FORMA ſacramenti Pœnitentiæ verba ſunt abſolutionis.

PROBATUR 1. auctoritate concilii Tridentini. *Seſſione* enim 14. *cap.* 3. „ Docet præterea ſancta Synodus, inquit, ſacramenti Pœniten- „ tiæ formam, in qua præcipue vis ipſius ſita eſt, in illis miniſtri „ ver-

„ verbis poſitam eſſe: *Ego te abſolvo*, *&c.* quibus quidem de Eccleſiæ „ ſanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur, quæ ad ipſius „ tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius ſacra- „ menti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ. “

Probatur 2. omnium Theologorum unanimi conſenſu. Neque enim ulla fuit unquam de hac parte controverſia; adeo ut ipſimet Hæretici qui ſacramentum hoc agnoſcunt, eandem nobiſcum formam admittant: de quo conſule Illyricum *in Apologia confeſs. Antuerp. cap.* 18. & Kemnitium 2. *parte examinis concilii Trident. pag.* 903.

Probatur 3. ratione. In uno quoque enim ſacramento ea verba formæ rationem obtinent, quæ materiæ adjunguntur, quæque proprium hujus ſacramenti effectum clarius exhibent, atque conferunt. Atqui ejuſmodi ſunt verba abſolutionis; quæ profecto luculenter nobis ob oculos ponunt effectum illius poteſtatis quam Sacerdotibus Chriſtus fecit his verbis. *Quæcunque ſolveritis*, *&c.* quibus quidem verbis ſacramentum hoc inſtituit. Ergo.

QUÆSTIO TERTIA.

De Contritione.

IN hac parte operis noſtri dicere licet, quod principio totius ſummæ Theologi præfari ſolent, nullum videlicet eſſe argumentum eo quod aggredimur gravius.

Cum enim Contritio ſit ejuſmodi, ut ſuppleri nequeat, ac proinde agatur æterna ſalus non hominum modo Pœnitentium, ſed etiam ipſorum Sacerdotum ac Doctorum; permagni certe refert non falli.

Cum autem plures, & quidem a ſe mutuo multum diverſæ ad id ſententiæ proponantur, anceps profecto eſt ad errorem locus. *Eſt enim via quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus ducunt ad mortem.*

Verum ut, antequam ad illam partem accedamus, quæ ab aliquo tempore tanto animorum æſtu apud Theologos diſputatur, ea quæ jam definita ſunt Eccleſiæ judicio & ab omnibus recipiuntur, ſecernamus ab iis de quibus Scholæ litigant;

Notandum eſt Lutherum in hoc negotio quatuor inprimis docuiſſe.

Primum eſt, Contritionem eſſe duntaxat terrorem quemdam conſcientiæ incuſſum. Sic *in articulis Smalchaldicis*, *cap. de Pœnitent.* cujus dogmatis duo ſunt conſectaria; Primum, Contritionem non tam actionem eſſe hominis pœnitentis, quam paſſionem: ſecundum, eam

non eſſe liberam nec ſpontaneam, ſed coactam & externam. Ita *in prima diſputatione adverſus Antinomos, propoſit.* 30.

Secundum eſt, in homine pœnitente qui conteritur neceſſarium non eſſe odium veteris vitæ; ſufficere autem propoſitum vitæ melioris. Sic *in epiſtola ad Vicarium ſui Ordinis*, & *in ſermone de Pœnitentia*.

Tertium, quantacunque ſit Contritio, ea numquam Deo reconciliari Pœnitentem; id enim ſolius fidei eſſe. Ita *in aſſertione articuli* 12.

Quartum, Timorem gehennæ, nedum bonus animi motus ſit, & ad juſtificationem utilis, hominem contra facere hypocritam & magis peccatorem. Sic habet tum *in ſermone de Pœnitentia*, tum *in libro contra bullam Antichriſti ad articul. 6.* tum denique *in aſſertione ſuorum articulorum*.

Adverſus hæc quatuor capita, ſeu potius commenta, non Patrum modo ſententiæ, ſed etiam Scripturis ipſis aperte contraria, ſic fidem Catholicam ſanxit & expoſuit Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 43. " Contritio, inquit, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, conjunctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta ſynodus, hanc Contritionem, non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud (Ezech. 81.) *Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum*. Et certe qui illos Sanctorum clamores conſideravit: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni, ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quæ *Attritio* dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moven-

„ ventis, quo Pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat: & quamvis ſine ſacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus Pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falſo quidam calumniantur catholicos Scriptores, quaſi tradiderint ſacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre; quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit. Sed & falſo docent Contritionem eſſe extortam & coactam, non liberam & voluntariam: *can.* autem 5. " Si quis dixerit eam Contritionem, inquit, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam; ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema ſit. "

Hucuſque ſynodus Tridentina, cujus decretum integrum exſcribere operæ pretium fuit ad ſequentes controverſias.

Ex hoc autem decreto habemus quid ſit Contritio univerſe; quæ ad eam generatim requirantur conditiones; quænam ſint illius ſpecies; quæ neceſſitas; quis effectus.

ARTICULUS I.

De natura Contritionis.

QUÆ ſit Eccleſiæ doctrina de Contritione jamjam ex Concil. Trid. docuimus: ſed quoniam Theologo ſatis non eſt fidem exponere, niſi eam quoque ut par eſt diſtinctius explicet ac defendat; illud breviter hic præſtabimus, & eo quidem magis neceſſarie, quod non modo iſtam Pœnitentiæ partem Hæretici perfidioſe impugnaverint, ſed etiam incaute nonnulli e Catholicis recentioribus ejuſdem vim ac dignitatem non parum infregerint.

Ut igitur horum imprudentia vitetur, & illorum impietas pateat, videamus primo an Contritio quæ pars eſt Pœnitentiæ, ſit tantum terror quidam peccatoris conſcientiæ incuſſus: ſecundo, an ſit mera paſſio: tertio an actio libera: quarto an bona: quinto an vera eſſe debeat: ſexto qualis ad eam neceſſarius ſit dolor: ſeptimo an requirat odium veteris vitæ, ac novæ melioris propoſitum, & cujuſmodi.

ASSERTIO I.

Contritio, quæ pars eſt Pœnitentiæ, non eſt tantum terror conſcientiæ peccatoris a Deo incuſſus.

Eſt adverſus Lutherum *ſupra*, ac rigidos, ut aiunt, Lutheranos, quibus tamen alii molliores refragantur, ut patet ex colloquio Altemburgenſi.

Prob. 1. multiplici ex Scripturis argumento.

Primo enim quamvis cogitari, & admitti poſſit aliqua Contritio, quæ actio ſolius Dei ſit *conterentis petram*, ut eſt apud Ierem. 23. 29. hoc eſt, dura corda frangentis; ea tamen Contritio non eſt legitima pars Pœnitentiæ, ſed ea tantum quæ Pœnitentis, & ab eo profecta. Jam vero quæ Pœnitentis eſt Contritio non tantum eſt terror animi, ſed laudanda potius & Deo admodum placens motio & affectio hominis cor ſuum emollientis; & ad Dei leges ſe componentis: ſic enim Pſal. 33. 15. *Juxta eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde*, (Græce, *qui contrito ſunt corde*;) Pſ. 50. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. Iſaiæ 66. 2. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* An porro Deus oculis aſpiceret tam æquis ac benignis, an pro ſacrificio longe gratiſſimo agnoſceret Contritionem, ſi illa terror eſſet duntaxat, qualis eſſe poteſt etiam in impiis, & Dæmonibus.

Secundo. Cum Deus ait *Jerem.* 23. 29. ſe conterere petram, idem hoc eſt cum eo quod aliis verbis pronuntiat apud Ezech. 11. 19. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*: ac proinde cor contritum & cor carneum ſunt quid unum & idem. Atqui cor carneum non eſt animus terrore tantum concuſſus, ſed etiam jam flexibilis Deo, tener, & Spiritui Sancto facile penetrabilis. Ergo.

Tertio. Juxta Apoſtolum terrores illi præcedunt & pariunt Pœnitentiam: atque adeo ab illa diſcrepant: 2. enim ad Cor. 7. 8. *Quoniam & ſi contriſtavi vos in Epiſtola*, inquit, *non me pœnitet: & ſi pœniteret, nunc gaudeo; non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad Pœnitentiam. Quæ enim ſecundum Deum eſt triſtitia, Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Illa namque triſtitia de qua non gaudet Apoſtolus, non eſt dolor Corinthiorum de peccato admiſſo, (de eo enim gauderet,) ſed angor quidam animi eſt ex gravi objurgatione conceptus, quoad Pœnitentiam adducti fuerant.

Quarto. Terrores ejuſmodi poſſunt eſſe etiam in iis qui nullam Pœnitentiam meditantur. Sic *Act.* 24. 25. diſputante Paulo de juſtitia, & caſtitate, & de judicio, tremefactus eſt Felix Præſes Judææ, nec tamen ille cor lapideum depoſuit. Imo & in Dæmonibus id terroris genus occurrit: teſte enim Jacobo 2. 19. *credunt & contremiſcunt*. At in Dæmonibus nulla profecto eſt umbra Pœnitentiæ: Ergo.

Quin-

Quinto. Scriptura & Patres, dum hominis pœnitentis Contritionem nobis depingunt, non pavorem duntaxat nobis exhibent, ſed gemitus, lacrymas, ſuſpiria, labores, dolorem acrem & incenſum, uno verbo, cordis plenam & expletam converſionem ad Deum.

Probatur 2. ipſa vocabuli notione. Nimirum cum lapis conteritur, duritiem ac tumorem ponit; ſicque contritus exinde aptus eſt ad quos artifex voluerit uſus. Igitur cor dicitur contritum, non quando terrore tantum concutitur, (poteſt enim concuti ſimul & durum manere,) ſed quando molleſcit, & humiliatur ſub manu potenti Dei, atque ad illius leges & arbitrium movetur & flectitur.

ASSERTIO II.

Contritio, ut eſt ſacramenti Pœnitentiæ pars, non eſt mera hominis paſſio, ſed actio.

Probatur ex dictis. Ideo enim a Lutheranis dicitur paſſio, quia eſt tantum terror incuſſus: atqui hoc modo ſubruimus.

Probatur 2. Deus enim imperat & hortatur peccatores ut conterant cor ſuum: Joel 2. 13. *Scindite corda veſtra:* at Deus nec jubet nec a nobis flagitat, niſi quæ agimus. Ergo.

ASSERTIO III.

Contritio eſt actio libera, non coacta.

Prob. 1. ex dictis. Contritio quippe cordis eſt: at in cor nulla vis cadit.

Prob. 2. Deus enim ad eam excitat & impedit peccatores, ut vidimus. Ergo noſtræ voluntatis ac libertatis eſt.

Prob. 3. quia vel ipſe timor ſpontaneus eſt ac liber, non ille quidem quem incutit Deus; ſed quem peccator attenta peccatorum ſuorum ac judiciorum Dei meditatione, & contemplatione in ſe ciet. Pſal. 33. 10. *Timete Dominum omnes ſancti ejus*. Eccleſ. 12. 13. *Deum time & mandata ejus obſerva.* Luc. 12. 5. *Timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.*

ASSERTIO IV.

Contritio eſt actio bona.

Prob. Ea actio bona eſt quæ Deum propitium habet & benignos ejus oculos ad ſe convertit, quæ ſacrificium eſt Deo acceptiſſimum. Atqui, ut nuper demonſtravimus, ſacrificium Deo eſt cor contritum & humiliatum, ſacrificium, inquam, quod Deus non deſpicit, ſed probat, quod Dei oculos in ſe convertit, &c. Ergo.

A S S E R T I O V.

Contritio ad remiſſionem peccatorum neceſſaria, debet eſſe vera.

Eſt aſſertio adverſus nonnullos hac ætate mollioris doctrinæ fautores (Filiutium *tract. 7. de confeſſ. cap. 6. num.* 150. *&c.*) qui falſa Contritione deleri poſſe maxima quæque ſcelera putant, modo vera illa exiſtimetur.

Probatur 1. ex Scripturis. In iis enim ubique Deus ad veniam criminum exigit, ut deteſtetur peccator malum, & bonum amet, ut avertatur ab impietate ſua, & ad Deum convertatur ex toto corde; cujuſmodi plura jam loca retulimus, & infra referemus. Atqui ea omnia non fiunt quoties fucata fallaxque Contritio eſt. Cor enim ſemper affixum manet rebus caducis. Ergo.

Probatur 2. ex ſynodo Tridentina *ſupra*. Nemini enim dubium eſſe poteſt, quin ea Contritio quam deſcribit *ſeſſ.* 14. ſit veri nominis Contritio. Atqui hanc eandem, quam definit, Contritionem omni tempore ad obtinendam peccatorum veniam fuiſſe neceſſariam ſancit. Ergo.

Probatur 3. ex Patribus, quorum teſtimoniis jam uſi ſumus, aut etiam utemur poſtea: hi enim omnes ac ſinguli docent abſque vera & ſincera animi mutatione non poſſe peccati labem abſtergi. Ergo.

Probatur 4. multiplici ratione.

Prima eſt. Si quam a Deo indulgentiam eliceret adulterina id genus Contritio, vel id fieret vi Sacramenti, vel ob certam Dei promiſſionem, vel propter hominis iſtius ad Sacramentum accedentis laudandam affectionem. Atqui nihil horum dici poteſt: non 1. quia ubi Contritio deeſt, ibi Sacramentum eſſe non poteſt, quandoquidem vel illa eſt materia Sacramenti, vel diſpoſitio ad illud omnino neceſſaria: non 2. quia nedum ad hoc ſeſe certa lege obligaverit Deus, ſemper contra poſtulat veram cordis converſionem: non 3. cum nihil ſit in illo homine defixo in fecibus ſuis quod divinam gratiam mereatur.

Secunda ſi quid in iſtius hominis favorem allegari poſſit, eſt profecto bona ejus fides, & ignoratio; cum recta ſe ad Deum via ire arbitretur. Atqui neutrum in ejuſmodi caſu a culpa excuſat, nedum maculam eluere poſſit. Ut enim ait Sapiens Proverb. 14. 12. *Eſt via quæ videtur homini juſta, novissima autem ejus ducunt ad mortem*: ut autem Paulus habet 1. Cor. 14. 38. *Qui ignorat, ignorabitur*. Ergo.

Tertia eſt 1. Reg. 16. 7. ſic ait Deus: *Non juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Pſ. 7. 10. in eundem ſenſum *Scrutans corda & renes Deus*. Ergo Deus non opinione, ſed rei veritate tantum movetur.

Quarta Deus apud Iſaiam 1. 22. reprehendens populum Judaicum, quod

quod ſacrificia ſibi offerret corde non purgato, *Argentum tuum*, inquit, *verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aqua:* ergo nihil ei placet quod non ſit uſquequaque purum.

Quinta apud eundem 29. 13. *Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longe eſt a me:* quod idem iiſdem exprobrat Chriſtus Marc. 7. 8. addens, *in vanum autem me colunt*. Ergo vana eſt ſi vera non ſit Contritio.

Sexta Deus minatur mortem iis qui ad ſe pleno corde non redeunt. Oſee 10. 2. *Diviſum eſt cor eorum: nunc interibunt.*

ASSERTIO VI.

Ad Contritionem requiritur ſummus dolor, non quidem ſenſus, ſed voluntatis; ſummus, inquam, appretiative, non intenſive.

Eſt aſſertio adverſus quoſdam recentiores (Filiutius *tom.* 1. *tract.* 6. *n.* 231.) qui docuerunt vel minimum doloris gradum ad Contritionem ſatis eſſe; & adverſus quoſdam antiquiores, qui ſtatuebant ſummum intenſive requiri.

Probatur 1. pars, ſummum videlicet dolorem neceſſarium eſſe.

Ac primo quidem ex Scripturis. Is enim ſummus eſſe debet dolor, quem ex toto corde eſſe oportet. At Deus Joel. 2. 12. *Convertimini*, inquit, *ad me in toto corde veſtro.*

Secundo ratione. Tantus ſit enim oportet dolor, quantum eſt malum. Atqui malum, de quo in Contritione dolemus, eſt malum longe maximum, nempe peccatum. Ergo.

Scilicet neceſſum eſt ut tantus ſit de malo dolor, quantus eſſe debet amor boni, cui malum iſtud adverſatur. Atqui amor Dei qui peccato offenditur, debet eſſe ſummus, ita ut nullus eo major ſit, aut etiam ei par. Deut. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.*

Probatur 2. pars, quod nimirum non requiratur ſummus ſenſuum dolor. Etſi enim omnes qui Dei jacturam fecerunt, hortandi ſint ut ad iſtud quoque doloris genus ſe ſe acuant, & quemadmodum David & Petrus, fleant amare, lacrymiſque ſtratum ſuum rigent, fatemur tamen id non eſſe prorſus neceſſarium. Neque vero is dolor ab hominis arbitrio pendet, cum voluntatis imperio corpus jam non ſubſit, nec ad omnes ejus nutus obtemperet, ex quo primus hominum parens in ſcelus ruit: quocirca tam fieri poteſt ut animus vehementer doleat ſiccis oculis, quam ut fletu madeant oculi abſque ulla vera animi mutatione, quod ex certa corporis affectione ac conformatione venit. Poteſt itaque abeſſe omnis ejuſmodi dolor, nedum oporteat eum eſſe omnium maximum. Cum enim ſenſibilia per ſe feriant ac commoveant; non mirum, ſi aliquando de eorum amiſſione ſenſus acrius doleant, quam cum Deum amiſimus.

Probatur 3. pars, quod nempe is animi dolor debeat eſſe ſummus, ſaltem appretiative, ut ajunt. Quemadmodum enim nihil eſt, quod æque amare debeamus, ac Deum optimum maximum: ſic nullum eſſe debet malum, quod non malimus perpeti quam Deum offendere: eſt enim amor Dei fons & regula deteſtationis peccati. Sed cavendum eſt ſedulo, ne ſterile judicium mentis Deum omnibus præponentis in locum actuoſi affectus, qui requiritur, decepti ſimilitudinis ſpecie, ſubſtituamus.

Probatur 4. pars, nimirum ejuſmodi dolorem non debere neceſſario eſſe omnium maximum intenſive.

Primo enim Deus pro ſua benignitate, & in homines indulgentia, id tantum imperat, ut peccatores convertantur a viis ſuis & ad ſe vere redeant. Iſaiæ 1. 16. *Quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere*. Ezech. 18. 30. *Convertimini & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*.

Secundo eadem eſt menſura doloris de peccato, quæ amoris Dei: at ſalvus erit, qui Deum plus cæteris rebus amaverit, licet forte ultimos conatus non elicuerit. Ergo.

Tertio ea eſt Eccleſiæ diſciplina ut in Pœnitentibus id tantum exploret, an nempe plus omnibus aliis malis oderint peccata.

Quarto ea doctrina ſcrupulis oppleret animos peccatorum Pœnitentiam meditantium.

Quinto ea eſt pœna primi peccati; ut ex innata jam infirmitate ac depravatione ſenſibilibus bonis ac malis plerumque vehementius afficiamur, quam ſpiritualibus, etiam citra ullam culpam; atque adeo fieri poteſt ut ardentiori amore proſequamur caduca quam æterna; hæc tamen illis præferamus: quemadmodum hujus vitæ mala acerbiori nos doloris ſenſu movent aliquando quam peccata, quamvis animus ſit ita præparatus, ut quidvis tolerare malit, quam ulli peccato ſuccumbere. Sunt enim duo in amore diſtinguenda; vis, & gradus: vis deſumitur ab animi præparatione, gradus a concitatione voluntatis. Jam vero concitatiore motu aliquando proſequimur ea quæ minore in pretio a nobis habentur, quam alia circa quæ videmur languidiores. Sic teneriori ſæpe affectu amicos complectimur quam parentes, quos tamen, ſi res poſtulet, omnibus amicis abſque ulla dubitatione anteponamus.

ASSERTIO VII.

Figi non poteſt certus doloris gradus ad Contritionem neceſſarius.

Probatur 1. ex Scripturis: nullos enim in ejuſmodi dolore figunt gradus, ſed præcipiunt duntaxat ut homo revertatur ad Deum. Iſaiæ 30. 15. *Si revertimini & quieſcatis, ſalvi eritis*.

Probatur 2. ratione. Eo enim præciſe quo quis ſeſe avertit a

Deo,

Deo, reus ſit æterni ſupplicii, quantuſcunque tandem ſit in ſcelere malitiæ gradus. Quanto igitur magis benignitatem Dei promerebitur qui ad eum ſimpliciter convertitur: eſt enim ad miſericordiam, quam ad iram, longe propenſior.

ASSERTIO VIII.

Certa non requiritur ad Contritionem temporis mora.

Prob. 1. ex Scripturis. Ezech. enim 33. 12. *Impietas impii non nocebit ei in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.*

Probatur 2. ex Patribus, qui conceptis verbis definiunt nullo certo ac fixo temporis ſpatio opus eſſe. Sanctus Chryſoſtomus de *reparatione lapſi lib.* 1. *cap.* 4. " Talis eſt, inquit, erga homines pietas Dei; „ nunquam ſpernit Pœnitentiam, ſi ei ſincere & ſimpliciter offeratur: „ .... & quamlibet brevi tempore geſtam, ſuſcipit etiam ipſam, nec „ patitur quamvis exiguæ converſionis perire mercedem. "

Sanctus Leo *Epiſt.* 82. *ad Theodorum:* " His, inquit, qui in tempo„ re neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium Pœniten„ tiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda „ eſt, nec reconciliatio deneganda; quia miſericordiæ Dei nec menſuras „ poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur ve„ niæ moras vera converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: *Cum* „ *converſus ingemueris, ſalvus eris, &c.*

Sanctus Bernardus *ſerm.* 75. *de diverſis*: " Quid diſſimulant homines „ in vita ſua agere Pœnitentiam? .... quomodo ſub unius horæ arti„ culo revocari poſſe æſtimant omnia animæ membra, cujus concupi„ ſcentiæ & deſideria per totum mundum ſparſa ſunt, & ubique ter„ rarum velut quodam viſco tenentur? Non dico, ait Dominus, „ quin & talium ſalvem aliquos: potens ſum enim in momento om„ nia revocare: ſed ..... non magna talium conventicula congre„ gabo. "

Probatur 3. Eccleſiæ uſu, quæ peccatores in extremo diſcrimine poſitos, ſi qua tunc darent Pęnitentiæ ſigna, a multis ſaltem ſæculis ad veniam admiſit, nec ulla velit eſſe in hoc temporis articulo peccata Epiſcopis reſervata. Hinc ſanctus Leo *mox*, " His, inquit, ... nec „ ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda. " Hinc quoque ſynodus Tridentina *ſeſſ* 14. *cap.* 7. " Verumtamen, inquit, pie ad„ modum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei „ cuſtoditum ſemper fuit; ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, at„ que omnes Sacerdotes quoslibet Pęnitentes a quibuſvis peccatis & cenſu„ ris abſolvere poſſint. "

Probatur 4. exemplo Davidis & pii Latronis in cruce cum Chriſto pendentis. Nam Deus Davidi tranſtulit & condonavit peccatum ſtatim atque dixit, *Peccavi*, 2. Reg. 12. 13. ſic & Latro veniam cri-

minum accepit a Chriſto eodem temporis puncto quo ad eum ſe convertit, *Luc.* 23. 40. *& ſeq.*

ASSERTIO IX.

Longiore tamen temporis mora vulgo opus eſt, ut quis e cœno peccatorum graviorum, eorumque præſertim quorum conſuetudine tenetur, & in quæ ſæpe relapſus eſt, penitus emergat, & ad maturam idoneamque abſolutioni Contritionem perveniat.

Probatur 1. ex Scriptura quæ ejuſmodi converſionis difficultatem conceptis verbis aſſerit & variis depingit modis, adeo ut impoſſibilem eam eſſe dicere videatur.

Eccleſiaſt. 1. 15. *Perverſi difficile corriguntur.*

Prov. 22. 6. quam tenaciter adhæreat animis inolita ſemel conſuetudo deſcribens *Adoleſcens*, inquit, *juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.*

Jerem. 13. 23. hoc ipſum exemplo & ſimilitudine illuſtrat: *Si mutare*, inquit, *poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.*

Paulus Heb. 6. 4. *Impoſſibile eſt*, inquit, *eos qui ſemel ſunt illuminati ...... & prolapſi ſunt: rurſus renovari ad Pœnitentiam*, quod, ut ſupra notavimus, de ſumma rei difficultate, cum antiqui, tum recentiores interpretes exponunt.

Probatur 2. ex Patribus. Cyprianus *lib. de lapſis in fine* " Deus, " inquit, quantum patris pietate indulgens ſemper & bonus eſt, tantum majeſtate judicis metuendus eſt. Quam magna deliquimus, tam " granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit. Pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne tu Dominum cito " poſſe placari, ... cujus templum violaſti. "

Confeſſores Chriſti *in Epiſt.* 31. *ad eundem.* " Fovendi ſunt, inquiunt, animi ipſorum (lapſorum) & ad maturitatis ſuæ tempus nutriendi; & de Scripturis ſanctis quam ingens .... peccatum commiſerint, inſtruendi.

Chryſoſtomus *hom.* 12. *in Epiſt. ad Heb.* " Melius eſt, inquit, immundo luto pollui quam peccatis. Nam qui illo eſt inquinatus brevi " tempore abluitur, & redditur ei ſimilis, qui nec ab initio in illam " incidit voraginem. Qui autem cecidit in barathrum peccati, accipit " inquinamentum, quod aqua non mundatur, ſed multo tempore perfectaque Pœnitentia, lacrymiſque ac planctibus, majorique ac vehementiori lamentatione quam quæ propter chariſſimos oſtenditur. Nam " hæ quidem ſordes ad nos extrinſecus adveniunt & ideo cito eas deponimus: illæ autem oriuntur intrinſecus, & ideo vix eas abluentes " emundamus. "

Auguſtinus *de Muſica lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 14. " Convertenti ſe ad " Deum,

„ Deum, inquit, major cura oritur ne avertatur, donec carnalium ne-
„ gotiorum requieſcat impetus effrænatus conſuetudine diuturna, & tu-
„ multuoſis recordationibus converſioni ejus ſeſe inferens; ita ſedatis
„ motibus ſuis, quibus in exteriora provehebatur, agit otium intrinſe-
„ cus liberum...Non enim illos carnales motus, ut, cum libet, exe-
„ rit, ita etiam cum libet, extinguit: non enim ſicut peccatum in ejus
„ poteſtate eſt, ita etiam pœna peccati. Magna quippe res eſt ipſa ani-
„ ma, nec ad opprimendos laſcivos motus ſuos idonea ſibi remanet.
„ Valentior enim peccat, & poſt peccatum divina lege facta imbecil-
„ lior, minus potens eſt auferre quod fecit. "

Idem *in Pſal. 6.* 5. ad hæc verba *Convertere Domine & erue animam meam*, " Convertens ſe, inquit, orat ut ad eam convertatur & Deus
„ .... An ex illa locutione difficultatem laboremque ſentiret? ....
„ dum enim nos convertimus, ... durum ſentimus & laborioſum a ter-
„ renarum cupiditatum caligine retorqueri, ... & ideo poſt quam di-
„ xit, *Convertere Domine*; addit, *& erue animam meam*: tanquam in-
„ hærentem perplexitatibus hujus ſæculi, & ſpinas quaſdam dilaceran-
„ tium deſideriorum in ipſa converſione patientem. "

Probatur 3. Eccleſiæ judicio & uſu, quæ præcipitem & inconſultam hujuſmodi peccatores abſolvendi temeritatem ſemper improbavit.

Cyprianus *de lapſis* " Non concedit pacem, inquit, iſta facilitas,
„ ſed tollit; nec communicationem tribuit, ſed impedit ſalutem. Per-
„ ſecutio eſt hæc alia .... per quam ſubtilis inimicus impugnandis ad-
„ huc lapſis occulta populatione graſſatur; ut lamentatio conquieſcat,
„ ut dolor ſileat, & delicti memoria evaneſcat, nec Dominum gravi-
„ ter offenſum longa & plena Pœnitentia deprecetur.

Petrus Bleſenſis *in tract. de Conf.* " Nemo itaque, inquit, de momen-
„ tanea Contritione, vel affluentia lacrymarum præſumat .... nonne
„ iſta compunctio eorum excæcat oculos & aures cordis obturat, qui
„ credentes ſe eſſe aliquid cum nihil ſint, abominabiles criminum ma-
„ culas ſine fructibus Pœnitentiæ, paucis lacrymis exiſtimant abluiſſe,
„ vera ſiquidem Pœnitentia non in lacrymis momentaneis aut horaria com-
„ punctione conſiſtit: nulla etiam affectio pia meritoria eſt ad ſalu-
„ tem, niſi ex Chriſti dilectione procedat. "

Probatur 4. multiplici ratione.

Prima petitur ab experientia. Ut enim obſervat Bernardus *ſerm. 75. de diverſ.* " Si bene memini, inquit, in toto Canone Scripturarum
„ unum latronem invenies ſic ſalvatum. " Hinc Auguſtinus " Unus eſt,
„ inquit, ne deſperes: unus eſt, ne confidas. "

Secunda petitur ab exemplo Auguſtini, qui *lib. 8. Confeſ* quantopere quamque diu cum ſua ipſius voluntate ſaucia & ſemiplena luctatus ſit eleganter ob oculos exhibet *cap.* 5. " Suſpirabam, inquit, ligatus,
„ non ferro alieno, ſed ferrea mea voluntate. Velle meum tenebat ini-
„ micus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me: quip-

„ pe

„ pe ex voluntate perverſa facta eſt libido ; & dum ſervitur libidini , „ facta eſt conſuetudo ; & dum conſuetudini non reſiſtitur , facta eſt „ neceſſitas . Quibus quaſi anſulis ſibimet innexis , (unde catenam ap„ pellavit,) tenebat me obſtrictum dura ſervitus : voluntas autem no„ va quæ mihi eſſe cœperat .... nondum erat idonea ad ſuperandam „ priorem vetuſtate roboratam . Ita duæ voluntates meæ , una vetus , „ alia nova ; illa carnalis , illa ſpiritalis, confligebant inter ſe, atque „ diſcordando diſſipabant animam meam. *Ibid. cap.* 8. *num.* 19. “ Fre„ mebam, inquit, ſpiritu indignans turbulentiſſima indignatione, quod „ non irem in placitum & pactum tuum, Deus meus .... Nam non „ ſolum ire, verum etiam pervenire illuc , nihil aliud erat quam vel„ le ire, ſed velle fortiter & integre, non ſemiſauciam hac atque hac „ verſare & jactare voluntatem, parte aſſurgente , cum alia parte ca„ dente luctantem. *Ibid. cap.* 9. *num.* 21. “ Unde hoc monſtrum , in„ quit , & quare iſtud ? Imperat animus corpori, & paretur ſtatim ; „ imperat animus ſibi, & reſiſtitur? .... Imperat ut velit , qui non „ imperaret niſi vellet , & non fit quod imperat . Sed non ex toto „ vult, non ergo ex toto imperat .... Non igitur monſtrum partim „ velle, partim nolle ; ſed ægritudo animi eſt ; quia non totus aſſur„ git, veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus. Et ideo ſunt duæ „ voluntates, quod una earum tota non eſt ; & hoc adeſt alteri, quod „ deeſt alteri. “

Tertia ex ipſa deſumitur Pœnitentiæ natura . Eſt enim illa virtus . At virtutes certo temporis ſpatio egent, ut matureſcant. Ut enim ait Auctor operis *de vocatione gentium lib.* 2. *cap.* 11. “ Sicut in germini„ bus herbarum atque lignorum, quæ terra producit, plenum decorem „ non ſtatim ut eduntur accipiunt , ſed certis & ordinatis provehun„ tur augmentis , donec ad perfectam ſui habitus quantitatem perve„ niant ; ita & ſemina chariſmatum, plantæque virtutum, non in omni „ agro cordis humani totum hoc pariter quod ſunt futura naſcuntur ; „ nec facile reperitur in exordio maturitas , & in inchoatione per„ fectio.

Quarta ex ipſa peccatoris voluntate quæ, cum rebus caducis affixa eſt, ſic in iis amore velut in viſco inhæret, ut vix avellatur, & ex laqueis in quos ſe induxit, ægre ſe expediat. Hinc S. Thomas *in* 4. *diſtinct.* 20. *quæſt.* 1. *ad* 1. “ Facile non eſt, inquit, ut affectus quem homo toto tem„ pore vitæ ſuæ inclinavit in aliquid, ſubito ad contrarium retrahat. “

Quinta ex ipſa peccati vi . 1. enim *Omnis qui facit peccatum* , *ſervus eſt peccati* , ut dicitur Joan. 8. 34. ac proinde Diaboli , a quo, ut loquitur Paulus 2. Tim. 2. 26. *captivus tenetur ad ipſius voluntatem ;* juſtoque Dei judicio fit, ut durum illud jugum, non niſi multis diuque continuatis conatibus excutiatur. Unde Greg. Magn. *in* 1. *Reg. lib.* 4. *cap.* 2. “ Quibus, inquit, peccata dominantur, ab eorum jugo per ſe liberari „ nequeunt : nam ſæpe ad Dominum cum precibus veniunt, liberari pe-

„ tunt ;

„ tunt; ſed exaudiri non poſſunt. Divino ſiquidem judicio cum eis agi-
„ tur, ut qui noluerunt mala vitare cum poſſent, non poſſint vitare
„ cum volunt, & qui ſponte incurrunt mala præcognita, fugere non poſ-
„ ſint experta. “ Et ut ait Bernardus, *ſerm. de tripl. miſericordia, & quatuor miſerationibus*: “ Difficilis prorſus res, & ſoli divinæ virtuti
„ poſſibilis, ſuſceptum ſemel peccati jugum a cervicibus ſuis excutere,
„ quoniam. *Qui facit peccatum ſervus eſt peccati.* “ 2. Peccatum gravia voluntati vulnera, magnamque infirmitatem infert, quæ non niſi longa temporis mora curantur, ut obſervat Cyrillus Alexandrinus qui *hom.*
„ *in Jerem.* “ Tempore opus eſt, inquit, ſicut in vulneribus ad cura-
„ tionem, ſic in converſione ad plene & pure convertendum ſe ad
„ Deum. “ Inde eſt quod Clerus Romanus *Epiſt. ad Cyprianum*, eos qui medicinam præproperam afferrent arguens, ait “ Ubi poterit indul-
„ gentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe medicus intercepta Pœni-
„ tentia indulget periculis, ſi tantummodo operit vulnus, nec ſinit ne-
„ ceſſaria temporis remedia obducere cicatricem. “ 3. denique, Peccatum mors eſt animæ. Jam vero non niſi ſummo labore quis ab hac morte excitatur. Sicut enim monet Laurentius Juſtinianus *lib.* 2. *de ſpirituali reſurrectione animæ*. “ O quantis clamoribus introrſus, quan-
„ tiſve exhortationibus ſacris excitatur peccator antequam de morte,
„ ſeu ſomno delictorum evigilet. Sed & vigil effectus, o quot blan-
„ ditiis, quot rationibus, quot promiſſionibus, quot pulſatur terrori-
„ bus ac flagellis, priuſquam voluntatem peccandi abjiciat, & ſincero
„ animo ac deliberatione conſtanti totus divino mancipetur obſequio!
„ Nec immerito: tot quippe funibus tenetur aſtrictus, quot ſceleribus
„ prægravatur; tantiſque ſpiritualibus eſt compeditus vinculis, quan-
„ tis rebus caducis immoderato inhæret affectu. Captivatur itaque con-
„ ſuetudine delinquendi, retrahitur a ſenſualitate, quæ Penitentiæ jugo
„ colla ſubdere recuſat; repellitur ſuaſione Dæmonum, viſibilium deti-
„ netur amore, amicorum & affinium diſſuadetur blanditiis. “

Sexta depromitur ex ordinario modo concedendæ gratiæ ad juſtificationem neceſſariæ. Quemadmodum enim ait ſanctus Thomas 1. 2. *q.* 115. *art.* 10. “ Eſt iſte communis & conſuetus curſus juſtificationis,
„ ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum,
„ primo quidem converſione imperfecta, ut poſtmodum ad perfectam
„ deveniat; quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur
„ perfici, ſicut Auguſtinus dicit. “

Septima, ex cauſis quæ movent Deum, ut nonniſi gradatim gratiam illam largiatur. Duas commemorat Auguſtinus; 1. eſt, Ut ipſe agnoſcatur tanti beneficii fons & auctor. “ Potuit, inquit, ſanctus Doctor *in Pſal.*
„ *106.* hoc Dominus ſine difficultate præſtare: ſed ſi hoc ſine diffi-
„ cultate haberemus, largitorem hujus boni non agnoſceremus. Si enim
„ primitus, cum vellet, poſſet, & non ſentiret adverſus ſe obnitentes
„ cupiditates, nec vinculis ſuis gravata anima collideretur, ſuis viribus

tri-

„ tribueret quod ſe poſſe ſentiret „ & non confiteretur Domino miſe-
„ rationes ejus. 2. eſt, Ut homo peccati gravitatem ſentiat. Ut enim
„ idem monet *ſerm. 34. de diverſ.* “ Paulatim recipitur quod ſemel a-
„ miſſum eſt : ſi enim cito rediret homo ad priſtinam beatitudinem,
„ ludus illi eſſet peccando cadere in mortem. “ Et *in Pſal. 6.* “ Quod
„ facile ſanatur, inquit, non multum cavetur. Ex difficultate autem
„ ſanationis erit diligentior cuſtodia receptæ ſanitatis.

A S S E R T I O X.

Agendus eſt pro varietate criminum dolor.

Probatur 1. ex Patribus, inter quos unus ſufficiet Cyprianus : in libro enim *de lapſis*. “ Quam magna delinquimus, inquit, tam gran-
„ diter defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit.
„ Pœnitentia crimine minor non ſit. “

A S S E R T I O XI.

Contritio in ſe includit odium veteris vitæ.

Eſt aſſertio contra Lutherum, qui initio defectionis ſuæ, ut a Pœnitentiæ labore peccatores averteret, frequenter in ore habebat, optimam Pęnitentiam eſſe novam vitam : eam non eſſe dolorem, ſed mutationem mentis & conſilii. Vide *Sermonem de Pœnitentia* & *Epiſtolam ad Vicarium ſui Ordinis*.

Illud autem adeo evidenter falſum eſt, ut Lutherum ejus diſcipuli, ac Calviniani deſeruerint : de quo Kemnitius 2. *par. exam. concil. Trid.* & Calvinus *Inſtitutionis lib. 3. cap. 4. num. 2.*

Probatur 1. ex Scripturis, quæ non aliter nobis exhibent effigiem veri Pœnitentis.

Pſalm. 37. 18. *Dolor meus in conſpectu meo ſemper.*

Pſal. 50. 5. *Peccatum meum contra me eſt ſemper.*

Iſa. 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Ezech. 18. 31. *Projicite a vobis iniquitates veſtras.*

Apoc. 2. 5. *Memor eſto unde excideris, & age Pœnitentiam.*

Probatur 2. ex Patribus, qui iiſdem coloribus nobis depingunt Pœnitentiam.

Tertullianus *de Pœnitentia cap. 4.* “ Pęniteat errorum, inquit; ....
„ pęniteat amaſſe quæ Deus non amat, quando ne nos quidem ipſi ſer-
„ vulis noſtris ea, quibus offendimur, non odiſſe permittimus. “

Baſilius *in regulis brevior. cap. 10.* “ Primum, inquit, (anima) ma-
„ le anteactam vitam ſuam odiſſe debet, ejuſque memoriam abhorrere
„ & deteſtari. “ Idem fere habet *in Pſal. 33.*

Ambroſius *in Pſal. 37.* “ Plena Pœnitentiæ definitio, inquit, com-
„ me-

„ memoratio eſt delictorum; ut unuſquiſque peccata ſua velut quodam „ quotidiani ſermonis caſtiget flagello, & commiſſa ſibi flagitia con„ demnet. “

Hieronymus *Epiſt. ad Ruſticum* “ Niſi oderimus malum, bonum ama„ re non poſſumus. “

Auguſtinus, ſeu quis alius, *Serm.* 117. *in appendice*, Pœnitentiam „ certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei. “ *Epiſt. ad Bo„ nifacium* “ Niſi egeris Pęnitentiam, inquit, ſalvus eſſe non poteris. „ Quomodo enim gaudebis te eſſe correctum, niſi doleas fuiſſe perver„ ſum? “ *Ibidem* de Donatiſtis, “ Habeant Donatiſtæ, inquit, de præ„ terito deteſtabili errore, ſicut Petrus habuit de mendaci timore, a„ marum dolorem. “ *Serm.* 351. *num.* 12. “ Non ſufficit (ad Pœniten„ tiam,) inquit, mores in melius commutare & a factis malis rece„ dere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per Pœniten„ tiæ dolorem. “ *Hom.* 352. *nu.* 2. “ Nemo, inquit, eligit novam vi„ tam, niſi quem veteris pœnitet. “ Scribens autem *ad Severum Milevitanum*, cui ſimile quid Lutheri commento exciderat, “ Quaſi, in„ quit, non ſint dolenda, quæ male geſta ſunt, etiamſi quantum poſ„ ſunt, poſtea corrigantur. “

Probatur 3. ratione. Primus enim ad novam vitam gradus eſt veterem odiſſe: fieri nimirum non poteſt, ut quis priorem vivendi rationem mutet, niſi ei diſpliceat & inviſa ſit.

Et vero contemplatio juſtitiæ, quam ad Pœnitentiam duntaxat Lutherus requirit, non Pęnitentiam parit, ſed amorem tantum ſui & exultantem animi lætitiam, qualis eſt etiam in iis qui nunquam peccaverunt. Contritio autem ex peccatorum intuitu & deteſtatione naſcitur.

Quando autem dicitur vulgari adagio, *optima Pœnitentia nova vita*; id ita accipiendum eſt, ut mutatio & emendatio vitæ ſit certiſſimum veræ & non fucatæ Pœnitentiæ argumentum; non vero eo pertinet tantum, ut ad Pęnitentiam ſatis ſit novam vitam auſpicari, nec neceſſe ſit præteritam odiſſe. Hoc enim neceſſario prius eſt altero. Nam, ut notat Auguſtinus *ſerm.* 351. “ Niſi hominem pœniteat vitæ veteris, „ novam non poteſt inchoare. “

Jam vero ut quis cenſeatur veteris vitæ odium concepiſſe, neceſſarium eſt 1. ut peccata deſerat; 2. ut peccandi occaſiones fugiat; 3. ut pro peccatis admiſſis juſtitiæ divinæ faciat ſatis.

ASSERTIO XII.

Ad Contritionem requiritur certum & expreſſum propoſitum vitæ melioris.

Eſt aſſertio adverſus Joannem Majorem, & Jacobum Almainum *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 1. quos ſecutus eſt Vega *lib.* 13. *in conc. Trid. cap.* 21. Hi enim contendunt ad Contritionem ſatis eſſe implicitum & virtuale,

le, ut vocant, propoſitum emendationis vitæ, in quo repugnant majori, ſaniori & antiquiori parti Theologorum.

PROBATUR I. ex Scripturis quæ utrumque conjungunt, odium videlicet peccati & melioris vitæ propoſitum, velut peræque neceſſarium ad Contritionem.

Iſa. I. 16. *Lavamini, mundi eſtote .... quieſcite agere perverſe; diſcite bene facere.*

Ezech. 18. 27. *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam: ipſe animam ſuam vivificabit.*

Hæc enim de propoſito ſolo intelligenda ſunt; omnes quippe unanimi conſenſu fatentur juſtificationem peccatoris ab ipſis bonis operibus non pendere, quippe quæ interveniente ſtatim morte poſſint non patrari.

Ibid. v. 31. *Projicite a vobis iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum.*

Amos 5. 15. *Odite malum, & diligite bonum, ... ſi forte miſereatur Dominus.*

Paulus ad Eph. 4. 22. *Deponere vos .... veterem hominem: ... renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, &c.*

PROBATUR 2. decretis Eugenii IV. ſummi Pontificis, & ſynodi Tridentinæ *ſupra pag.* 33. allatis: utrobique enim in definitione Contritionis propoſitum non peccandi de cætero conceptis verbis includitur una cum deteſtatione peccati, & quidem ſeorſum, diſtinčte & explicate recenſetur, & ab ipſa deteſtatione ſecernitur. Atqui propoſitum implicitum vitæ melioris non diſtinguitur ab ipſa deteſtatione peccati. Ergo de hoc implicito voto non loquuntur, aut fruſtra loquuntur. Jam vero quod fruſtra & abſque cauſa propoſitum illud expreſſerint, dicere nemo audeat. Ergo.

PROBATUR 3. ex veteri Eccleſiæ diſciplina. Notum eſt enim moris olim fuiſſe, ut Catechumeni ante Baptiſmum ſolemni ritu Diabolo ejuſque operibus ac pompis abrenunciarent, ſimulque ad Chriſtum converti ſe declararent: eandem porro conſuetudinem erga reconciliandos poſt Baptiſmum viguiſſe diſcimus, ex *regula* Chrodogandi Epiſcopi Metenſis.

PROBATUR 4. ex Patribus.

Ambroſius *ſupra*, " Pęnitentia eſt, inquit, & mala præterita plan„ gere; & plangenda non admittere. "

Chryſoſtomus *Orat. de S. Philog.* " Diſcede a malo, inquit, deſiſte „ a pravitate, pollicere poſthac iſta non commiſſurum. "

Gregorius mag. *hom.* 34. *in Evangelia*, iiſdem fere verbis quibus Ambroſius modo, " Pęnitentiam vere agere, inquit, eſt & perpetrata mala „ plangere, & plangenda deinceps non perpetrare. " Quem locum exſcribunt Jonas Aurel. *in ſua de Laicis inſtitutione*, & Bernardus *Epiſt.* 142. *ad Henricum Senon. Archiep.*

PRO-

Probatur 5. communi Theologorum confeſſione. Sic enim ſtatuunt Lombardus *lib.* 4. *diſt.* 14. & 15. Alexander Alenſis *in ſumma*, *parte* 3. *quæſt.* 69. *art.* 2. Albertus mag. *in* 4. *diſt.* 14. S. Thomas *ibid. diſt.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 1. Scotus & Durandus *ibid.* Adrianus IV. *quodlibeto* 5. *art.* 3. Cajetanus *in additionibus ad* 3. *part. S. Thomæ quæſt.* 1. *art.* 1. Soto *in* 4. *diſt.* 9. Canus *Relect. de Pœnit. part.* 1.

Probatur 6. multiplici ratione.

Primo ad Contritionem requiritur converſio vera cordis ad Deum, ut ſupra probavimus. At converſio vera cordis ad Deum, non tantum non poteſt eſſe, ſed ne intelligi quidem poteſt abſque vera & ſincera voluntate ei placendi & obtemperandi. Ergo.

Secundo eadem eſt conditio propoſiti vitæ melioris, quæ deteſtationis peccati: non minus enim deteſtatio vitæ veteris continetur in propoſito novæ ac melioris vitæ, quam propoſitum emendandæ vitæ contineatur in deteſtatione anteactæ vitæ. Atqui quod deteſtatio veteris vitæ contineatur in propoſito vitæ emendationis, hoc non obſtat, judice etiam Vega, quominus hæc deteſtatio debeat eſſe certa, explicata & diſtincta. Ergo eodem jure nihil impedit, quominus propoſitum vitæ melioris neceſſarium quoque aſſeratur.

Tertio animus ſtare non poteſt in ancipiti, & quodam pondere verſus aliquid ſemper fertur. Ergo non poteſt vere peccatum odiſſe, quin eo ipſo in meliorem vitam inclinetur.

ARTICULUS II.

De Contritionis proprietatibus.

QUatuor Contritionis proprietates expendemus, ſupernaturalitatem, neceſſitatem, extenſionem, & vim ſeu meritum.

ASSERTIO I.

Contritio debet eſſe ſupernaturalis.

Eſt contra quoſdam e recentioribus, quorum alii *a* ſtatuerunt ſatis eſſe, ſi Contritio ſupernaturalis eſſe exiſtimetur, licet reipſa ſit naturalis; alii *b* ad ſacramentum Pœnitentiæ ſufficere Attritionem naturalem propugnarunt, modo honeſta ſit; alii *c* denique ſatis eſſe putarunt, ſi quis de peccato admiſſo doleat ob morbum aut dedecus, aut paupertatem, vel alia id genus, quæ dicuntur hujus vitæ mala, dummodo credantur a Deo tanquam ultore criminum immiſſa.

Duæ ſunt aſſertionis noſtræ partes, altera enim ſpectat ad genus ipſum

a Eſcobar *tract.* 7. *exam.* 4. *numero* 39. *p.* 805. Tambur. *in Methodo confeſſionis.* Fagundez *ibid.*

b Filiutius *moral. qq. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 6. *n.* 153. 154. *pag.* 185. Theſes Claromontanæ *an.* 1643. & 1644.

c Eſcobar *tract.* 7. *exam.* 4. *cap.* 7. *num.* 91. *pag.* 815. Hurtado *ibid.* Amicus *tract.* 8. *diſput.* 13. *num.* 13.

Contritionis, quæ naturalis conſtituitur; altera vero ad objectum, ut ajunt, ex quo concipitur, & quod omnino temporale ſtatuitur: ſed ambæ opiniones eodem recidunt, in poſtrema enim nihil eſt quod ſupra naturam poſitum videri queat.

Probatur 1. pars, Contritionem nimirum ex genere ſuo ſupernaturalem omnino eſſe oportere.

Primo ex Scripturis, quæ aperte indicant Pęnitentiam ſalutarem ex ſpeciali Dei gratia proficiſci. Paulus enim 2. *ad Tim.* 2. 25. eum monet, ut cum modeſtia corripiat eos qui reſiſtunt veritati: tum rationem afferens, *Ne quando Deus*, inquit, *det illis Pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a Diaboli laqueis, &c.*

Secundo ex duobus Conciliis quæ iſtud definierunt.

Primum eſt Arauſicanum, in quo adverſus Semipelagianos ſancitur, *can.* 6. Pęnitentiam ſicut & cæteras virtutes per inſpirationem Spiritus-Sancti infundi.

Alterum eſt Tridentinum, quod dupliciter idem ſtatuit. 1. enim *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. tradit " Contritionem etiam imperfectam, quæ Attritio di-
„ citur, ... donum Dei eſſe, & Spiritus-Sancti impulſum; non adhuc
„ quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo Pœnitens adjutus,
„ viam ſibi ad juſtitiam parat: " 2. *ibid.* " declarat hujuſmodi Contri-
„ tionem etiam imperfectam ad Dei gratiam in ſacramento Pęnitentiæ
„ impetrandam diſponere: " 3. tandem *ſeſſ. 6. can.* 3. ſic habet: Si quis
„ dixerit ſine præveniente Spiritus-Sancti inſpiratione atque ejus adju-
„ torio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut
„ oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. "

Tertio ex Patribus qui ad converſionem cordis & ſalutare peccati odium, decernunt neceſſarium eſſe auxilium Dei ſupernaturale. Sic

Auguſtinus *lib.* 2. *contra adverſ. legis & Proph. cap.* 7. *num.* 27. " De-
„ ſiderium peccandi, inquit, ... non extinguitur niſi contrario deſide-
„ rio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur, ... non per
„ jubentem litteram timore pœnæ, ſed per juvantem Spiritum dilectio-
„ ne juſtitiæ. " *de Spiritu & litt. cap.* 15. *num.* 28. " Spiritus Domini
„ dono, inquit, ... fit ... in nobis, ut non peccare delectet. " *lib.* 2. *de peccat. meritis, cap.* 18. *num.* 31. " Quod a Deo nos avertimus, inquit,
„ noſtrum eſt: quod vero ad Deum nos convertimus, niſi ipſo nos ex-
„ citante & juvante non poſſumus. " *lib. de grat. & lib. arb. c.* 5. *n.* 10.
„ Niſi donum Dei eſſet, inquit, etiam ipſa ad Deum noſtra converſio,
„ non ei diceretur: *Deus virtutum converte nos.* "

Atque hoc unum eſt ex præcipuis fidei dogmatibus, quæ adverſus Pelagianos Auguſtinus & Concilia olim aſtruxerunt.

Quarto ex ratione. 1. enim inde conſequens foret aliquem viribus naturæ ſe poſſe diſponere ac præparare ad gratiam. Atqui is error eſt a multis olim Synodis ipſaque Tridentina damnatus. 2. Tota funditus religio perit Chriſtuſque gratis mortuus eſt, ſi quis a pecca-

to abſque ejus gratia ſurgere, ſi abſque ipſius auxilio ad Deum converti poſſit.

Probatur 2. pars, dolorem nempe conceptum ob amiſſionem bonorum temporalium idoneum non eſſe ad reconciliandum hominem Deo.

Primo enim dolor & metus iſtius modi non ab alio fonte profluunt quam ab amore bonorum temporalium; omnis enim dolor ac timor in amore fundantur, ut ratio & experientia docent, paſſimque affirmat S. Auguſtinus. Atqui amor ejuſmodi bonorum, nedum natura ſua lapſos homines ad Deum convertat ſuopte contra ingenio a Deo abducit. Ut enim ait Sanctus Jacobus cap. 4. v. 4. *Amicitia hujus mundi inimica eſt Dei: quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus inimicus Dei conſtituitur.*

Secundo. Ipſe timor gehennæ non ſufficit ad recuperandam gratiam; nam de ipſo pronuntiat Sanctus Auguſtinus *ſerm.* 214 *de tempore*, quia " pungit tantum animam ne amittatur aliquid quod in creatura diligitur, vel ipſa ſalus & requies corporalis, aut aliquid tale poſt „ mortem. " Atqui quod pungit tantum animam ne amittatur quod in creatura diligitur, non ſufficit ad recuperandam gratiam. Ergo timor ille non ſufficit; ergo multo minus dolor de malis temporalibus, aut eorum metus, ſatis erunt ad obtinendam remiſſionem peccatorum; cum uterque ab amore creaturæ proficiſcatur. Hinc Auguſtinus, "Qui „ propter bona temporalia colit Deum; non Deum, ſed bona tempo„ ralia colit.

Tertio. Id doloris ac timoris genus maxime viget in iis qui rebus caducis quam vehementiſſime addicti ſunt. An vero quis erit eo ad gratiam magis paratus, quo rerum periturarum amantior erit?

Nec dicas aliquem eſſe hic reſpectum Dei, a quo mala iſta in homines tanquam ultore ſcelerum derivari credantur.

Quid enim eſt in eo quod non occurrat etiam in hominibus perditis? Quis enim aleator non maxime dolet de amiſſa ludo pecunia? quis vero adeo exuit omnem religionis ſenſum, ut iſtud abſque Dei nutu & providentia contigiſſe dicat? An idcirco in proximo gradu eſt ad recuperandam amicitiam Dei? Quid in eo ſupra naturam? aut potius quid eſt quod non cadat præſertim in malos? Hi enim eo magis anguntur jactura bonorum temporalium, quo ea ardentius concupiſcunt, iiſque ſuavius adhærent.

Quarto. Qui propter ejuſmodi mala tantum dolet quod Deum offenderit, ei duntaxat ſervit propter ejuſdem ordinis bona. Atqui, ut Auguſtinus notat *in Pſalm.* 77. " Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, „ non utique Deum, ſed illa quærebant .:.. Sic ergo Deus non colitur: „ hoc enim colitur quod diligitur. " Quid autem abſurdius, quam quod aliquis excellentiſſimum Dei donum iis actibus impetret, quibus eum non colit.

Quinto. Hanc pœnitendi rationem jam dudum damnavit Rupertus

in cap. 26. Matth. " Unus eſt, inquit, Pœnitentiæ modus, de quo
" juſtus & miſericors Deus curare dignetur, ubi cauſa Pœnitentiam
" agendi eſt, fides futuri ſæculi... Alius eſt Pœnitentiæ modus, ubi
" cauſa Pœnitentiam agendi eſt amor præſentis ſæculi: de hujuſmodi, quo-
" niam ſalutem non operatur, Deus nunquam curaſſe legitur. "

Sexto. Hanc tandem repudiat Guillelmus Caſſadorus Barcinonenſis Epiſcopus *in Eccleſiæ ſuæ rituali libro*, quem edidit ſuperioris ſæculi anno 69.
" Attritio, inquit, propter temporalia detrimenta, ut viribus naturæ gi-
" gni poteſt, ſic ad remiſſionem peccatorum non ſufficit. "

Septimo. Dæmones ipſi dolent haud dubie de peccato ſuo propter pœnas inde conſecutas, nec ignorant has pœnas a Deo ſibi infligi in ſceleris ultionem. Ergone ea de cauſa Pœnitentes dicendi ſunt?

ASSERTIO II.

Contritio ad peccatorum remiſſionem conſequendam neceſſaria eſt.

Probatur 1. ex Scripturis a nobis jam laudatis, in quibus Deus a peccatore cordis converſionem efflagitat, ut ei peccatorum remiſſionem largiatur.

Probatur 2. ex Patribus ibidem memoratis, Contritioni cordis peccatorum remiſſionem tanquam neceſſariæ conditioni alligatam eſſe pronuntiant.

Probatur 3. ex ſynodo Tridentina quæ *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. definit ejuſmodi Contritionem omni tempore fuiſſe neceſſariam ad peccatorum veniam impetrandam.

ASSERTIO III.

Peccat graviter qui poſt admiſſa flagitia Contritionem in multum tempus ſponte aut negligenter differt.

Eſt aſſertio contra quoſdam recentiores qui arbitrantur hominem eo præciſe non peccare, quod Contritionem procraſtinet, niſi quid aliunde ipſum ad Contritionem eliciendam urgeat, v.g. periculum mortis, adminiſtratio aut ſuſceptio Sacramenti, aut aliquid ſimile.

Probatur 1. ex Scripturis. Eſt enim illud non conſilium modo, ſed etiam præceptum Sapientis Eccli. 5. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.*

Probatur 2. ex Patribus, ac præſertim Tertulliano *de Pœnitentia, cap.* 10. Cypriano *de lapſis*, Auguſtino paſſim *in ſermonibus*, Gregorio Magno *homilia* 22. *in Evangelia*, Hugone Victorino *lib.* 2. *de Sacramentis*, qui in illam converſionis moram graviter invehuntur: quibus adde cæteros omnes qui ajunt Catechumenos ingenti piaculo ſe devin-

cire,

cire, quod Baptiſmi ſuſceptionem differant: quanto enim majus eſt, diſtuliſſe Contritionem?

Probatur 3. rationibus variis:

Primo enim in ejuſmodi dilatione culpanda ſane negligentia eſt. Si enim amicus, qui alium læſit, ſi filius qui patrem, negligentiæ merito accuſantur, ſi cum iis in gratiam redire non feſtinent, ſimul ac ſe offert opportunitas temporis ac loci: quanto magis vituperandi ſunt, qui penſi non habent ad Deum quem offenderunt reverti?

Secundo nemo poteſt abſque culpa contemnere Deum. Contemnit autem qui ei reconciliari non curat. Unde Apoſtolus ad Rom. 2. 4. *An divitias bonitatis ejus*, inquit, *& patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.*

Tertio *Deus non irridetur*, ad Gal. 6. 7. Irridet porro Deum, qui obfirmato adverſus impendentem pœnam animo perſeverat, & ſecurus ſui non timet incidere in manus Dei viventis, quod horrendum eſſe pronuntiat idem Apoſtolus.

Quarto nullum eſt ſcelus quod injuriam non faciat Deo, ejuſque honorem non violet; ab ipſo enim tollit titulum finis ultimi & in alia transfert. Jam vero ſi, qui diutius omittit reſtituere pecuniam ablatam eamque ſciens retinet, is ſine dubio in præceptum peccat hac ipſa hora: quanto magis qui honorem ereptum Deo non reſtituit quamprimum poteſt? Etſi enim aliquod eſt inter hæc duo diſcrimen, quod nempe homo ex ipſa pecuniæ ſuæ privatione detrimentum capiat, non item Deus ex ejuſmodi injuria, hoc ad rem non facit: peccator enim quantum in ſe eſt, totum illud aufert a Deo; ac proinde non minus reus eſt, quam ſi eum reipſa honore ſpoliaret. Sic qui lædere nititur famam hominis probi, ac omnibus noti, a crimine non abſolvitur, quod ei forte nocere non potuerit.

Quinto Peccatum in ſe admittit, qui converſionem ſuam ad Deum quotidie differt: evidenti enim periculo objicit ſalutem ſuam ob incertam mortis diem; quod pariter notat ſanctus Gregorius *homil.* 12. *in Evang.* ubi ſic habet. " Si ſciret quiſque de præſenti ſæculo quo tem-
" pore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud Pœnitentiæ ap-
" tare potuiſſet. Sed qui Pœnitentiæ veniam ſpopondit, peccanti diem
" craſtinum non promiſit. Semper ergo extremum diem debemus me-
" tuere, quem nunquam poſſumus prævidere. Ecce hunc ipſum diem
" ad inducias converſionis accepimus, & tamen mala quæ fecimus,
" flere recuſamus. " Breviter Sapiens Eccli. 3. 27. *Cor durum male habebit in noviſſimo, & qui amat periculum in illo peribit.*

Sexto in eo etiam delinquit quod ſuam ad malum propenſionem ſic augeat. Ut enim monet idem Gregorius, " Peccatum quod
" per Pœnitentiam non deletur ſuo pondere in aliud trahit.

Septimo hic peccatoris ſtatus diſplicet Deo: ergo neceſſum eſt ut veternum illud quo torpet quamprimum excutiat.

Octavo Chriſtus diſerte imperat *Matt.* 5. 23. ut qui novit fratrem ſuum ſibi iratum, ante omnia cum eo ſtatim reconcilietur; *Si offers*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Quod ſi ita eſt de homine, quid de Deo ipſo ſtatuendum eſt?

Ex quo ſequitur diuturniorem hanc in peccato moram in confeſſione eſſe exprimendam, propterea quod novum ſit peccatum. Imo eſſet illa aperienda Sacerdoti, quamvis malitiam prioris peccati duntaxat augeret, quod ſentiunt alterius opinionis defenſores.

ASSERTIO IV.

Peccare videtur quem ſceleris admiſſi non pœnitet, ſtatim atque in memoriam illius redit.

Prob. 1. quia illud eſt ſuperioris aſſertionis conſectarium: ſi enim graviter delinquit, qui per multum tempus differt converſionem ſuam ad Deum; non poteſt etiam aliquod peccatum non admittere, qui per aliquod tempus eam procraſtinat.

Prob. 2. auctoritate veterum Theologorum, qui ita ſenſerunt.

Primus eſt Guillelmus Pariſ. qui non ſolum cenſet hominem ejuſmodi ſtatim conteri oportere; ſed debere etiam eum ſtatim peccatum illud ſuum confiteri.

Secundus eſt ſanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *quæſtiunc.* 4. „ Reſpondeo, inquit, dicendum quod cum propoſitum confitendi ſit annexum Contritioni; tunc tenetur aliquis ad hoc propoſitum, quando ad „ Contritionem tenetur: ſcilicet quando peccata occurrunt memoriæ.“ „ 2. vero 2. *q.* 62. *art.* 8. *in corp.*“ Manifeſtum eſt, inquit, quod nec „ per modicum tempus, licet in peccato morari; ſed quilibet tenetur „ peccatum ſtatim deſerere; juxta illud Eccli. 21. 2. *Quaſi a facie colu-* „ *bri, fuge peccata.*

Tertius eſt ſanctus Antoninus, qui etiam hoc in capite longius progredi videtur: ſic enim habet *in Summa* 3. *parte*, *tit.* 14. *cap.* 18. *num.* 2. “ Quantum ad peccata mortalia, inquit, de quibus quis nondum ha- „ buit Contritionem; videtur quod ſemper teneatur, quando peccatum „ menti occurrit, ad actu odiendum & deteſtandum peccatum: alias „ peccat mortaliter peccato omiſſionis, quouſque conteratur.“ Tum dicti rationem addit: “ Nec enim, inquit, per momentum licet ſtare „ in peccato, ... imminet enim maximum periculum: cum enim „ nulla neceſſitas excuſet a Contritione, ſi moriatur ante Contritio- „ nem, etiamſi non potuerit conteri quia ſubito moritur, nihilominus „ damnatur.“

Pro-

Prob. 3. ratione. Qui enim lethale vulnus accepit, ſtatim ſub pęna peccati neceſſarium ei remedium adhibere debet ne vitam imprudens amittat. Quanto ergo potiori jure tenetur is Contritionem uſurpare, qui verſatur in tanto æternæ ſalutis ſuæ dicrimine?

ASSERTIO V.

Contritio & Pœnitentia neceſſaria eſt neceſſitate medii.

Eſt aſſertio contra nonnullos e recentioribus, qui Contritionis neceſſitatem aut ſuſtulerunt e medio, aut ſaltem plurimum extenuarunt.

Scilicet non ita pridem aliquis extitit Theologaſter, ut notat Lupus *in epiſtola ad Henricum Noris*, *cap.* 4. qui nullum penitus, ne quidem naturalem dolorem tradidit requiri ad pęnitentialis ſacramenti valorem: alii * autem docuerunt dolorem exiſtimatum ſufficere; alii ſatis eſſe dolendi voluntatem; alii ſatis eſſe, ſi doleas quod non doleas ut par eſt de admiſſo peccato.

Prob. 1. ex Scripturis quæ Contritionem cordis exigunt, tanquam conditionem ad criminum remiſſionem omnino neceſſariam.

Ezech. 33. 9. *Si .... non fuerit converſus a via ſua*, *ipſe* (impius) *in iniquitate ſua morietur*. Luc. 13. 3. Chriſtus, *Niſi Pœnitentiam habueritis*, inquit, *omnes ſimiliter peribitis*, *&c.*

Probatur 2. ex Patribus, qui aſſerunt poſt Baptiſmum hanc unicam eſſe lapſis poſt naufragium tabulam: quod aiunt Tertullianus *de Pœnit. cap.* 4. Ambroſius *in Pſal.* 27. *& ad virginem lapſam*, Hieronymus *in cap.* 3. *Iſaiæ*, *& epiſt.* 65. *ad Pammachium*, & ex eo gloſſa ordinaria *in cap.* 1. *Iſaiæ*, Gratianus *de Pœnit. diſt.* 1. *cauſa* 2. Magiſter Sententiarum, *lib.* 4. *diſt.* 16.

Secundo, ex iis qui aſſerunt unicum hoc iiſdem lapſis patere remedium. Sic Tertullianus *ibid. cap.* 7. " Clauſa, inquit, ignoſcentiæ ja-
„ nua .... aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo Pœniten-
„ tiam ſecundam, &c.

Tertio, ex iis qui diſerte pronuntiant neminem ſine Pœnitentia in gratiam cum Deo redire poſſe. Sic Auguſtinus *epiſt.* 93. *nu.* 53. " Nec
„ quemquam putes, inquit, ab errore ad veritatem, vel a quocun-
„ que ſive magno, ſive parvo peccato ad correctionem ſine Pœniten-
„ tia poſſe tranſire.

Probatur 3. ex Synodo Tridentino quæ definit Contritionem ac Pœnitentiam fuiſſe ad remiſſionem peccatorum, quovis tempore neceſſariam.

Probatur 4. ratione. Nempe ut peccator ſalutem adipiſcatur, ne-

* Emmanuel Sa *verbo* contritio, *num* 5. Eſcobar *tract.* 7. *exemp.* 4. *num.* 122 *p.* 819. ex Navarro.

neceſſe eſt peccatum omnino aboleri ; peccatum autem duo ſimul involvit ; primum actionem non ordinatam voluntatis, averſionem ſcilicet a Deo : ſecundum injuriam quandam Deo illatam. Jam vero primum non poteſt tolli, nec ſecundum reſarciri abſque Pœnitentia.

Ex his autem duo colliges:

Ac primum quidem, Contritionem eſſe multo magis neceſſariam neceſſitate præcepti divini, quod Patrum teſtimonia mox allata ſignificant. Alterum, veritati conſentaneum non eſſe, quod dixere nonnulli Theologi, nullum videlicet bonum voluntatis motum requiri ad veniam obtinendam; ſatis vero eſſe ſi quis obicem non ponat: de quo Eſtius *in* 4. *diſt.* 16. *parag.*2.

ASSERTIO VI.

Ad remiſſionem peccatorum venialium etiam requiritur Contritio, ſaltem virtualis & implicita.

Eſt adverſus quoſdam, qui ſufficere ſtatuunt charitatem habitualem ad remiſſionem ejuſmodi delictorum.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ nullum inter peccata diſcrimen conſtituunt, ubi Contritionem poſtulant ad eorum relaxationem conſequendam.

Probatur 2. ex Patribus, ex quibus duos tantum afferemus.

Primus eſt Hieronymus qui *epiſt.* 46. *ad Ruſticum cap.*4. ſic ait, " Septies „ cadit juſtus & reſurgit; ſi cadit, quomodo juſtus? ſi juſtus, quomodo „ cadit? ſed juſti vocabulum non amittit, qui per Pœnitentiam ſemper re„ ſurgit. "

Secundus eſt Sanctus Auguſtinus jam laudatus *epiſt.* 93. *n.*53. " Nec " quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocunque, ſive „ magno, ſive parvo peccato ad correctionem ſine Pœnitentia poſſe „ tranſire. "

Probatur 3. ratione. Primo enim peccatum quodlibet, quantumvis exiguum, eſt amor perverſus creaturæ : non poteſt autem ejuſmodi amor tolli, quin creatura quæ placebat incipiat diſplicere : non diſplicet autem, niſi ope Pœnitentiæ. Secundo. Si ſufficeret ſolus charitatis habitus, nulla unquam forent in juſtis peccata venialia, quia in eis ſemper eſt charitas. Et vero peccatum veniale non opponitur habitui charitatis, cum quo ſtare poteſt. Tertio. Nulla juſtis foret neceſſitas orationis dominicæ ubi petunt ſibi dimitti peccata. At contra Sanctus Auguſtinus *ſerm.* 17. *num.* 5. 213. *num.* 8. 351. *num.*6. 352. *num.* 7. & *epiſt.* 265. *num.* 8. ubi triplicem diſtinguit Pœnitentiam : primam Catechumenorum ante baptiſma. Secundam lapſorum poſt Baptiſma : tertiam juſtorum, quam in recitatione orationis dominicæ conſtituit.

Nec

Nec eſt quod dicas Manaſſen in ea, quæ ad ſacrorum Bibliorum calcem ponitur, oratione ſic loqui, quaſi Pœnitentia poſita non ſit juſtis.

Loquitur enim ibi, quiſquis eſt auctor hujus orationis, de Pœnitentia illa luctuoſa ac laborioſa, quæ ab iis obeunda eſt, qui ſe ingentibus flagitiis contaminarent.

Quod autem virtualis ſufficiat, communis eſt Theologorum ſententia.

Ita quippe ſanctus Thomas 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. *in corpore* ait Contritionem illam ſatis eſſe, quæ ſita eſt in eo quod aliquis " fertur ſecundum affectum in Deum, ita ut quidquid ſibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe hoc commiſiſſe. "

De eo quoque Eſtius *in* 4. *diſtinct.* 16. *ſect.* 3. & illuſtr. Boſſuetus *lib.* 4. *de variis orationis ſtatibus nu.* 4. *& ſeq.*

Quæres 1. an ejuſmodi levia peccata non abſtergat aqua luſtralis, v. g. & cætera id genus Eccleſiæ precibus conſecrata, quæ a Theologis ſacramentalia appellantur

Respondeo iis rebus, nulla peccata tolli poſſe ſine certo Contritionis actu qui ſimul accedat, quia rebus id genus gratiam ad id peculiarem non alligavit Deus: poſſe tamen fieri ut propter Eccleſiæ preces nonnullis dentur quædam auxilia ad Contritionis actum eliciendum; ſed an id fiat, eſſe prorſus incertum.

Quæres 2. an cum lethalia peccata venialibus admixta ſunt, illorum deteſtatio, horum, utpote leviorum, veniam ſimul importet.

Respondeo non ita eſſe: quia deteſtatio graviorum non includit neceſſario leviorum odium. Poteſt enim quis odiſſe mortifera, & venialibus ſimul addictus eſſe: quapropter requiritur proprius de his dolor.

Quæres 3. an requiratur Contritio ſpecialis.

Respondeo ſatis eſſe generalem: ſufficit enim ut quis id genus peccata univerſe deteſtetur; nec neceſſarium eſt ut in ſingula inquirat.

Quæres 4. quo pacto Contritio delet hujuſmodi peccata.

Respondeo Contritionem ea delere vi ſua ſine ullo ſacramenti Pœnitentiæ voto, aut reſpectu; quia nimirum ſacramento " Pœnitentiæ opus illa non habent. Nec tamen idcirco ſuperfluum eſſe ſacramentum illud, ſi accedat; gratiam enim augebit, juſque ad auxilia pro loci ac temporis opportunitate peculiaria largietur.

A S-

A S S E R T I O VII.

Contritio ad omnia peccata extendenda eſt, ſeu univerſalis eſſe debet.

Eſt adverſus quoſdam recentiores (Filiutius *moral.qq. tract.6.cap.6. n. 156.*) qui aliter opinari ſunt.

PROBATUR 1. ex Scripturis quæ id efflagitant. *Si impius*, inquit Deus apud Ezech. 18. 21. *egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt . . . . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*: verſic. autem 30. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitatis.*

PROBATUR ratione Theologica. Contritio enim eſt dolor de peccato, quatenus eſt offenſa Dei. At non poteſt diſplicere peccatum, quatenus eſt offenſa Dei, quin peccatum quodlibet eadem ratione diſpliceat. Si enim adhuc quoddam peccatum placet, non diſplicet offenſa Dei. Ergo.

Notandum eſt Contritionem extendi oportere ad omnia ſigillatim peccata quæ recoluntur: ſatis autem eſſe, ſi generatim ad ea ſe extendat, quæ poſt maturam inquiſitionem memoriæ non occurrunt.

A S S E R T I O VIII.

Maxime hortandi & monendi ſunt fideles, ut ad ſingula mortalia crimina proprium Contritionis dolorem adhibere ſtudeant.

PROB. ex Catechiſmo Romano *2.par. nu.39.* cujus verba ipſa ſunt, quibus aſſertionem noſtram concepimus.

A S S E R T I O IX.

Non expedit aliquando ſingulis peccatis diutius immorari, ut ad ea ſigillatim proprius Contritionis actus adhibeatur.

PROBATUR. Sunt enim certi generis peccata, luxuriæ nimirum, in quibus non ita accurate hærendum eſt, ne homo, dum de iis dolere ſibi proponit, iis contra de integro oblectetur, novumque admittat crimen, dum vetera eluere curat.

A S S E R T I O X.

Contritio eſt cauſa remiſſionis peccatorum eamque meretur, non quidem de condigno, ut loquuntur, ſed de congruo.

PROBATUR 1. pars adverſus Lutherum in *aſſertione art.* 12. Calvinum *lib. 3. Inſtitutionis cap.* 4. *num.* 3. Kemnitium 2. *parte Exam. conc. Tri-*

Trident. & alios qui negant Contritionem eſſe cauſam remiſſionis peccatorum, quam fidei ſoli adſcribi volunt.

Probatur autem 1. ex Scripturis quæ iſtam vim attribuunt Contritioni ac Pœnitentiæ. Pſal. 50. *Sacrificium Deo* (ac proinde iram ejus placans, miſericordiamque alliciens) *ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

Ezech. 18. 27. *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua ... ipſe animam ſuam vivificabit.*

Jonæ 3. *Vidit Deus opera eorum* (Ninivitarum) *quia converſi ſunt de via ſua mala & miſertus eſt Deus ſuper malitiam quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.*

Lucæ 7. 47. de muliere peccatrice Chriſtus *Remittuntur*, inquit, *ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Probatur 2. ex Patribus qui ad demonſtrandum Contritionis meritum allegabuntur. Si enim Contritio gratiam mereatur, ejus profecto cauſa poteſt aliquatenus nominari.

Probatur 3. ex ſynodo Tridentina quæ id multifariam ſignificat. Juxta illam enim Contritio 1. ad gratiam diſponit *ſeſſ. 6. cap. 6.* 2. veniam peccatorum impetrat *ſeſſ. 14. cap.* 4. Si enim diſponit ad juſtificationem & remiſſionem peccatorum impetrat, aliquo modo gratiæ cauſa eſt.

Probatur 2. pars, Contritionem ſcilicet mereri gratiam ac peccatorum remiſſionem; idque adverſus quoſdam e Theologis qui licet cæteris in hoc aſſentiantur, quod ſit cauſa gratiæ, ab iis tamen in eo diſſident, quod nolint talem dici cauſam, quæ gratiam mereatur: nullum enim meritum eſſe ſtatuunt niſi hominis juſti; fatentur nihilominus eam eſſe diſpoſitionem ad gratiam ſuſcipiendam.

Probatur autem 1. ex iis Scripturæ locis quæ jamjam adduximus; indicant enim Deum hominis Pœnitentis Contritione ita commoveri, ut ipſius intuitu veniam ei largiatur.

Probatur 2. ex Patribus qui rem eandem aperte definiunt.

Tertullianus *libro* 4. *in Marcion.* ait Achab Regem ... veniam meruiſſe Pœnitentiæ nomine."

Origenes *homil.* 11. *in cap.* 20. *Levit.*

„ Purgatio peccati, inquit, per Pœnitentiam conſtat, quam utrum quis digne gerat, ita ut mereri pro ea veniam poſſit, videto."

Cyprianus de lapſis ferventioribus *in fine lib. de lapſis*, " Qui ſic, inquit, Deo ſatisfecerit ... lætam faciet Eccleſiam; nec ſolum Dei veniam merebitur, ſed coronam.

Ambroſius *in Lucæ* 22. de Petro, " Lacrymæ veniam non poſtulant, inquit, ſed merentur."

Hieronymus *lib.* 2. *contra Pelag.* " Qui peccata ſimpliciter confitentur, inquit, merentur humilitate clementiam Salvatoris."

Augu-

Auguſtinus *in Pſal.* 50. " Ninivitæ, inquit, Pœnitentiam egerunt,
" & certam miſericordiam meruerunt. "

Gregorius Magnus *lib.* 3. *in* 1. *Reg. cap.* 4. " Ninivitæ, inquit, dum
" .... gravi Pęnitentia ſe dejiciunt, omnipotentis Dei miſericordiam
" facile meruerunt. "

Probatur 3. pars, hoc ſcilicet meritum quodcunque eſt, non eſſe de condigno, ſed duntaxat de congruo.

Hæc enim duo meritorum genera diſtinguuntur; & ambo quidem in eo conveniunt, 1. quod ſint opera libera; 2. quod ſint opera bona; 3. quod ſint Dei dona : ſed in hoc diſcrepant, 1. quod meritum de congruo ſit a gratia tantum movente, alterum vero ſit a gratia ſanctificante : 2. quod primum fundetur in ſola Dei miſericordia : alterum in juſtitia & ejus promiſſione.

Probatur autem quia Contritio non eſt neceſſario hominis jam Deo grati : ac proinde nihil poteſt mereri de condigno : itaque ſi quod ei meritum ineſſe judicetur, illud eſt tantum de congruo. Attamen hoc levioris meriti genus antiquis ignotum non fuit : Sanctus enim Auguſtinus v. g. in ſuis adverſus Pelagianos libris paſſim prædicat fidei meritum quod juſtificationem antevertat.

Porro meritum hoc non impedit quominus dicamur *juſtificari gratis*, ut loquitur Apoſtolus, tum quia illud ipſum Dei donum eſt, tum quia gratiam non affert ex juſtitia, ſed ex mera Dei benignitate.

ARTICULUS III.

De partitione Contritionis generatim.

Contritio juxta ſynodum Tridentinam *ſupra*, " Eſt dolor & deteſtatio de peccato cum propoſito non peccandi de cætero. "

Contritio autem iſta duplex eſt : perfecta & imperfecta.

Perfecta generis nomen retinet, & Contritio ſimpliciter appellatur.

Imperfecta autem vulgo vocatur Attritio.

Quod a corporibus ad hoc argumentum noſtrum translatum eſt. Illud enim corpus contritum eſſe dicimus, quod in partes minutiſſimas redactum eſt, ac penitus confractum : attritum vero, quod nondum ita comminutum eſt.

Jam vero utraque vox Eccleſiaſtica prorſus eſt, ac prophanis ſcriptoribus hoc ſaltem ſenſu omnino ignota.

Ac *Contritionis* quidem nomen longe eſt in Eccleſia antiquiſſimum : eo enim utuntur

Primo Scripturæ *Pſ.* 33. 19. græce; *Pſal.* 50. 19. *Pſ.* 146. 3. *Iſaiæ* 57. 15. 66. 2. *Luc.* 4. 18. *&c.*

Secundo plures e Sanctis Patribus : Baſilius *in Pſal.* 23. Hilarius *in Pſal.* 2. Chryſoſtomus *hom.* 4. *in* 2. 2. *Corinth.* Auguſtinus *in Pſal.* 146.

Cæſa-

Cæſarius Arelat. *hom.* 29. Dorotheus Archimandrita *in doctrinis cap.* 21. Gregorius magnus 3. *parte Paſtoralis cap.* 31. Bernardus *Epiſt. ad Clerum & populum Spirenſem*, & alii.

Attritionis vero vocabulum eſt multo recentius; namque non ſolum in Scripturis ac Patribus non occurrit; ſed ne quidem apud primos Theologiæ noſtræ principes legitur; Hugonem dico, & Ricardum a S. Victore, Robertum Pullum Cardinalem, Petrum Pictavienſem, Lombardum, Joannem Saliſberienſem, Præpoſitivum, Petrum Cantorem, Robertum de Flammesbourg, qui tamen fere omnes de Pœnitentia ex profeſſo ſcripſerunt, imo nec apud Guillelmum Altiſſiodorenſem, aut Raimundum de Peignafort, aut Robertum de Sorbona, alioſve ad medium uſque ſæculum decimum-tertium: tunc enim 1. uſurpatum apparet a Guillelmo Pariſienſi, Alexandro de Ales, & Alberto magno. Quidquid vero ſit de hoc poſtremo, Contritio & Attritio ſic adhibentur, ut Contritio perfectam peccatorum deteſtationem, Attritio vero imperfectam tantum arguat.

Quoniam vero nihil eſt apud Theologos fixum, unde perfectio illa repetenda ſit, & inſuper multis modis a perfecto deflectitur, hinc Contritio latæ, Attritio vero latioris ſignificationis fuit, multæque circa earum diſcrimen ſententiæ enatæ ſunt.

PRIMA SENTENTIA.

Primo enim plerique veteres Theologi Contritionis perfectionem ab ipſo ejus principio accerſendam eſſe rati, eum de peccatis dolorem pro Contritione duntaxat agnoſcebant, qui ex gratia ſanctificante procedere, & habitu charitatis eſſe formatus.

Ac proinde quælibet alia peccatorum deteſtatio, quantumvis excellens, Attritionis loco habebatur, eo præciſe quod e charitatis habitu velut e fonte non proflueret, etiamſi forte adeſſet amor Dei actualis etiam intenſus.

Contritionem enim ab Attritione eo ſecernebant, quod hæc eſſet informis, illa vero non poſſet eſſe niſi formata.

Ita loquuntur, aut Theologos etiam paſſim loqui ætate ſua ſolitos eſſe teſtantur Alexander Alenſis *lib.* 4. *q.* 17. *art.* 1. Albertus magnus *in* 4. *diſt.* 16. *art.* 8. Vincentinus Bellovacenſis *tom.* 3. *lib.* 3. *diſp.* 6. *par.* 10. S. Thomas *in* 4. *diſt.* 17. & *in ſupplemento q.* 1. *art.* 3. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 17. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 4. Ricardus de Media-Villa *in* 4. *diſt.* 27. *art.* 1. Petrus de Tarentaſia, ſeu Innocentius V. *in* 4. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 4. Aureolus *in* 4. *diſt.* 14. *art.* 4. Scotus *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 2. Joannes Burgenſis, *in Pupilla oculi*, *parte* 4. *cap.* 2. Thomas Argentinenſis *in* 4. *diſt.* 17. *ad* 3. *num.* 5. Adam Cuoddam *libro* 4. *quæſt.* 6. Dionyſius Carthuſianus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. Vorilognus *in* 4. *diſtinct.* 20. Tartaretus *in* 4. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 3. Navarrus in

Manua-

Manuali *cap.* 1. *num.* 1. & alii ad noſtram pœne ætatem ferme innumerabiles.

Hæc enim fuit omnium vulgatiſſima diſtinctio, ex qua ſequitur actum charitatis etiam inflammatæ dici & eſſe Attritionem.

Sic Joannes Nider, magni quondam inter Dominicanos nominis Theologus, *in expoſit. precept. Decalogi*, *precept.* 3. *cap.* 8. *nu.* 3. duplicem aſſignat Contritionem, alteram primam, quæ Attritio nominatur; alteram, quæ ſequitur, & charitate formata eſt. De prima autem Contritione, ſeu Attritione, quæ eſt præparatio ad Contritionem proprie dictam, ſic habet: " Ad habendam Contritionem vel diſpoſitionem „ ſufficientem ad eandem exiguntur plura ... 1... 2. ... 3. ... &c. „ ſextum requiſitum eſt motus liberi arbitrii in Deum, qui videtur eſ- „ ſe maxime dilectio Dei ſuper omnia."

Sic Navarrus in Manuali *ſupra* definit 1. Contritionem generatim in hunc modum: " Eſt pœnitudo voluntaria cum dolore maximo actua- „ li vel virtuali peccati proprii jam commiſſi, quatenus eſt offenſa Dei „ ſuper omnia dilecti: " tum pergens addit, hoc ipſum eſſe Attritio- „ nem, quandiu non acceſſit habitus charitatis; " Pœnitudo illa, in- „ quit, a nobis ſupra definita, quam habent illi, qui deteſtantur pec- „ catum ſupra omne deteſtabile .... eſt Attritio, ut arbitror, quoad- „ uſque Deus propter ſuam miſericordiam gratiam ſuam (habitualem) „ fuerit impertitus .... appellaturque Contritio informis."

Quapropter appoſite omnino & docte notat hoc, qui commentariis auxit Scotum *ad diſtinct.* 14. " Contritio, inquit, ſumitur duobus mo- „ dis: uno modo pro actu formato; & ſic quilibet dolor antecedens „ infuſionem gratiæ erit Attritio, quantumlibet perfectus; idem autem „ continuatus infuſa gratia erit Contritio, ſive perfectus ſit ſive imper- „ fectus." Et in hoc ſenſu frequens eſt uſus Contritionis apud antiquos.

Cui Morinus concinit *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 15. " Sic autem, inquit, „ Attritionem inter & Contritionem diſtinguebant, ut Attritionem „ dicerent ex fide informi naſci, Contritionem ex fide formata .... „ hinc omnem dolorem de peccato, Deique amorem in non ha- „ bente gratiam Attritioni tribuerunt; in habente gratiam Contri- „ tioni."

Cum autem quilibet de peccato dolor non ſit idoneus per ſeſe ad gratiam Dei hominibus conciliandam, ſed ad id ſaltem oporteat eum eſſe acrem atque incenſum; inde ſecundus diſcriminis modus exortus eſt.

SECUN-

SECUNDA SENTENTIA.

Et ſecundus diſcriminis modus.

SECUNDO igitur aliud diſcrimen Attritionem inter & Contritionem eſſe ſtatuerunt iidem Theologi aut alii, quod nempe Attritio eſſet dolor minus intenſus, Contritio vero intenſior.

Ita loquuntur Guillelmus Pariſienſis de ſacramento Pœnitentiæ *pag.* 444. Albertus Magnus *in* 4. *diſt.* 16. *artic.* 18. Alexander Alenſis *in* 4. *diſt.* 7. *membro* 7. S. Thomas *in* 3. *diſtinct.* 2. *q.* 1. *art.* 5. *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 2. *in Supplemento q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. & *q.* 5. *art.* 3. Ricardus *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 1. & *q.* 2. Henricus Gandavenſis *quodlibeto* 1. *q.* 32. Paludanus *in* 4. *diſt.* 7. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. Vorilognus *in* 4. *ad diſt.* 20. Angelus de Clavaſio *in ſumma* verbo *Contritio*; Biel *in* 4. *diſt.* 14. Sylveſter Prieras *in ſumma* verbo *Contritio*.

Hanc autem ſentiendi loquendique rationem amplexi ſunt plurimi recentiores; Illuſtriſſimus Epiſcopus Caſtorienſis in 1. libro *de amore Pœnitente*, Lupus in duobus *de Contritione* opuſculis, Farvaquius *in quæſt. quodlib.* & alibi, Havermans in ſuo *de Contritione* libello, Obſtraetus *de converſione peccatoris*, Queraſſius in grandi ſua *de mente concilii Tridentini circa Contritionem* diſſertatione, Hieronymus Hartz in tract. *de Attritione*, & Albericus Kerckove de eodem argumento.

Atque adeo Attritio hoc ſenſu complecti quoque poteſt amorem ſeu charitatem Dei actualem, modo illa in ſupremo gradu nondum ſit.

Et vero plerique e ſuperioribus Theologis, Guillelmus nempe Pariſienſis, Albertus magnus, Halenſis, Paludanus, Angelus de Clavaſio &c. diſerte notant aut ſignificant, Attritionem & Contritionem ejuſdem omnino eſſe ſpeciei, & intra eandem ſpeciem differre tantum ſecundum majus & minus, ut loquuntur. Quod cum ita ſit, nedum charitatem Dei ſecum Attritio non patiatur, ex ea potius videri poteſt concipi, ſicut & Contritio.

Quod libenter admittunt ii, quos modo laudabamus, recentiores.

Attritionem enim vocant, dolorem de peccato ortum ex imperfecta charitate actuali; Contritionem vero, eum qui charitate perfectus eſt: & utramque definiunt eſſe ejuſdem ſpeciei.

Iſta porro Contritionis & Attritionis diſtinctio penes varios earum intra eandem ſpeciem gradus antiquiſſima & frequentiſſima eſt. Unde Morinus *lib.* 8. *de Pœnitentia cap.* 3. *num.* 12. " Prima ſententia, inquit, in quam ivere omnes initio diſceſſionis ab antiquiore, ea eſt
„ quæ Attritionem, ſui incremento abſolutionis virtute facto, fieri
„ Contritionem docuit. Fundamentum autem, inquit *ibid. num.* 1. quo
„ nitebantur, erat dolorem & amorem Attritionis, ſpecie non differre
„ a dolore & amore Contritionis, ſed tantum per magis & minus:

nihil

„ nihil itaque ex parte rei impedimento eſſe, quominus dolor vel amor „ Attritionis ita intendatur & efferveſcat, ut gratia tandem imbua- „ tur. “

Hæc opinio plana faciliſque eſt, ſed illius ſimplicitas omnibus non placuit.

Tertia Sententia.

Tertiuſque diſcriminis modus.

Tertio itaque Scotus ei quidpiam addendum putavit, & cum prædictis quidem Theologis in eo conſentit ille, quod dolorem de peccato intenſum formatumque charitate appellet Contritionem; Attritionem vero, qui minus fervet & charitatis infuſionem antevertit. Sed in eo ab iiſdem diſſidet, quod, ut Attritio mereatur gratiam fiatque Contritio, non certum duntaxat illius gradum, ſed & certam præterea durationem ſoli Deo cognitam exigat. De quo ipſum lege *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 2. *nu.* 14. *& ſeq.* nec non & Gabrielem *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 1. *num.* 238. ubi ejus ſententiam luculenter exponit.

Quamobrem omnis de peccato dolor, quantumvis aliunde abſolutus eſſet & ex Dei amore ac propter ipſum unice conciperetur, intra hos latioris Attritionis limites concluderetur, donec ad illud temporis punctum ſoli compertum Deo perveniſſet.

Et certe quod juxta Scotum Attritio non excludat, ſed includat potius Dei amorem, id non tantum colligitur ex iis quæ ipſi communia cum cæteris eſſe jam monuimus, ſed ex multis etiam peculiaribus argumentis.

Primo enim Scotus *ſupra* aſſerit Attritionem verſari circa peccatum, non ſolum quatenus inducit pœnam aut privat beatitudine, ſed etiam quatenus offendit Deum, “ ut offenſivum Dei, “ inquit.

Secundo docet *ibid.* ut vera ſit Attritio, debere eam eſſe totaliter & perfecte moraliter circumſtantionatam; non eſſet autem perfecte & totaliter circumſtantionata in genere moris ſine recto fine, qui ſolus eſt Deus.

Tertio affirmat “ eundem omnino motum in eſſe naturæ & moris, „ qui prius erat Attritio .... abſque ulla ſui mutatione fieri Contri- „ tionem in eo inſtanti, quo Deus homini largitur gratiam ſanctifi- „ cantem: “ non eſſet porro idem actus in genere moris, ſi aliud foret neceſſario Attritionis & Contritionis motivum.

Quarto. Non ſolum ait Attritionem mereri de congruo gratiam, ſed etiam poſſe aliquando vi ſua ſine Sacramento delere peccata. Jam vero ad delenda extra Sacramentum peccata neceſſarius eſt ex omnium conſenſione amor Dei, & quidem ſummus: ſic *parte* 4. *ad* 3. “ Con- „ cedo, inquit, quod frequenter dimittitur peccatum per aliquam

motio-

„ motionem Attritionis tanquam per meritum de congruo ante ſuſce-
„ ptionem ſacramenti Pœnitentiæ, ſicut in adulto frequenter dimitti-
„ tur originale ante ſuſceptionem Baptiſmatis. “ In reportatis autem *ad eandem diſt.* 14. *quæſt.* 4. *ſcholio* 2. “ Si attritus, inquit, in ulti-
„ mo inſtanti Attritionis ſuæ haberet majorem motum in Deum quam
„ prius habuit, probabile eſt quod Deus daret ei gratiam, quia ipſa
„ eſt diſpoſitio de congruo ad gratiam. “ Ubi etiam obſerves velim, quod in Attritione includat majores ac majores animi motus in Deum.

Itaque jure pronuntiat Morinus *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 14. juxta Sco-
„ tum, Attritionem magnum dolorem propter Deum offenſum com-
„ plecti. “

Quod idem animadvertit Andreas Vega unus ex illuſtriſſimis Scoti diſcipulis *lib.* 9. *in Concil. Trid. cap.* 17. *argumento* 3. “ Scotiſtæ, in-
„ quit, aiunt ad juſtificationem peccatoris non quemvis dolorem de
„ peccato etiam propter Deum ſufficere, imo neceſſariam eſſe aliquantam
„ intenſionem, & fervorem in ipſo dolore, aliquantique temporis, & qui-
„ dem nobis ignoti continuationem.

Aſtipulatur etiam Auctor *Summæ de Sacramentis ex Doctrina Franciſci Victoria quæſt.* 117. quæ ſic habet: “ Quæritur utrum quilibet do-
„ lor peccatorum quantumvis parvus ſufficiat ad remittenda peccata: “
„ Cui quæſtioni ſic reſpondet Scotus *in* 4. *quæſt.* 2. *art.* 2. dicit quod
„ licet quis habeat dolorem de peccato propter Deum, cum aliis omnibus
„ circumſtantiis, niſi talis dolor habuerit certam intenſionem completivam
„ & continuationem, non ſufficit. Quanta autem debeat eſſe illa intenſio
„ dicit quod ſolus Deus novit. “

Quapropter juxta Scotum Attritio includere poteſt verum Dei amorem ac charitatem.

QUARTA SENTENTIA.

Quarto nonnulli quibus non arriſit veræ charitatis neceſſitas ad veniam in Sacramento obtinendam, aliam viam inierunt: Contritionemque & Attritionem magis diſcernendas eſſe putaverunt.

Licet igitur ad utramque requirant amorem Dei, & quidem ſupra omnia; cum tamen ejuſmodi amorem duplicem agnoſcant, alterum amicitiæ, quo Deo bonum volumus, (in quo charitatem ſitam eſſe ſanciunt;) alterum concupiſcentiæ, quo bonum noſtrum in Deo quærimus; priorem aſſignant Contritioni, Attritioni vero poſteriorem.

Inter hos Theologos recenſetur Sylvius, cui plurimi hoc ævo aſſentiuntur: de quo lege Patrem le Dent *de Attritione n.*14. 198. & 245. necnon & Havermans *in ſua diſquiſitione*.

Atque adeo ſecundum illos Attritio eſt dolor de peccatis ex amore Dei

Dei concupiſcentiali oriundus : Contritio vero dolor ex charitate proficiſcens.

QUINTA SENTENTIA.

Quinto quidam longius prætervecti definierunt amorem Dei neceſſarium quidem eſſe ad Attritionem : ſed cum nullum eis appareret certi gradus figendi fundamentum, ſatis eſſe dixerunt, ſi vel tenuiſſimus, atque, ut loqui eis placet, ſi aliqualis amor adſit: de his mentionem facit ſummus Pontifex Alexander VII. in ſuo hac de re decreto ; quod infra referemus.

SEXTA SENTENTIA.

Sexto has etiam lineas tranſierunt hoc ævo plurimi, qui amorem omnem Dei ab Attritione repellentes, ad eam ſufficere docuerunt dolorem de peccato ob ejus turpitudiuem, aut (quod vulgo magis afficit, & vehementius animum commovet) propter pœnas inferni quas meretur & accerſit.

Sic Attritio tota ſpecie, aut genere potius toto, a Contritione diſcrepat, cum utriuſque plane diverſum ſit motivum: brevis ambarum differentia; timor & amor.

Hæc autem ſententia apud recentiores Theologos plurimum viguit. Inter alios eminent Suares, Abely, Pintherellus, Dentius ac Bonetus.

At hic timor juxta eos ſupernaturalis eſſe debet, utpote fidei lumine innixus.

SEPTIMA SENTENTIA.

Septimo non defuerunt qui Attritionem ex amore Dei naturali ad Sacramentum idoneam eſſe pronuntiaverint. Horum meminit Tapperus *art.* 4. *de Contritione p.* 110.

OCTAVA SENTENTIA.

Octavo multi hoc etiam non contenti motivum quodlibet honeſtum ad Attritionem ſatis eſſe dixerunt, verbi gratia malorum temporalium metum. Iſtorum aliquos jam veſtutior ætas tulerat : de quo conſule Gabrielem *in quartum diſtinct.* 14. *pag.* 255. Noſtra autem ætate fuere longe frequentiores, quos honoris cauſa non appellabimus.

NO-

NONA SENTENTIA.

Nono denique Attritio accepta eſt pro dolore imperfecto alterius etiam modi, verbi g. cum quis ita dolere incipit de uno peccato ut nondum de omnibus doleat, ſed nonnullis adhuc affixus ſit: aut ita dolet de ſingulis, ut ea quidem depoſuiſſe vellet, nondum autem firmiter ea deponere animo proponat. De ambabus his *Attritionis* vocabuli ſignificationibus lege Alenſem *in* 4. *diſt.* 17. Thomam Argentinenſem *ibid.* Navarrum *in Manuali cap.* 1. *n.* 1.

Hæ ſunt variæ quas ex variis Theologis colligere potuimus notiones Attritionis: quæ cum a ſe invicem plane diverſæ ſint, & immenſum diſtent, ab una ad aliam nulla profecto conſecutio legitima eſt.

Illam porro varietatem opinionum cum attentius conſideraret idem Gabriel *in quarta diſtinct.* 16. *quæſt.* 1. *artic.* 1. annotavit Attritionis nomen ſic a Theologis uſurpari, ut illa quidem ſemper eſſet informis, modo autem bona, modo vitioſa, modo indifferens eſſet.

Quamvis autem ea ſit generatim vocis iſtius amplitudo, eſt tamen ſuus, & proprius apud ſingulos iſtius aliquando uſus. Fit enim ut eundem animi motum, quem unus Attritionis loco habet, non habeat item alius: ſic verbi gratia qui ad Attritionem flagitant amorem Dei, aliqnando ne Attritionis quidem nomine dignari volunt quæ hoc amore careat. " Talis deteſtatio, inquit Nider *ſupra* " *num.* 13. non eſſet actus virtutis, quia non eſt circumſtantionata debito fine, ac per conſequens non eſſet Attritio vera. " Contra qui Attritionem ex ſolo ſuppliciorum æternorum timore concipi decernunt, Attritionem non appellarent dolorem eum, qui ex amoris & charitatis fonte flueret: quem tamen ſolum alii pro germana & idonea Attritione admittunt; quo fit ut ambiguæ quoque ſint admodum hæ duæ Theologorum aſſertiones.

Prima. Attritio ſufficit; quemadmodum aiunt Paludanus *in* 4. *diſt.* 17. *&* 19. Durandus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. Tapperus *ſupra pag.* 111. Roffenſis *art.* 1. 11. 14. & alii paſſim.

Secunda. Attritio non ſufficit; quod conceptis verbis eſt apud Gabrielem *in* 4. *diſt.* 14. & apud alios veteres.

Ut enim demum intelligatur quo ſenſu Attritio ſufficere affirmetur aut negetur, ſcias oportet prius quamnam ii Theologi notionem *Attritionis* nomini ſufficiant, ne vocis dubiæ ambiguitate deluſus animus temere judices ac turpiter hallucinetur.

ARTICULUS IV.

De variis Theologorum opinionibus circa Contritionis perfectæ aut imperfectæ neceſſitatem ac ſufficientiam.

HIs ad vitandam in decurſu iſtius quæſtionis confuſionem animadverſis, jam videndum eſt quot ſint aut fuerint in ſcholis de hujus multiplicis Contritionis & Attritionis neceſſitate ad ſacramentum Pœnitentiæ rite nec ſine fructu ſuſcipiendum, opiniones.

Leguntur autem ea de re novem omnino ſententiæ.

Prima Contritionem ex charitate habituali profectam gratiamque ſanctificantem, Sacramento, & abſolutioni præviam eſſe oportere cenſet.

Secunda ad id tantum poſtulat acrem incenſum & perfectum actum charitatis.

Ambæ nullam agnoſcunt Attritionem, quæ Sacramenti effectui par ſit.

Tertia exigit duntaxat charitatem actualem in corde dominantem, etiamſi perfecta illa non ſit.

Quarta ſummum amorem concupiſcentiæ neceſſarium, & ſatis eſſe contendit.

Quinta amorem aliquem Dei requiri, at quemlibet exiguum ſufficere putat.

Sexta nihil aliud flagitat præter dolorem ex peccatorum turpitudinis intuitu, aut (quod magis vulgo afficit) ex pœnarum gehennæ timore conflatum.

Septima contenta eſt amore Dei naturali.

Octava perinde eſſe exiſtimat quodlibet doloris motivum etiam naturale, modo indecorum ac vitioſum non ſit.

Nona denique aſſerere videtur nullum bonum voluntatis motum neceſſarium eſſe ad veniam in Sacramento obtinendam, ſatiſque eſſe ſi quis nullum obicem gratiæ ponat inter Sacramentum ſuſcipiendum. Id laxamenti tribuitur Scoto, cujus dicta nonnulli, ut ſonant amplexi ſunt, temperarunt alii, reliqui aut damnarunt acerbe aut benigne excuſarunt. De hoc omni negotio adi, ſi tanti eſt, Scotum ipſum *in* 4. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 4. *art.* 3. *&* *reſolut. in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 3. in reportatis *ad* 4. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 4. Franciſcum de Mayronis, *in* 4. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 1. Nicolaum de Orbellis, *lib.* 4. *quæſt.* 2. *nu.* 4. *fol.* 37. Wobillonium *in* 4. *diſtinct.* 14. *art.* 1. *&* *diſtinct.* 18. *ad finem art.* 2. Tartaretum in reportatis *ad diſtinct.* 14. Summam Angelicam verbo *confeſſio*; Gabrielem *in* 4. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 2. *pag.* 247. 248. 249. 252. Monilianum Cardinalem ex Ordine Minorum in prima *Theologicarum inſtitutionum* editione apud Launoium *pag.* 237. Al-

mai-

mainum *in 4. diſtinct. 14. quæſt. 4.* Sylveſtrum *in Summa* verbo *confeſſio*; Tapperum ſupra *pag.* 112. Roffenſem *art.* 1. *pag.* 338. Vegam *in Concilium Tridentinum*, Morinum *de Pœnit. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 13. & Queraſſium 1. *par. cap.* 8. *ſect.* 3. *pag.* 77.

Ut autem penitus introſpicias hæc placita Theologorum ac eorum præſertim qui amorem Dei ſuper omnia ad ſacramentum rite ſuſcipiendum exigunt:

Notandum eſt primo quoſdam omnem amorem Dei quantumlibet exiguum ac tenuem velle eſſe veram charitatem; alios autem non appellare charitatem, niſi eum amorem Dei, qui cordi actu ſaltem dominatur.

Secundo nonnullos, ut mox indicavimus, quemlibet amorem Dei in corde regnantem charitatis nomine vocare: alios vero hunc amorem Dei duplicem agnoſcere: alterum amicitiæ, qui ſit charitas; alterum concupiſcentiæ, qui a charitate diſtinguatur.

Tertio eos qui ſummum quemlibet amorem Dei veræ charitatis loco habent, in eoque ad veniam peccatorum poſtulando concordant, non levi diſſidio laborare circa ejus efficientiam.

Aliqui enim opinantur charitatis omnis veræ propriam hanc eſſe vim, ut peccato plane ſit inſociabilis: ex quo ſequitur, juxta hos Theologos, hominem eſſe ab omni noxa & reatu immunem, antequam ſacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiat, nec poſſe aliter ſacramentum hoc rite ſuſcipi.

Nonnulli contra varios in amore, & charitate Dei dominante gradus diſtinguunt, aiuntque charitatem, ſi incenſa ſit, poſſe expellere peccata; ſi autem remiſſa ſit charitas, poſſe ea non expellere, poſſe, inquam, non expellere, non tantum eo ſenſu quod vulgo cum peccatis ſeu cum ſtatu peccati conſiſtere queat amor Dei actualis etiam dominans, ſed inſuper itaut ne in caſu quidem neceſſitatis ea certo deleat abſque ſacramento: ac proinde hominem vera charitate flagrantem poſſe non ſalvari, ſi forte ſacramentum Pœnitentiæ non ſuſcipiat.

Alii eandem amplectentes diſtinctionem graduum charitatis; ſentiunt hanc eſſe vim peculiarem charitatis incenſæ ut ſtatim & vulgo, etiam ante ſacramentum juſtificet hominem qui ea ardet; charitatem vero quæ minus robuſta eſt, non modo cum ſtatu peccati eſſe poſſe, ſed etiam paſſim conſiſtere: eandem autem hanc charitatem quæ per ſe minus efficax eſt, gratiam ſtatim ac vulgo non conferre; eandem tamen gratiam largiri in caſu neceſſitatis, adeo ut qui ejuſmodi charitate tantum præditus eſt, is vulgo quidem ante ſacramenti ſuſceptionem non juſtificetur, in caſu tamen neceſſitatis ſine ſacramento ſalutem adipiſcatur. Atque hæc eſt omnium maxime communis opinio.

Quidam vero cenſent inflammatam & intenſiſſimam charitatem actua-

lem, ſed etiam cum iis vulgo exiſtere, donec ſacramentum ad ea abſtergenda accedat, niſi forte interveniat aliqua neceſſitas, quo in caſu arbitrantur charitatem hanc poſſe ſacramenti Pœnitentiæ vices obire, & abſque ejus ſuſceptione delere peccata, non autem alias.

Fuere denique olim, qui eo uſque provecti ſint, ut exiſtimarent hominem, quantalibet incenſum actuali charitate, poſſe damnari, imo & reipſa damnari, niſi ſacramenta ipſa ſibi neceſſaria uſurparet; adeo ut ſacramentorum votum ac deſiderium cum vera, & prævalida Dei charitate ne in caſu quidem neceſſitatis ad ſalutem ſufficeret.

Hujus porro poſtremæ obſervationis de charitatis gradibus & efficacitate, plura ſunt corollaria.

Primum. Eos, qui ad ſacramentum Pœnitentiæ flagitant charitatem, quæ vim habeat delendorum ſtatim, & abſque mora peccatorum; ex conſequenti recidere in aliorum ſententiam qui ad illud requirunt Contritionem habituali charitate perfectam: utrique enim ſentiunt ſacramentum ipſum nunquam conferre gratiam primam cum a ſacerdote adminiſtratur, ſed eam ſupponere.

Secundum. Non eſſe proprium ac peculiare iis qui pro Attritione ſervili pugnant, non eſſe, inquam, iis proprium agnoſcere in ſacramento Pœnitentiæ facultatem remittendorum, ipſa ejus ſuſceptione peccatorum. Sunt enim multi inter eos, qui veræ charitatis neceſſitatem ad ſacramentum Pœnitentiæ admittunt, qui nihilominus ſanciant extra ſacramentum hoc peccata vulgo non dimitti, imo ne forte quidem dimitti ſine eo in caſu neceſſitatis.

Tertium. Charitatem duplici modo perfectam dici poſſe: 1. quoad eſſentiam, ut loquuntur, cum vera eſt nempe & animo dominans; quia tunc complectitur quidquid ad perfectionem illius eſſentiæ pertinet: 2. penes gradum, cum non tantum vera, & certo in gradu dominans animo eſt, ſed etiam vehemens & incenſa: tunc autem perfecta hoc ſenſu dicitur; cum per ſe valet ſine alterius motivi ſubſidio ſuperare omnes tentationes ingruentes; non perfecta autem cum timoris adhuc auxilio eget. Perfecta enim charitas foras mittit timorem.

Quartum. Contritionem tripliciter appellari perfectam: 1. quod adjunctam habeat veram charitatem: 2. quod incenſam: 3. quod charitatem habitualem gratiamque ſanctificantem.

Nos autem Contritionem perfectam nominabimus quæ ex charitate inflammata, aut gratia habituali fluit: imperfectam vero, ſeu Attritionem, quidquid in eodem genere infra utramque illam poſitum eſt.

AR-

ARTICULUS V.

De Contritione perfecta.

JAmjam monuimus duplici ratione perfectam a nobis dici Contritionem: 1. quando ex gratia ſanctificante procedit, adjunctamque habet, aut præviam potius, peccatorum remiſſionem: 2. cum in ſe involvit ferventem & inflammatum actum charitatis, cui nunc fere omnes tribuunt gratiæ Dei, ante ipſam ſacramenti ſuſceptionem, conferendæ vim.

Tria vero de utraque inquiremus. Primum an & qui ſint utriuſque aſſertores. Secundum, an eorum opinio ab Eccleſia proſcripta ſit. Tertium, an ſit vera.

SECTIO I.

De iis qui gratiam ſanctificantem peccatorumque remiſſionem ſacramenti ſuſceptioni præviam eſſe oportere cenſuerunt.

ASSERTIO I.

MUlti ad noſtram ætatem extiterunt Theologi iique inſignes, qui in ea ſententia verſati ſint.

Probatur enumeratione præcipuorum hujus opinionis Patronorum, qui ſive ante Concil. Trid. ſive quo tempore Synodus habebatur, ſive etiam poſtea floruerunt.

Ante Concilium Tridentinum.

Duodecimo ſæculo inter ipſa Theologiæ noſtræ exordia hoc in capite conſentire videntur omnes, quorum ea de re ſcripta ad nos pervenerunt; iſtud enim fundamenti loco ponebant. Jam vero qua ratione placitum illud conciliari poſſet cum ſacramenti vi, & ea, quæ Eccleſiæ a Chriſto conceſſa eſt, peccata ſolvendi & ligandi poteſtate; in eo vero non mediocris diſcordia erat: his nimirum volentibus poſt peccata Contritione remiſſa quoad culpam & reatum, jam Sacerdotibus non competere ut peccatores ab eis abſolverent, ſed ut ſolutos declararent, quos Deus ante ſolviſſet: illis autem Deum inter & Eccleſiæ miniſtrum rem ſic partientibus, ut Deus quidem Contritioni delicta condonaret, ſed, ut aiebant, conditionate, hoc eſt ea conditione ut peccator deinceps ad ſacramentum accederet; in ſacramento autem eadem Sacerdos abſolute remitteret: cæteris denique contendentibus ſic peccati remittendi partes eſſe dividendas, ut, cum in peccato duo

 ſint,

ſint; noxa & reatus; Deus culpam Contritione, Sacerdos reatum abſolutione extingueret.

Primus ſeſe nobis offert Hugo Victorinus ad annum 1130. qui etiam hanc poſtremam Contritionis efficaciæ cum Sacerdotum miniſterio componendæ rationem amplectitur: libro enim 2. *de Sacramentis parte* 14. *cap.* 8. nodum hunc expediens, duo præſtat: 1. quippe rejicit eorum expoſitionem, qui nimis jejune de Sacerdotum dignitate loquentes affirmabant ab eis non ſolvi, ſed ſolutos tantum oſtendi peccatores: 2. ſic mentem ſuam aperit, ut Deus Contritionis reſpectu culpam, & Sacerdos poſtmodum reatum abſolutionis vi deleat. " Hoc bene in-
„ quit, in reſurrectione Lazari ſignatum eſt, quem ipſe Dominus per
„ ſe prius intrinſecus a vinculo mortis abſolvit, vivificatum autem de-
„ foris miniſterio Apoſtolorum ſolvi præcepit. Sic namque in ſancta
„ Eccleſia nunc mortuos peccatis per ſuam gratiam ſolam interius vi-
„ vificans ad compunctionem accendit, vivificatos per confeſſionem fo-
„ ras venire præcipit: ac ſic deinde Pœnitentes per miniſterium Sa-
„ cerdotum a debito damnationis abſolvit " Videantur Launojus *pag.* 269. Lupus *pag.* 656. Havermans *pag.* 29. Epiſcopus Caſtorienſis, *Ep. ad Clerum*, *num.* 17. Vaſques, *q.* 83. *art.* 12. Tannerus *lib.* 4. *diſput.* 6. *dubio* 4. & Pintherellus *p.* 5.

Secundus Ricardus Victorinus, qui idem eodem tempore de Contritione docuit in ſuo *de poteſtate ſolvendi ac ligandi* libello *cap.* 7. & 19. Cum autem ſibi oppoſuiſſet hoc, quod nemini ſtatim non venit in mentem, eos nempe " qui charitatem habent, debito damnationis æter-
„ næ teneri non valere: " ad id reſpondet negando; " ſed ut putant,
„ qui charitatem habet .... teneri non valet. Quomodo ergo Sacerdos
„ eum ab hujuſmodi debito abſolvit, ſi ante ſacerdotalem abſolutio-
„ nem, charitate interveniente, abſolvi meruit? Sed abſque ulla du-
„ bitatione Patriarchæ & Prophetæ charitatem habuere, & tamen te-
„ nebantur vinculo damnationis æternæ: alioquin nec ad inferna deſ-
„ cenderent, nec ulla redemptione egerent. "

Tertius eſt Robertus Pullus, qui eandem cum ſuperioribus viam inſiſtit quoad Contritionis peccata delentis neceſſitatem, ſed ab iis in hoc diſcedit, quod Contritione tam reatum quam noxam aboleri putet. Si autem ab eo jam quæras, quo pacto igitur Sacerdos ſolvat peccata; reponit ſolutionis nomine ſacramentum ſolutionis appellari, dicique Eccleſiæ miniſtros ſolvere peccata quia ſcilicet ſacramentum ſolutionis peccatorum celebrant. *Parte* 5. *cap.* 13. " Poſt compunctionem, ubi ab ipſo Domino ſuſcitatur Lazarus, neceſſaria eſt confeſſio,
„ ubi officio miniſtrorum ligamentis mortis, id eſt corpore peccati,
„ abſolvitur: " *Parte 6. cap.* 61. " *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſo-*
„ *lus Deus?* .....Quid ergo apud homines eſt peccata dimittere, aut
„ a peccato abſolvere, niſi ſacramentum remiſſionis & abſolutionis ce-
„ lebrare? Ex quo quis pœnitet, Deus remittit; peccata poſtmodum
„ con-

„ confitenti miniſter Dei abſolvendo remittit. Et quid eſt, abſolven-
„ do remittit; niſi quod ſacramentum remiſſionis facit? Abſolutio quæ
„ peracta confeſſione ſuper Pœnitentem à Sacerdote fit, ſacramentum
„ eſt, quoniam ſacræ rei ſignum. Et cujus ſacræ rei ſignum, niſi re-
„ miſſionis & abſolutionis? Nimirum a Sacerdote facta a peccatis ab-
„ ſolutio, remiſſionem peccatorum, quam antea peperit cordis Contri-
„ tio, deſignat. A peccatis ergo Presbyter ſolvit, non utique quod
„ peccata dimittat; ſed quod dimiſſa ſacramento pandat. “ Huc uſque
„ Pullus, cujus dicta an cum Synodi Tridentinæ ſanctionibus, & quo-
„ modo cohærere poſſint, alius erit differendi locus. . .

Quartus eſt Hugo Lotharienſis eorum æqualis *in ſumma ſentent. tractat. 6. cap.* 11. cujus ſententiam his verbis refert Matholdus *in ſuis ad Pullum obſervationibus*. “ Hugo Lotharienſis in Pœnitente poſt Ba-
„ ptiſmum (cenſet) triplicem naſci obligationem, quarum prima reſpi-
„ ciat reatum culpæ; ſecunda reatum pœnæ æternæ; tertia reatum
„ pœnæ temporalis. Prima igitur tollitur ante omnem ſacramentorum
„ collationem, Deo ſolo culpas remittente, dum ſinceram Pœnitentis
„ Contritionem advertit; . . . . ſecunda tollitur per ipſam actualem ſa-
„ cramenti ſuſceptionem in charitate factam; a tertia vero ſolus Deus pro-
„ prie loquendo videtur abſolvere .... quia neſcit Sacerdos an condignam
„ injunxerit (ſatisfactionem,) id ſolius Dei ſcientiæ relinquatur,
„ neceſſum eſt.

Quintus eſt Abaelardus, ſeu quis alius auctor *libri adverſus hæreſes* inter ejus opera, qui in eandem prorſus cum Hugone & Ricardo Victorino opinionem abiit; “ Poſtquam, inquit *cap.* 13. Chriſtus La-
„ zarum ſuſcitavit, ait Diſcipulis, *ſolvite eum*. Voluit Deus ut quem
„ ſuſcitaverat, ipſi ſolverent, & ſolutum oſtenderent . . . . Apparet,
„ inquit *ibidem*, quod ſolus Deus dimittit peccata vivificando intus
„ per gratiam, & quod Sacerdos dimittit, non intus vivificando, ſed
„ a debito æternæ pœnæ abſolvendo, per eam, quam injungit, ſatiſ-
„ factionem. “

Sextus in eundem numerum venit Petrus Lombardus, cujus hac de re ſenſus nemini dubius eſt: *lib. quippe ſententiarum* 4. *diſtinct.* 17. *&* 18. perfectæ Contritionis vim ac neceſſitatem amplificat, ut ejus beneficio deletis peccati noxa ſimul & reatu nihil amplius relinquere videatur Eccleſiæ miniſtris, quam remiſſionis Contritione jam factæ declarationem. *Diſtinct.* 17. “ Sane dici poteſt quod ſine confeſſione oris
„ & ſolutione pœnæ exterioris, peccata delentur per Contritionem.
„ Ex quo enim proponit mente compuncta ſe confeſſurum, Deus di-
„ mittit, quia ibi eſt confeſſio cordis, etſi non oris, ... Oportet
„ ergo Pœnitentem confiteri, ſi tempus habeat: & tamen antequam
„ ſit confeſſio in ore, ſi votum ſit in corde, præſtatur ei remiſſio,
„ *diſtinct.* 18. “ Quæri ſolet, ſi peccatum omnino dimiſſum eſt a Deo
„ per cordis Contritionem, ex quo Pœnitens votum habuit confiten-
„ di,

„ di , quid poſtea dimittatur ei a Sacerdote ? . . . . Quidam arbitrati „ ſunt cum peccator dupliciter ligatus teneatur , ſcilicet mentis contagione & debito futuræ pœnæ , alterum curari per Deum , alterum „ per Sacerdotem : . . . . . alii dicunt ſolum Deum debitum æternæ „ mortis dimittere , ſicut & animam interius per ſeſe vivificat . . Nec „ tamen diffitentur Sacerdotibus traditam poteſtatem peccata dimittendi ac retinendi “ &c. Et relatis nonnullis in hujus ſententiæ confirmationem teſtimoniis , “ Ex iis aperte oſtenditur , inquit , quod „ Deus ipſe Pœnitentem ſolvit a debito pœnæ : & tunc ſolvit quando intus illuminat , inſpirando veram cordis Contritionem . Cui „ ſententiæ ratio ſuffragatur . Nemo enim vere compungitur . . . . niſi „ in charitate ; qui autem charitatem habet , dignus eſt vita æterna. „ Nemo autem ſimul vita & morte dignus eſt . Non eſt ergo ligatus „ debito æternæ mortis . . . . Nec ideo negamus Sacerdotibus conceſſam poteſtatem dimittendi & retinendi peccata , id eſt oſtendendi „ homines ligatos vel ſolutos . . . . Ligant quoque dum ſatisfactionem „ Pœnitentiæ confitentibus imponunt: ſolvunt , cum de ea aliquid dimittunt , vel per eam purgatos ad ſacramentorum communionem „ admittunt.

Septimus Petrus Comeſtor , de quo teſtatur Gloſſa in Gratiani decretum *de Pœnitentia diſtinct.* 1. *quæſt.* 3. quod illud Contritionis genus ad ſacramentum Pœnitentiæ neceſſarium eſſe dixerit , cui Deus in anteceſſum impertiatur veniam peccatorum : ea tamen conditione , ut peccator exinde eandem ſacramento ratam ſibi faceret .

Octavus eſt Petrus Pictavienſis qui *parte* 3. *ſententiarum* , *capite* 13. “ Eſt certum , inquit , quod remiſſio peccati præcedit confeſſionem. “ *Cap.* autem 16. expendens quid in peccato Deus dimittat , quid Sacerdos , quid privatus , “ Sacerdos , inquit , non ſolvit peccatum , „ nec quantum ad pœnam , nec quantum ad reatum ; ſed ſolvit , & „ dimittit , id eſt oſtendit eſſe ſolutum & dimiſſum a Deo quantum „ ad reatum : quia neſcit ipſum eſſe dimiſſum quantum ad pœnam , „ injungit ei temporalem pœnam . “

Nonus eſt Bandinus *in* 4. *diſtinct.* 18. “ Dimittit Deus , inquit , „ peccata in cordis Contritione ante confeſſionem . . . . quia debitum „ æternæ mortis ſolvit , & animam interius purgat . “ Et paulo infra : “ Sacerdos dimittit in confeſſione peccatum miniſterio officii , „ quo poteſt ligare & ſolvere, hoc eſt ligatum vel ſolutum a Deo ex officio oſtendit.

Decimotertio ſæculo eadem doctrina de Contritionis perfectæ neceſſitate apud pleroſque viguit , niſi quod ad explicandam magis adhuc ſacramenti Pœnitentiæ vim , duo prædictis diſertius adjecerint : primum eſt , quod abſterſis æternæ damnationis per Contritionem culpa & reatu , partem pœnæ temporalis adhuc peccato debitæ relaxaret : ſecundum , quod in culpam etiam aliquando ageret , dum videlicet ali-

aliquis ad illud accedit minus bene, quam par ſit, animo comparatus. Duo enim abſolutioni ineſſe, preces Sacerdotis Deum pro peccatore orantis, & ſententiam qua remiſſio peccatorum promulgatur: poſſe autem contingere ut precibus a Deo Sacerdos impetret diſpoſitionem illam ſufficientem ad veniam delictorum, quæ deerat, atque adeo quæ idonea non erat, miniſterio ſuo idoneam faciat.

Primus ordine & dignitate prodit Innocentius III. qui *in Pſal.* 2. *Pænitentialem*, ad illud, *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*, " Tu remiſiſti, inquit, ut patenter oſtendat quod peccatum prius remittitur per compunctionem „ cordis a Deo, quam pronuntietur per confeſſionem oris ab homine. " Adde *ſermonem de Petro & Paulo*, ubi eadem latius tradit.

Secundus eſt Cæſarius Heiſterbatenſis ex Ciſtercienſium ordine, qui *lib.* 3. *de Confeſſione cap.* 1. " Nonniſi per Contritionem, inquit, peccatori „ culpa dimittitur, & hoc ſub conditione, ſcilicet ut Confeſſio ſubſe- „ quatur. "

Tertius eſt Guillelmus Altiſſiodorenſis, qui *lib.* 4. *Summæ de Pænitentia*, ex profeſſo exponens verba Chriſti de poteſtate ſolvendi Petro & Paulo conceſſa, poſt multa, in hoc quod aſtruimus, expreſſiſſima, " „ Senſus eſt, inquit, *quodcunque ligaveris*, id eſt, cujuſcunque ſolu- „ tionem celebraveris, *ſuper terram*, *erit ſolutum & in cælo*. Conſum- „ matio autem dicitur reſpectu inchoationis. Deus autem inchoat di- „ mittendo culpam & pœnam æternam; Sacerdos vero conſummat di- „ mittendo aliquid de pœna ex vi clavium per impoſitionem manuum. " Tum adducto Lazari exemplo, qui vitam recuperaverat, cum eum ſolverunt Apoſtoli, " Per hoc patet, inquit, quod Dominus inchoat ſo- „ lutionem & Sacerdos conſummat. Ergo ubi Dominus non inchoat, „ Sacerdos non conſummat. " De Guillelmo Altiſſiodorenſi non negant Tannerus & Vaſques *ſupra*.

Quartus eſt Albertus magnus *in* 4. *diſt.* 18. *art.* 13. " Remiſit Deus „ culpam in Contritione, inquit, & relaxavit debitum æternæ mor- „ tis, & poſt completionem remanet id quod commiſſum eſt Miniſtris „ Eccleſiæ, ſcilicet relaxatio pœnæ purgatoriæ.

Quintus Alexander Alenſis, qui idem multis in locis explicate docet, non abnuentibus etiam Vaſques, Tannero *ibid.* & Vega *lib.* 13 *in concilium Tridentinum c.* 33. Nempe *parte* 4. *Summæ q.* 8. *memb.* 1. " In forma „ abſolutionis, inquit, præmittitur oratio per modum deprecativum, & „ ſubjungitur abſolutio per modum indicativum: & deprecatio gratiam „ impetrat, & abſolutio gratiam ſupponit. Nunquam enim Sacerdos ab- „ ſolveret, de quo non præſumeret, quod eſſet abſolutus a Deo. " *quæſt.* autem 21. *memb.* 1. negat quod Sacerdos in culpam aliquid operetur; alibi autem, quod citat Caſtorienſis *lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 4. aſſerit, " In „ Contritione dimitti culpam & reatum, hoc eſt debitum mortis æter- „ næ, idque a Deo: cujus ſententiæ promulgator ſit ejus miniſter: ita

„ ut

„ ut hæc verba, *Ego abſolvo te*, ſint idem quod, judico te abſolutum „ ſcilicet a culpa.

Sextus eſt B. Raimundus de Pennaforti *lib.* 3. *de Pœnitentiis & remiſſionibus num.* 8. ubi poſtquam retulit varias hac de re Theologorum opiniones, notavitque hanc eſſe celebriorem, quæ Contritionis peccatorum expultricis neceſſitatem aſſerit, quam probat pervulgato exemplo Lazari, & decem inſuper leproſorum, qui in via, antequam venirent ad Sacerdotes, mundati ſunt, *nu.* 61. “ His prælibatis, inquit, dicendum eſt „ fere ſecundum omnes, quod pure, vere ac proprie ſolus Deus di„ mittit peccata & debitum æternæ pœnæ ... Quidam tamen dicunt, „ quod Deus mundat animam a macula peccati, Sacerdos autem ſol„ vit eam a vinculo æternæ pœnæ. Hos non intelligo. Quare 1. opi„ nionem amplector. De Sacerdotibus autem non eſt dubium, quin „ habeant poteſtatem dimittendi & retinendi peccata ... Dicuntur au„ tem Sacerdotes ligare & ſolvere tribus modis: 1. Ligant & ſolvunt, „ id eſt, oſtendunt aliquem ſolutum vel ligatum ... nam etſi aliquis „ apud Deum ſit abſolutus, non tamen in facie Eccleſiæ abſolutus ha„ betur, niſi per judicium Sacerdotis .... 2. modus ligandi eſt, cum „ ſatisfactionem Pœnitentiæ confitentibus imponunt; vel ſolvendi, cum „ de ea aliquid dimittunt .... 3. modus eſt qui fit per excommuni„ cationem. “

Septimus his accenſendus eſt Vincentius Bellovacenſis, qui *lib.* 8. *ſpeculi hiſtorialis*, non tantum ſententiam aſciſcit Alenſis & Raimundi, ſed eorum quoque verba exſcribit, hujus quidem *cap.* 52. illius vero *cap.* 43.

Octavus eſt Robertus de Sorbona, qui in opuſculo *de itinere Paradiſi* differens de tribus Pœnitentiæ partibus, tria docet huc pertinentia. 1. enim ait ad Contritionem non ſufficere gehennæ metum, aut amorem æternæ beatitudinis, ſed omnino requiri puram charitatem Dei, quâ diligatur abſque ullo pœnæ aut mercedis intuitu: quod aſſerit ad veniam in Sacramento obtinendam eſſe prorſus neceſſarium. 2. Addit quòd Sacerdos, dum abſolvit Pœnitentem, credat quod jam ei Deus remiſerit culpam. 3. Omnem abſolutionis facultatem eo videtur circumſcribere, ut Sacerdos deinceps Pœnitentem inveſtiat de Paradiſo, eumque liberet de pœna inferni.

Nonus in hoc ordine ponitur a multis S. Thomas. Non ſolum enim ait ad Contritionem neceſſarium eſſe amorem Dei ſuper omnia, ſed etiam oportere, ut peccata deleta fuerint, antequam abſolutionis ſententia proferatur a Sacerdote.

In opuſculo *de forma abſolutionis cap.* 2. multis in hunc ſenſum allegatis, ac præſertim de more majorum, Lazari excitatione e ſepulcro: „ Per hoc, inquit, ... oſtenditur quod Sacerdos .... non debeat abſol„ vere, in quo ſigna Contritionis non videt, per quam homo juſtifi„ catur intus culpa remiſſa. “

In expo-

In expoſitione Orationis Dominicæ ad petitionem quintam: " Scien-
" dum, inquit, quod in peccato ſint duo, ſcilicet culpa ..... & pœ-
" na.... ſed culpa remittitur in Contritione, quæ eſt cum propoſito
" confitendi ac ſatisfaciendi: Pſal. 31. *Dixi confitebor, ...& tu remiſiſti*
" *impietatem peccati mei*... Sed forte quis dicet, ex quo dimittitur pec-
" catum in Contritione, ad quid neceſſarius eſt Sacerdos? Ad hoc di-
" cendum eſt, quod Deus in Contritione dimittit culpam, & pœna
" æterna commutatur in temporalem: ſed nihilominus manet adhuc
" obligatus ad pœnam temporalem;.... Quando ergo confiteris, Sacer-
" dos abſolvit te de hac pœna ex clavium virtute. "

In ſupplemento q. 7. art. 1. ad 2. " Dicendum, inquit, quod Con-
" feſſio præſupponat charitatem, qua quis vivus efficitur, ut in littera
" dicitur (Magiſtri Sententiarum *diſt.* 18.) Contritio autem eſt in qua
" datur charitas. "

Ibidem q. 9. art. 1. ad 1. " Fructum Confeſſionis ..... nullus ex-
" tra charitatem exiſtens percipit. Ad 2. vero dicendum quod Contri-
" tio & ſatisfactio fiunt Deo; ſed confeſſio fit homini: & ideo de
" ratione Contritionis & ſatisfactionis eſt, quod homo ſit Deo per
" charitatem unitus. "

Ibidem q. 10. art. 5. in corp. " Reſpondeo dicendum quod confeſſio
" operatur præſuppoſita Contritione, quæ culpam delet: & ſic confeſ-
" ſio directe ordinatur ad diminutionem pœnæ (temporalis) quod
" quidem facit ex erubeſcentia quam habet; & ex vi clavium, quibus
" ſe confitens ſubjicit. "

An autem S. Thomas ſibi ſemper juvenis ac ſenex conſtiterit, quove pacto iſta conciliari poſſint cum aliis ejuſdem locis, ubi agnoſcit quod Sacramentum agat etiam in culpam, & quod culpa in abſolutione remittatur, conſule Caſtorienſem *lib.* 1. *cap.* 16. 30. & 31. & *in appendice*.

Decimus his annumeratur Bonaventura, concedente etiam Vega, Vaſques & Tannero *ſupra*. Scilicet ſanctus ille Doctor *in* 4. *diſt.* 18. *parte* 1. *art.* 2. *q.* 1. Alenſis tum opinionem inducit, tum voces etiam ipſas uſurpat, " Nunquam enim inquit, Sacerdos abſolveret quem-
" quam, de quo non præſumeret, quod eſſet abſolutus a Deo. *Ibid.*
" vero negat Sacerdoti vim ullam ineſſe ad culpam delendam, niſi
" quatenus orando poteſt a Deo impetrare gratiam, qua noxæ eluan-
" tur. " Poteſtas clavium, inquit, bene poteſt ſe extendere ad cul-
" pam per modum deprecantis & impetrantis abſolutionem, ſed per
" modum impartientis nequaquam. " *Et infra* " Ad illud quod objici-
" tur, quod ſacramentum Pœnitentiæ eſt contra peccatum actuale; di-
" cendum quod ſacramentum Pœnitentiæ accipitur, prout comprehen-
" dit rem interiorem, ſcilicet Contritionem, per eum modum per
" quem in perfectione Pœnitentiæ tria concurrunt, ſcilicet Contritio,
" confeſſio, ſatisfactio. "

Un-

Undecimus Joannes Bromiardus, qui *in ſumma prædicantium* verbo *Contritio art.* 5. " Cui Deus, inquit, aperuit januam Eccleſiæ trium-
„ phantis in Contritione, debet Confeſſor aperire Eccleſiam militan-
„ tem in abſolutione. " Sic etiam verbo *confeſſio art.* 11. Si non eſt
„ in charitate (Pœnitens) quomodo poſſet abſolvi? "

Decimoquarto ſæculo ad idem placitum ſeſe adjunxerunt,

Primo Guillelmus Okam Nominalium Princeps, ut refert Vega *lib.* 13. *in conc. Trid. cap.* 33. " Fuerunt quidem, inquit Vega, & celebres Auctores qui ſecuti Magiſtrum *in* 4. *diſt.* 18. tenuerunt Sacerdotes in
„ nova lege perinde ſe habere circa ſpiritualium peccatorum lepram,
„ ac ſe habebant Sacerdotes in veteri lege circa corporalem: & hanc
„ ſententiam tuentur *in eadem diſt.* Bonaventura, Okam, Biel *diſt.* 14.
„ Alenſis *parte* 4. &c.

Secundo Joannes Baconius natione Anglus inſtituto Carmelita *in* 4. *diſt.* 15. *art.* 3. ſic enim partes Contritionis & confeſſionis diſtribuit, ut Contritio Deum reſpiciat, confeſſio autem Eccleſiam: & Contritio culpam deleat, confeſſio vero fidelium communioni & Sacramentis reconciliet: quæ quidem ſententia, ita tunc pervulgata erat, ut eam adagio quodam, ac certo verſuum numero concluſiſſent, ſic enim ait:

Te cor contritum mundat: confeſſio reſtat.
Si quæris, quare? capiti membriſque tenemur.
In caput & membra committis tranſgrediendo.

Tertio Bradwardinus Cantuarienſis in Anglia Præſul: libro enim *de cauſa Dei cap.* 43. in corollario prope finem ait " quod peccata licet
„ per infuſionem gratiæ deleantur ante confeſſionem & abſolutionem
„ obtentam, tamen niſi peccator habita facultate poſtea confiteatur &
„ abſolvatur, revertuntur quodam modo.... & propter contemptum cla-
„ vium aggravantur. " *ibidem* ait, Abſolutionem valere ad augmen-
„ tum gratiæ conferendum. " De quo Caſtorienſis *lib.* 1. *cap.* 31.
„ *pag.* 440.

Quarto Thomas Argentinenſis *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 3. quod etiam notant Marſilius *in* 4. *q.* 12. *fol.* 579. Vaſques, Tannerus *ſupra*, Havermans *ſect.* 7. & Caſtorienſis *Epiſt. ad Clerum num.* 17.

Quinto Marſilius ipſe ab Inghen, non diffitentibus Tannero & Vaſques: nimirum *in* 4. *q.* 12. *art.* 2. " Sacerdos, inquit, ... a Deo
„ prius abſolutum tanquam a principali & authentico abſolutore, de
„ iiſdem criminibus quæ ei confitetur abſolvit.; ut Miniſter Eccleſiæ:
„ & ſic verba vera ſunt quæ dicit: *Ego te abſolvo*, *&c.* ut Miniſter
„ ſcilicet, de quibus quamvis abſolutus erat a Deo in Contritione, ta-
„ men eget abſolutione hominis, certis temporibus ac locis ex Dei in-
„ ſtitutione, "

Decimoquinto ſæculo eidem adhæſiſſe feruntur,

Primo

Primo Joannes Gerſo; de quo Pintherellus *parte* 4.

Secundo Toſtatus conſentientibus etiam Vaſques & Tannero. Et vero *defenſorii cap.* 5. " Aliud eſt, inquit, a quo homo abſolvitur per „ Deum & per Sacerdotem .... pœna æterna eſt circa quam Deus ſolus operatur directe remittendo obligationem ad illam: pœna temporalis eſt a cujus obligatione in toto vel in parte abſolvit Sacerdos „ per claves. " *Cap.* autem *6.* " Dico quod Deus abſolvit hominem „ a culpa, quia infundit gratiam, juſtificando impium; abſolvit a reatu mortis æternæ, quia reatus iſto modo culpa dicitur: ideo a culpa abſolvitur. Sacerdos quoque qualibet auctoritate clavium hoc modo abſolvit a culpa ſeu a reatu pœnæ temporalis. Nam per clavium „ auctoritatem quædam pars pœnæ tollitur, quæ temporaliter toleranda manebat. "

Tertio S. Bernardinus Senenſis (ultro etiam confitente Dentio *in reſponſione ad Lupum num. 96.*) *tomo* quippe *2. ſerm. 27. de confeſſione art. 1. cap. 3.* " Quæritur, inquit, quid dimittat Sacerdos homini Pœnitenti, cur per ſolam cordis Contritionem ante confeſſionem crimina „ deleantur? .... quomodo enim liget Sacerdos Pœnitentem, palam „ eſt: a quo autem eum abſolvat, non claret. Ante confeſſionem vero Deus maculam culpæ per Contritionem cum propoſito confitendi, „ terſit, & debitum mortis æternæ relaxavit. Qui enim contendunt „ Deum maculam .... dimittere ante confeſſionem, Sacerdotem vero „ in confeſſione debitum æternæ mortis relaxare, audiendi non ſunt: „ ſed potius ipſe Deus .... ab utroque ſolvit Pœnitentem .... Reſpondet autem quod Sacerdos dicatur ſolvere, quia ſolutum oſtendit „ .... ita ut in actu confeſſionis & abſolutionis gratia augeatur. "

Quarto Ægidius Carlerius *in reſponſione ad* quæſtiones *Abbatis Aquicinetenſis*: " Eſt verum, inquit, quod ſolus Deus remittit culpam & „ ſolus commutat pœnam æternam in temporalem .... Sacerdos legalis dicebatur culpam remittere, quia oſtendebat eam eſſe remiſſam, „ & Sacerdos Evangelicus oſtendit eam eſſe remiſſam; ſed cum hoc, „ partem pœnæ temporalis debitæ in purgatorio, remittit vi clavium „ & ſolvit: obligat ad pœnam temporalem in hoc ſæculo, & ſic ligat; & ſic nullus Sacerdos Evangelicus remiſſionem culpæ facit: ſed „ quia remiſſa culpa adhuc remanet reatus ad pœnam temporalem, remittere dicitur peccatum quoad partem pœnæ. " Adde tractatum „ manuſcriptum *de diverſis erroribus* apud Launoium *pag.* 41.

Quinto Tarviſinus *ſerm. 19. conſideratione 1. concl.* 3. " Sacerdos, inquit, abſolvere non poteſt, niſi quem credit a Deo abſolutum. "

Sexto Gabriel Biel in eam ſententiam apertus eſt & effuſus *in 4. ſent. diſt. 14. q. 2. art. 2. cl. 2. &c.* " Sed contra opinionem (Scoti oppoſitam Magiſtro tenentis opinionem, ſcilicet quod virtute Sacramenti culpa remittatur, quæ ſine hoc Sacramento in actu non remitteretur) arguitur 1. auctoritatibus, deinde ratione .... Et ad moti-

„ va

„ va Scoti reſponderi poteſt. Ad 1. cum arguit quod ſecundum illam „ opinionem, nunquam per ſacramentum Pœnitentiæ deleretur peccatum. Negatur illa conſequentia .... quia ante abſolutionis ſacerdotalis pronuntiationem, confitens conſecutus eſt peccati remiſſionem „ vigore Contritionis præcedentis apud Deum & quoad culpam: ſed „ non apud Eccleſiam etiam quoad pœnam abſolvitur vigore ſacerdotalis abſolutionis: quia virtute clavium aliquid pœnæ temporalis remittitur ultra eam, quæ ex Contritione præcedenti eſt remiſſa .... „ Et cum dicitur quod hoc eſt nimis derogare ſacramento Pœnitentiæ, quia per hoc non haberet cauſalitatem ad primam gratiam ... „ Reſpondetur quod in nullo derogatur Sacramento; ſed magis commendatur: quoniam cauſat effectum ſuum, ſive culpæ deletionem in „ voto, quod includitur in Contritione, & ſic quodammodo operatur „ in Contritione antequam exhibeatur in opere,

Decimoſexto ſæculo eandem amplexi ſunt.

Primo Joannes Major, *in* 4. ut notat idem Vega loco citato, & Vaſquez.

Secundo Guillelmus Pepinus *ſerm.* 2. *de myſterio abſolutionis feria* 5. *in cœna Domini*: poſtquam enim de Contritione ibi diſſeruit ' " Regula generalis Theologorum eſt, inquit, quod Confeſſor neminem debet abſolvere quem non credit veriſimiliter a Deo abſolutum.

Tertio Ferrarienſis, annuente etiam Tannero,

Quarto Cajetanus juxta eundem.

Quinto Adrianus VI. de quo præter alios Launoius *pag*. 218. & 219. necnon & Dentius *num*.238. Lege Adriani *tract. de clavibus*. Et *quodlib*. 5. ubi refert ſententiam Magiſtri, & oppoſitam Scoti, & ait ſe hanc quæſtionem indiſcuſſam relinquere.

Sexto Thomas Illiricus *ſermone de clavibus Eccleſiæ*: " Quomodo Sacerdos abſolveret quemquam de quo non præſumeret, quod „ eſſet abſolutus a Deo. " Adde *par.* 1. *clypei*, de ſacramento Pœnitentiæ,

Septimo Joannes Celaia Hiſpanus *in* 4. *diſt.* 18. " Teneo, inquit, „ cum Magiſtro ſententiarum, Hieronymo, Auguſtino & Ambroſio, quod „ Sacerdos Evangelicus non remittit culpam virtute Sacramenti, ſed bene „ aliquam pœnam; & quoad culpam, duntaxat ipſum Pœnitentem declarat eſſe abſolutum.

Octavo Petrus Sutor *lib. de poteſtate Eccleſiæ in occultis*, *cap.* 1. explicans vim abſolutionis, " Sacerdos, inquit, ligat peccatorem, „ dum decernit eum eſſe ligatum: abſolvit dum culpam miniſterialiter remittit, ſaltem quantum ad Eccleſiam pertinet: & peccatum „ ipſum ſolum judicio ſuo decernit, abſolvit, inquam, dum partem pœnæ temporalis, virtute hujuſmodi poteſtatis (clavium) relaxat.

No-

Nono. Joannes Maria Verratus *diſp. 6. adverſus Lutheranos de confeſſione concl. 1. opin. 4. diſput. 1.* de Pœnitentia interiori & alibi de poteſtate ſolvendi & ligandi.

Decimo. Claudius Guillaudus *commentario in Joan. cap. 11.* in illud *ſolvite illum & ſinite abire*, " Hic locus, inquit, nobis adumbrat „ uſum clavium, & poteſtatis eccleſiaſticæ, qui eſt juſtificatos per „ Chriſtum ſolvere, & ſinere eos abire . . . . prius juſtificat, & per „ ſe ipſum Dominus vivificat Pœnitentem, deinde eundem per Sa- „ cerdotis miniſterium abſolvit : non enim venit peccator abſolven- „ dus niſi digna Pœnitentia correctus intrinſecus appareat juſtifi- „ catus.

Undecimo. Claudius Spinæus *in epitome Magiſtri ſententiarum diſtinctione* 18. *cap.* 3. " Non . . . . . Sacerdotibus per ſe peccatum dimit- „ tendi poteſtatem conceſſit, quibus tamen tribuit poteſtatem ſolven- „ di, & ligandi homines, id eſt oſtendendi homines ligatos vel ſolu- „ tos. Unde Dominus leproſum ſanitati prius reſtituit per ſe, deinde ad „ Sacerdotes miſit, quorum judicio oſtenderetur. Ligant quoque Sacerdo- „ tes, dum ſatisfactionem Pœnitentiæ confitentibus imponunt, ſolvunt, „ dum de ea aliquid dimittunt. " & cætera quæ ex B. Raymundo deſum- „ pta ſunt.

Duodecimo. Petrus Soto, ut videre eſt apud Pintherellum *pag.* 4. & Farvaquium *in vindiciis charitatis & veritatis, Theſ.* 4.

Atque hi poſtremi eo ſcribebant ævo quo jam Concil. Trid. coactum fuerat; ſed ante ipſius de Pœnitentia decreta.

Tempore Concilii Tridentini.

Quo autem tempore de Pœnitentia agebatur, ipſaque adeo in Synodo, eandem opinionem tenuit ac defendit Joannes Æmilianus Hiſpanienſis, Tudetanus Antiſtes, quemadmodum refert Pallavicinus *lib.* 12. *hiſtoriæ, cap.* 10. *pag.* 322.

Poſt Concilium Tridentinum.

Poſt Concilium vero & ejus de hoc fidei capite ſanctiones eandem quoque docuerunt aut ſecuti ſunt,

Primo. Sonnius Antuerpienſium Epiſcopus; de quo idem Farvaquius *ſupra*.

Secundo. Eodem teſte Richardotus Atrebatenſis Præſul, qui ſuam ea de re mentem aperuit *in formula inſtructionis* pro Paſtoribus Provinciæ Cameracenſis *cap.* 43. & 44.

Tertio. Juxta eundem Fredericus Nauſea Viennenſis epiſcopus *in Catechiſmo* de Contritione, " Contritionis vel ex hoc poſſumus, & ne- „ ceſſitatem, & efficaciam pluſquam evidenter colligere, quod per

„ eam obtineatur remiſſio peccatorum, etiam antequam fiat ore con- „ feſſio eorum Sacerdoti. . . . quo pertinet ſanatio leproſorum, quaſi „ per figuram probans veritatem, qui antequam ex præcepto Domini „ ut ſe Sacerdotibus oſtenderent, ad Sacerdotes venirent, mundati ſunt, „ argumento nimirum nos ob veram Contitionem a lepra peccati mundari, „ antequam ora noſtra Sacerdotibus oſtendamus, id eſt antequam peccata „ noſtra confiteamur. . . .

Quarto. Simon Vigor Narbonenſis archiepiſcopus *ſermone in Dominicam* 14. *poſt Trinitatem*, " Sacerdos ait, *Dominus abſolvat, & ego* „ *auctoritate mihi commiſſa abſolvo te in nomine Patris & Filii & Spiri-* „ *tus ſancti*. Age vero, iſtud nonne conforme eſt figuræ leproſi, qui „ Sacerdoti legis ſe ipſum ſiſtebat, & tunc Sacerdos, ſi leproſus ſana- „ tus erat, ei dicebat redire ſe cum aliis ſecure poſſe; niſi vero ſana- „ tus eſſet, eum a multitudine plebis ſeparabat. Quid autem ſibi vult *abſolvo* „ *te*, niſi remitto tibi peccata tua, & tibi ſignifico te eſſe cum Ec- „ cleſia reconciliatum, teque cum Chriſtianis omnibus communicare „ poſſe, &c.

Quinto. Medina *cod. de confeſſ. tract.* 11. " Deus per Contritionem remit- „ tit peccata, quantum ad maculam & debitum æterni cruciatus; quantum „ tamen ad exulationem & clauſuram regni cœlorum, reliquit peccata Sa- „ cerdotibus remittenda.

Sexto. Gabriel Putherbæus *lib. de Pœnitentia*, *cap. de Contritione*, " Sicut leproſo, poſteaquam ſanatus fuit dictum eſt, *Vade oſtende te* „ *Sacerdoti*: ita ubi quis metu ad Pœnitentiam ductus eſt . . . & co- „ gitat apud ſe Chriſtum ſua morte apud Patrem ſibi remiſſionem „ peccatorum obtinuiſſe, tunc hunc metum in amorem, & in chari- „ tatem mutat: ad Sacerdotem adhuc mittitur, ut ſuam vitam decla- „ ret, & ut confiteatur eam, quam antea lepram habebat, ut per „ Sacerdotem abſolvatur ab illa lepra, declaretur & judicetur mundus „ coram Deo.

Septimo. Marianus Victorius *lib. de Sacramento confeſſ. cap.* 13. de abſolutione: " Quid hic aget Eccleſiæ medicus Sacerdos? Numquid „ mortuum revocabit ad vitam, & deinde ad confeſſionem peccati „ revocatum adducet? At divinum hoc opus eſt: de Chriſto enim ſcribi- „ tur: *Ego ſum reſurrectio, & vita* .... Chriſtus ergo peccatorem a pecca- „ tis ſuſcitat .... Verum quia ſurgit ligatus .... propterea ait Chriſtus, *Sol-* „ *vite illum*.

Octavo. Samarinus *pur.* 1. *Theſauri* ubi de confeſſione, " Decem „ leproſos ad Sacerdotes miſit (Chriſtus) qui in via eundo fuerunt „ mundati: per quod figurat quod peccator licet eundo ad confeſſio- „ nem ratione Contritionis quam habeat, conſequatur veniam, & re- „ miſſionem peccatorum, tamen tenetur venire ad confeſſionem. Sed „ ſi dicas: Quare peccator debet ire ad confeſſionem, ex quo remiſſa „ ſunt ei peccata per Contritionem? Reſpondeo ſecundum Oſtienſem

„ quod

„ quod peccator duplici vinculo ad ſatisfaciendum aſtringitur; uno, a
„ quo ligatur ad Deum, & illud in Contritione dimittitur; alio, a quo
„ ligatur ad Eccleſiam, & hoc per confeſſionem & ſatisfactionem dimitti-
„ tur, & per abſolutionem Sacerdotis relaxatur. “

Nono. Chriſtophorus Sylveſtranus, cujus hæc verba ſunt *in 4. lectione 38. ad 2.* “ Reſpondeo, quod abſolutio eſt duplex; altera apud
„ Deum, altera apud Eccleſiam. Abſolutio apud Deum eſt remiſſio
„ immediata ſibi facta a Deo per Contritionem hominis Pœnitentis:
„ . . . . . altera eſt abſolutio Eccleſiæ quæ fit per Sacerdotem, nam
„ peccator non ſolum eſt ſeparatus a Deo per culpam, ſed etiam ab
„ Eccleſia: ideo non ſolum quoad Deum, ſed etiam quoad Eccleſiam
„ ligatur. In Contritione igitur Deus ſolvit ipſum, & in confeſſione
„ ſolvit Eccleſia, & liberat per hanc formam dicens: *Abſolvo te a peccatis*
„ *tuis*. “

Decimo. Petrus Palenterius *in 4. lectione 90.* ad ſecundam quæſtionem “ Utrum per confeſſionem, & ſatisfactionem culpa dimittatur
„ . . . . Quantum ad ſecundum, eſt dicendum peccatum ante actua-
„ lem confeſſionem dimitti, ſi tamen in ipſa Contritione adſit pro-
„ poſitum confitendi, & ſatisfaciendi; alias non eſſet vera Con-
„ tritio. “

Undecimo. Matholdus *in ſuis ad Pullum notis*; hujus rei cauſa vapulat a Dentio *in reſponſ. nu. 110.*

Duodecimo. Launoius paſſim in opuſculo *de mente Conc. Trid. circa Contritionem.*

Decimotertio. Illuſtriſſimus Caſtorienſis Epiſcopus cum *in Epiſtola ad Clerum*, tum in primo *de amore pœnitente* libro, necnon *in appendice*.

Decimoquarto. Illuſtriſſimus alter Eccleſiæ Princeps, Epiſcopus Tornacenſis de Pleſſiſio Pralino in brevi ac dilucida *ſacramenti Pœnitentiæ expoſitione*.

Decimoquinto. Quotquot hoc ævo veræ charitatis neceſſitatem agnoſcunt ad Pœnitentiæ ſacramentum, & hanc eſſe vim præterea volunt veræ charitatis cujuslibet, ut peccato ſit inſociabilis. Super quo lege duo eruditi Theologi Pariſienſis, olim Decani Senonenſis, opuſcula. Quapropter merito Morinus admonet *lib. 9. de Pœnit. cap. 11. num. 8.* “ Pluri-
„ mos Theologos hanc doctrinam ante Concil. Trid. amplexos eſſe, nec
„ defuiſſe poſt illud viros graves ac celebres, qui eandem propugnave-
„ rint. “

SECTIO II.

An ferri poſſit etiamnum hæc ſententia.

ASSERTIO I.

Hæc ſententia nullo videtur Eccleſiæ aut ſynodi OEcumenicæ decreto confixa.

PROBATUR 1. Ex antiquis Conciliis in quibus nil tale legitur.

PROBATUR 2. Ex ſynodo Tridentino. Cum enim *ſeſſ.* 14. paratum fuiſſet decretum, quo dicebatur ad veniam in Sacramento obtinendam ſufficere eam Attritionem quæ communiter ex metu gehennæ concipitur, refixum illud eſt, & in eam formam, quam nunc præ ſe fert, recuſum rogatu Joannis Æmiliani Tudertani Antiſtitis qui ſentiebat, „ Opus eſſe Contritione perfecta, nec tamen inde argui per Sacra- „ mentum peccata non remitti: quippe quæ Sacramentum jam inve- „ nit remiſſa, præeuntis Contritionis efficacitate. Siquidem ipſa „ Contritio id præſtat virtute Sacramenti, cujus votum in ea conti- „ netur. “ Quemadmodum totidem verbis narrat Pallavicinus *lib.* 12. *hiſt. cap.* 10.

ASSERTIO II.

Nondum etiam videtur hæc opinio unanimi ſcholarum conſenſu proſcripta.

PROBATUR 1. enumeratione eorum Theologorum quos, ſive ante, ſive poſt Conc. Trid. recenſuimus.

PROBATUR 2. ipſa confeſſione adverſariorum, qui quamvis eam improbent; ut innoxiam tamen, & catholicam habendam eſſe agnoſcunt. Sic Vega *lib.* 13. *in Concil. Trid. cap.* 33. Dominicus Soto *in* 4. *diſt.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. Farvaquius *in ſuis opuſculis de Contritione*, Havermans *ſect.* 7.

Imo ſpeciatim excuſant 1. Robertum Pullum Matholdus; 2. Petrum Pictavienſem idem; 3. Lombardum Vega, Soto, Caſtorienſis; 4. Alenſem & Bonaventuram idem; 5. Bielem Theologus ille Pariſienſis, idque allatis illorum diſertis verbis, quibus agnoſcunt gratiam majorem conferri, tollique partem pœnæ Sacramento ipſo, ejuſque voto ac propoſito gratiam primam quæ anteceſſit eſſe tribuendam.

Quocirca cum aiunt abſolutionis vim in eo conſiſtere, non quod peccatores ſolvat, ſed quod ſolutos oſtendat: id ita intelligi poteſt, ut de macula ipſa & de abſolutionis actu loquantur. Nempe ſi ſemel Contritione ac voto Sacramenti, quod in illa includitur, abſterſa ſit macula, nihil jam abſolutioni ſupereſt circa eandem maculam dein-

ceps

ceps agendum, niſi ut eam remiſſam eſſe declaret: quod non impedit quominus ejuſdem Sacramenti vi ante purgata ſit & in ipſa poſtmodum Sacramenti ſuſceptione nova gratia conferatur, & aliqua pœna ſolvatur.

SECTIO III.

An hæc ſententia vera ſit & tenenda.

ASSERTIO.

Altera ſententia quæ perfectæ Contritionis neceſſitatem ad Sacramentum negat, non tantum probabilior eſt, ſed etiam omnino tenenda.

Probatur 1. ex Scripturis, quibus hæc eſt longe magis conſentanea.

Primo enim Chriſtus Petro conceſſit claves regni cœlorum: quorſum autem, niſi ut oſtenderet peccatoribus occluſas fore cœlorum januas, donec eas clavium iſtarum uſu Petrus illis reſeraſſet? Ergo ante hunc clavium uſum cœlos eis non aperit Contritio.

Secundo. Hanc poteſtatem Chriſtus idem fecit Apoſtolis omnibus, ut peccata ſolverent. At *ſolvendi* vox ipſum jurisdictionis exercitium ſonat, peccati autem nomen in culpam proprie cadit. Ergo labes animorum tum demum abſterguntur cum abſolutio datur; ergo non ante vi Contritionis expurgatæ ſunt.

Tertio. Pronunciat Chriſtus peccata non eſſe in cœlis remittenda, quin prius ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus remittantur in terra: at prius remitterentur in cœlo quam in terra, ſi perfecta id genus Contritio requireretur: ergo.

Cum autem ea ſit Scripturarum nativa ac per ſe fluens ſententia, in ea certe hærendum eſt, ne Chriſti verba in alienos ſenſus detorqueamus, iiſque vim inferamus.

Probatur 2. ex variis ſanctorum Patrum decretis, quorum jam aliqua recenſuimus, ubi de poteſtate remittendorum peccatorum Eccleſiæ conceſſa; alia vero in hac ipſa quæſtione referentur.

Primo enim Patres paſſim & ubique affirmant hanc ineſſe a Chriſto Sacerdotibus facultatem, ut abſolutionis beneficio peccata remittant. Nemo autem negare poteſt hujus locutionis iſtam eſſe per ſe vim, ut indicet ea non fuiſſe ante remiſſa.

Secundo. Ut preſſius adhuc agamus, ex iis plurimi definiunt ſententiam Sacerdotum divina priorem eſſe: jam vero non erit prior, ſi reconciliatio Pœnitentium judicium Sacerdotum ſemper antevertat.

Tertio. Ajunt nonniſi ad preces Sacerdotum indulgentiam peccatorum a Deo concedi, ac proinde in ipſo abſolutionis actu.

Quarto. Declarant ſolemni abſolutionis ritu peccatores a morte ad vitam excitari.

Quinto. Cyprianus, Auguſtinus, aliique vulgo docent Catechumenos & Pœnitentes peccatorum ſuorum ſarcina ſemper onuſtos eſſe ac gravatos, donec ad Sacramenta venerint.

Sexto. Fulgentius de Baptiſmo Æthiopis, magnam ſequi abſurditatem cenſet, ſi etiam in adulta ætate Baptiſmus non renaſciturum ſuſcipiat, ſed renatum. At quæ Baptiſmi, eadem reconciliationis ratio eſt juxta Auguſtinum.

PROBATUR 3. ex ſynodo Tridentina, quæ licet eo in negotio nihil decidere voluerit, id tamen unum noſtro judicio ſpirat.

Primo enim *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. docet " Contritionem aliquando perfe-„ ctam eſſe, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramen-„ tum actu ſuſcipiatur. " Ergo non neceſſaria eſt ad Sacramentum Contritio illa perfecta quæ ſemper hominem reconciliet ante Sacramentum. Si enim aliquando tantum contingit ut Contritio perfecta ſit hominemque Deo reconciliet antequam Sacramentum ſuſcipiatur, itaque vulgo Contritio neceſſaria nonniſi in Sacramento reconciliat. His quippe verbis Synodus ſatis aperte innuit ſe loqui de eo Contritionis genere quæ ſit extra ordinem & rariſſime contingat, non de vulgari & neceſſario. Quis enim dicat aliquando tantum contingere, ut rite ſacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiatur? Itaque extra dubium eſt illic non ſignificari Contritionem ad Sacramentum neceſſariam. Jam vero duplicem duntaxat Synodus diſtinguit Contritionem; hanc nimirum perfectam, quæ rarior eſt; alteram imperfectam, quæ Attritio nominatur, de qua pronuntiat, eam, ſi cum ſpe veniæ jungatur & peccandi voluntatem excludat atque adeo includat amorem Dei ſuper omnia, pronuntiat, inquam, eam diſponere ad gratiam impetrandam in Sacramento. Ergo Contritio, quæ amorem Dei ſuper omnia includit, juxta ſynodum Tridentinam diſponit duntaxat ad gratiam in Sacramento obtinendam.

Secundo eadem Synodus ſtatuit *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. *&* *can.* 11. " Ut nul-„ lus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, „ abſque præmiſſa quamprimum ſacramentali confeſſione ad ſacramen-„ tum Euchariſtiæ accedere debeat, ... modo non deſit illi copia Con-„ feſſoris. " At nulla fere eſſet hujus diſciplinæ ac præcepti ratio, ſi nihil ad purgandum animum Sacramenti vis vulgo præſtaret quod non ante Contritio præſtitiſſet.

PROBATUR 4. auctoritate Catechiſmi Romani, qui *parte* 2. *cap.* 5. *num.* 46. conceptis verbis hujus Contritionis perfectæ neceſſitatem excludit. " Ut enim concedamus, inquit, Contritione peccata deleri; „ quis ignorat illam adeo vehementem .... eſſe oportere, ut doloris „ acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit? At „ quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat ut a

„ pau-

„ pauciſſimis hac via peccatorum venia ſperanda eſſet. Quare neceſſe „ fuit ut .... Dominus faciliori ratione horum ſaluti conſuleret.“

Probatur 5. judicio ſacræ Facultatis Pariſienſis anno 1638. Cum enim tunc quidam Theologus in libro a ſe edito aſſeruiſſet ad veniam in Sacramento conſequendam non ſufficere Contritionem imperfectam ſeu Attritionem ex inchoata charitate, ſed neceſſariam eſſe Contritionem ex charitate perfecta, quæ peccata deleat ante Sacramenti ſuſceptionem; atque adeo abſolutionem ſacramentalem nihil aliud eſſe quam declarationem juridicam peccati jam remiſſi, ſacer ordo totum hoc cenſura confodit, ſic ajens: “ Quæ tradit (Doctor ille) de Attritionis „ inſufficientia & Contritionis ex perfecta charitate abſoluta neceſſita- „ te ad recipiendum ſacramentum Pœnitentiæ; & quæ addit de abſo- „ lutione, damnavit Facultas, & cenſuit has propoſitiones eſſe quietis „ animarum perturbativas, communi & omnino tutæ praxi Eccleſiæ „ contrarias, efficaciæ ſacramenti Pœnitentiæ imminutivas, & inſuper „ temerarias & erroneas.“

Prob. 6. auctoritate Cleri Gallicani in comitiis anni 1700. *In ſua* enim *declaratione de dilectione Dei in Pœnitentiæ ſacramento requiſita*, “ „ Hæc duo, inquit, inprimis ex ſacroſancta ſynodo Tridentina monen- „ da & docenda eſſe duximus: 1. ne quis putet requiri ut præviam Con- „ tritionem eam quæ ſit charitate perfecta, & quæ cum voto ſacramen- „ ti, antequam actu ſuſcipiatur, hominem Deo reconciliet, &c.

Prob. 7. communi conſenſione Theologorum non hoc tantum ævo, quod conſtat, ſed etiam a pluribus ſæculis.

Primo Guillelmus Pariſ. quidquid de eo dictum ante fuerit, *tract de Pœnit. tit. de ejus effectu & poteſtate*, ait “ ſe pie credere ac ſentire, „ quod jam ſanctificatis gratia quam afferunt ſacerdotali miniſterio adau- „ geatur: nondum autem ſanctificatis credere ſe ac dicere quod ſacerdo- „ tali abſolutione & benedictione remiſſio peccatorum omnium & gra- „ tia, qua de cætero grati & acceptabiles vivant, præſtentur.

Secundo Guillelmus Peraldus Lugdunenſis archiepiſcopus *in Summa virtutum*, *tit. de acedia* ait “ Quod ſacramento Pęnitentiæ peccatori da- „ tur gratia ſi eam non habet, & augeatur ſi eam habet.“

Tertio S. Thomas *in ſupplemento*, *q.* 18. *art.* 1. *in corp.* “ Quod ſi „ ante abſolutionem, inquit, aliquis non fuiſſet perfecte diſpoſitus ad „ gratiam ſuſcipiendam, in ipſa confeſſione & abſolutione gratiam con- „ ſequeretur, ſi obicem non poneret. Claves enim ordinari ad culpæ „ remiſſionem, non vero ad remiſſionem pęnæ tantum; quia alioqui „ non exigeretur votum ſuſcipiendi effectum clavium.“ Idem tradit alibi; idque fatetur Gabriel *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 2. *p.* 252.

Quarto Ricardus de Media-villa *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 2. “ Sacer- „ dos, inquit, in ſacramento Pęnitentiæ miniſterialiter & inſtrumenta- „ liter illi qui per Attritionem removit obſtaculum, diſpoſitive remittit „ maculam peccati.

Quinto Scotus *in* 4. *diſt.* 14. *art.* 3. “ Attritus etiam Attritione, inquit,
„ quæ non habet rationem meriti ad remiſſionem peccati, . . . recipit
„ effectum ſacramenti : alioqui non apparet quomodo ſacramentum Pę-
„ nitentiæ ſit ſecunda tabula, ſi nunquam per ipſum, ut ſacramentum
„ eſt, poſſet recuperari gratia amiſſa.

Sexto Ægidius Columna archiepiſcopus Bituricenſis, *quodlib.* 2. *qu.* 20. ait “ aliquando contingere, quod, antequam quis vadat ad confeſ-
„ ſionem, ſit contritus, & ſit a culpa abſolutus, & ſit Deo reconci-
„ liatus : aliquando vero ſit forte tantum attritus; & tunc virtute cla-
„ vium de attrito fieri contritum; & cum confitetur, tum demum a
„ culpa abſolvi, & Deo & Eccleſiæ reconciliari, & pęnam æternam in
„ temporalem commutari, vireſque omnes fortificari. “

Septimo Durandus ſimiliter *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. aſſerit “ in Pœnitente,
„ antequam actualiter recipiat ſacramentum Pœnitentiæ, quandoque præ-
„ cedere ſufficientem diſpoſitionem delentem culpam & conferentem gra-
„ tiam, & tunc ſacramentum ſuperveniens culpam non auferre, quia
„ non invenit : quandoque vero non præcedere ſufficientem diſpoſitio-
„ nem, quæ culpam deleat ſed Attritionem, quæ ſuperveniente ſacra-
„ mento virtute clavium efficitur ſufficiens.

Octavo Antonius Andreas *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. “ Peccator, inquit,
„ accipit gratiam in ſacramento Pœnitentiæ per abſolutionem, etiamſi
„ in illo nulla gratia præexiſtat.

Nono Paludanus *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 8. *art.* 1. *concl.* 3. “ Omne ſacramen-
„ tum, inquit, vel agit vel auget, quod ſignificat : unde cum abſolutio
„ ſignificet remiſſionem culpæ, ad eam diſponit ſi adeſt, ut in attrito;
„ ſi non adeſt, diſponit ad augmentum gratiæ & remiſſionem pœnæ. “

Decimo Aureolus, *in* 4. *diſt.* 14. *q. unica*, “ Baptiſmus ordinatur,
„ inquit, ad deletionem peccati : . . . ſimiliter confeſſio dicitur culpam
„ delere, & gratiam conferre, quia de communi lege ſunt ad hoc, ſi cul-
„ pam inveniant : quod ſi non inveniant, tunc non cauſant novam gra-
„ tiam, ſed priorem augmentant.

Undecimo Guillelmus de Rubione *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 1. *ad* 2. “ Poteſtas
„ ſacerdotalis, inquit, in foro Pœnitentiæ extendit ſe ad remiſſionem
„ culpæ . . . . Falſum eſt remiſſionem culpæ prævenire ſacramentum Pę-
„ nitentiæ : tum quia homini non eſſet remedium contra peccatum; tum
„ quia non minor Contritio requireretur in Pęnitente confitente, quam
„ in Pęnitente non confitente : ſed utrumque horum falſum eſt. “

Duodecimo Guido de Monte-Rocherii *in manipulo curatorum*, 2. *parte*, *de Pœnitentia*, *cap.* 9. “ Qui accedit ad Confeſſionem, inquit, aut eſt
„ perfecte contritus, aut non : ſi eſt perfecte contritus, tunc Deus vir-
„ tute Contritionis remittit illi peccata; ſi autem non eſt perfecte con-
„ tritus, tunc virtute confeſſionis iſta imperfecta Contritio reducitur ad
„ perfectam, & ſic virtute confeſſionis remittuntur peccata quoad cul-
„ pam. “

Deci-

Decimo tertio Aſteſanus *in Summa lib.* 5. " Dico, inquit, quod at-
„ tritio ad confeſſionem accedenti virtute abſolutionis ſacerdotalis da-
„ tur gratia juſtificans; contrito vero datur augmentum. "

Decimo quarto Dionyſius Ciſtercienſis *in* 4. *diſt.* 23. *art.* 5. *dubio* 2. ait quod " ſi Attritio jungitur confeſſioni & abſolutioni Deus confert
„ juſtificationem : quod probatur, quia niſi hoc ponatur, nullam effi-
„ caciam habebit ſacramentum ſuper deformitatem culpæ. "

Decimo quinto Capreolus *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 3. " Falſum eſt, in-
„ quit, quod Attritio cum ſacramento in nullo caſu ſufficit ad remiſ-
„ ſionem peccatorum; videtur enim velle quod ſacramentalis abſolutio
„ nunquam de attrito faciat contritum, quod falſum eſt. "

Decimo ſexto Joannes Gerſo *de Pœnitentia in cœna Domini* teſtatur hanc fuiſſe vulgarem ætate ſua a Guillelmi Pariſienſis tempore ſententiam : " Dicit autem, inquit, Dominus Guillelmus Pariſienſis, & alii
„ communiter quod Attritio, quæ alias non eſſet ſufficiens, ſit ſuffi-
„ ciens virtute ſacramenti. "

Decimo ſeptimo Joannes Nider *in expoſitione præceptorum Decalogi*, *præc.* 3. *cap.* 9. " Valet confeſſio inquit, ad augmentum gratiæ, ſi quis
„ prius eam habuit : valet præterea ad gratiæ novæ infuſionem, ſi ea
„ prius caruit; facit enim de attrito contritum. "

Decimo octavo Wobillonius, *in* 4. *diſt.* 20. *art.* 2. *concl.* 1. " Non
„ eſt utilis abſolutio, inquit, niſi præcedat in confitente aliqua Con-
„ tritio vel Attritio : ideo disjunctive protuli, quia ſufficit Attritio.

Decimo nono Nicolaus de Orbellis *q.* 4. *de Pœnit.* " Videtur, in-
„ quit, eſſe opinio Magiſtri, quod in ſolvendis culpis vel retinendis,
„ ita operatur Sacerdos evangelicus, ſicut olim legalis illis qui conta-
„ minati erant a lepra ... ſed iſtud nimis videtur derogare ſacramen-
„ to Pœnitentiæ : nam ſi per illud nunquam deletur peccatum, ſed
„ neceſſe eſt ipſum prius deleri per Contritionem, ad hoc ut digne
„ ſuſcipiatur ſacramentum Pœnitentiæ; tunc nunquam eſſe poſſet ſecun-
„ da tabula poſt naufragium, quia nunquam liberaret jam naufragum
„ a periculo ſubverſionis. "

Vigeſimo Tartaretus *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 4. *p.* 244. non aliter pronuntiat : *diſt.* autem 19. " Requiritur, inquit, aliqua operatio voluntatis,
„ ad hoc quod aliquis recipiat ſacramentum Pœnitentiæ; ſcilicet quod
„ habeat Attritionem : & hic actus, poſtquam eſt informatus gratia,
„ vocatur Contritio. "

Atque hi ſunt qui ante exortas ultimas hæreſes Contritionem imperfectam ad ſacramentum Pœnitentiæ ſatis eſſe docuerunt, quibus plures alios adjungere nullo negotio potuiſſemus; ſed hos ſelegimus, quod cæteris brevius & diſtinctius id pronuntiarint, aut reliquis ſint illuſtriores.

Jam vero contra hujus ævi Hæreticos hoc ipſum etiam ante ſynodum Tridentinam affirmarunt Eckius *Hom.* 47. *de Confeſſione* ; Joannes

Fiſche-

Fiſcherus, Roffenſis epiſcopus, *art.* 2. 5. *&* 6. Latomus *pag.* 26. Lindanus *pag.* 373. Joannes a Daventria *in Exegeſi*, *art.* 12. *confeſſionis Lutheranæ de Pœnitentia*, aliique.

Cum autem haberetur ſynodus Tridentina, in eaque de Contritione diſputaretur, omnes paſſim conſpirabant in hanc ſententiam noſtram, adeo ut paratum jam eſſet decretum, in quo Attritio ſufficere diceba-tur, cui ſolus obſtitiſſe legitur Joannes Æmilianus Tudetanus antiſtes.

Ac poſt concilium Tridentinum hæc opinio tantas vires acquiſivit, ut omnes fere pervaſerit Theologos: ab eo enim tempore vix unus aut alter, pauci certe, reperiuntur, qui non idem conſtanter definierint.

Quinetiam ii ipſi qui dominantis charitatis & prævalidi amoris Dei neceſſitatem propugnant in ea vulgo verſantur ſententia; de quo conſule Eſtium, Havermanum, Lupum, Farvaquium, Queraſſium, &c.

Prob. 8. vulgari fidelium ſenſu. Cuncti enim hoc animo ſunt, ut exiſtiment ſuas abſtergendas fore conſcientiæ maculas ſacramento Pœnitentiæ, ſi illud rite ſuſcipiant.

Atque hæc dicta ſufficiant adverſus eos qui perfectæ Contritionis neceſſitatem admittunt, ſive illa ex gratia habituali, ſive ex charitate perfecta actuali oriri cenſeatur. Priorem partem tuebantur plurimi veteres Theologi; poſteriorem Michael Bajus, ut notatur ab Havermano *ſect.* 5. & Chriſtiano Lupo *epiſt. ad Henricum Noris cap.* 6. nec non & Ederus, qui epitomen edidit Catechiſmi Romani, prima fronte videtur profecto ad illud placitum adhæſiſſe *ſect.* 3. *de Contritione*, ſed eum tamen excuſat Caſtorienſis *lib.* 1. *c.* 27. *n.* 13.

ARTICULUS VI.

De Contritione imperfecta ſeu Attritione.

Ex his quæ hactenus diſputata ſunt conſequens eſt imperfectam Contritionem ſeu Attritionem juxta noſtram opinionem ſufficere ad Pœnitentiæ ſacramentum.

Sed quoniam *Attritionis* nomen non uno accipitur modo, latiſſime autem contra funditur, inquirendum jam ſupereſt quid ad eam conſtituendam neceſſarium eſſe videatur.

Septem vero ſuper ea re Theologorum ſententias recenſuimus,

Primam quæ in Attritione includit prævalidum Dei amorem aut charitatem actualem, inchoatam illam quidem, ſed cordi tamen dominantem.

Secundam quæ ſolum amorem concupiſcentiæ requirit, modo ſit ſupra omnia.

Tertiam quæ vel minimo Dei amore cujuslibet generis contenta eſt.

Quar-

Quartam quæ ad id ſatis eſſe decernit turpitudinis peccati conſiderationem, aut gehennæ timorem fidei lumine innixum.

Quintam quæ nihil aliud poſtulat præter naturalem Dei amorem.

Sextam quæ cenſet nullum omnino bonum animi motum requiri: ſatis enim eſſe ſi nullus obex interveniat ſacramento dum ſuſcipitur.

Septimam quæ ſtatuit motivum quodlibet, etiam temporale, modo ſit honeſtum, ad gratiam in ſacramento impetrandam ſufficere.

De iis porro quid ſentiendum ſit jam ex parte ſignificavimus.

Primo enim quod pertinet ad ſextam opinionem, jam ante monuimus eam a nonnullis tribui Scoto, de quo ait Morinus *lib.* 8. *de Pœnitentia*, *cap* 3. *num.* 13. quod primus aperte præparationes ad juſtificationem cum ſacramentorum virtute commiſerit, atque illas, ut hanc extolleret, humillime depreſſerit. Scotum autem ſequi videntur Almainus & Sylveſter; eum vero excuſant Vega, aliique ex eadem familia plures. Cum autem ex hac laxiore doctrina Lutherani occaſionem arriperent id Catholicis exprobrandi, Synodus Tridentina *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ait " eos falſo calumniari catholicos Scriptores, quaſi traderent ſacra-" mentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam con-" ferre, quod nunquam Eccleſia Dei docuit nec ſenſit. " Et vero neceſſariam eſſe Contritionem, nuper demonſtravimus: at Contritio certe eſt bonus animi motus.

Secundo quod pertinet ad ſeptimam, non ita pridem docuimus Contritionem, ob mala temporalia conceptam non ſufficere.

Tertio quod ſpectat ad quintam, amor Dei naturalis non ſufficit, ſi Contritio ſupernaturalis eſſe debeat: at Contritionem eſſe ſupernaturalem oportere ſupra ſtatuimus.

Quapropter ut ad quatuor reliquas, quæ nondum a nobis expenſæ ſunt, pergamus, ſit

S E C T I O I.

An ad veniam peccatorum ſacramento conſequendam, ſatis ſit dolor ex peccati turpitudinis intuitu profectus.

PECCATI fœditas virtutis pulchritudini opponitur; & in hujus amore, illius deteſtatio fundatur.

Triplex autem peccati turpitudo diſtingui poteſt.

Prima quæ poſita eſt in hominum opinione, probroſum enim apud homines vitium eſt.

Secunda quæ ex nativa ipſius deformitate oritur.

Tertia quæ eo æſtimatur quod Deo æternæque ejus juſtitiæ repugnat.

Sic triplex quoque eſt pulchritudo virtutis.

Prima quam ex hominum præclare vulgo de ea exiſtimantium judicio colligit.

Secun-

Secunda quam ex ſe ſuoque cum recta ratione conſenſu accipit.

Tertia quam haurit ex ſua cum Deo conjunctione.

Ex quo ſequitur triplici de cauſa poſſe quem amplecti virtutem.

Ac primo quidem propterea quod famam apud homines & laudem parit.

Secundo propter ingenitam virtutis excellentiam in ea ſiſtendo.

Tertio propter Deum.

Primus amor virtutis falſus eſt & fucatus: 2. ſuperbus: 3. vere ſolidus eſt.

Primus in Romanis cæteriſque Gentilium illuſtriſſimis viris viguit: 2. in Stoicis: 3. in ſolis Chriſtianis.

De primo ſic loquitur Auguſtinus *lib.* 5. *de Civit. Dei c.* 12. " Veteres primique Romani laudis avidi, pecuniæ liberales erant; gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant: hanc ardentiſſime dilexerunt; propter hanc vivere voluerunt; pro hac & mori non dubitaverunt; cæteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate preſſerunt. Ex quo collige hujuſmodi amore virtutis inquinari magis animum quam purgari.

De ſecundo *ibid. c.* 20. " Nec illi, inquit, ſe ab iſta defenderunt fœditate, qui cum aliena ſpernant judicia, velut gloriæ contemptores, ſibi ſapientes videntur & ſibi placent: nam eorum virtus, ſi tamen ulla eſt, alio modo quodam humanæ ſubditur laudi.

Ac proinde is amor hominem ad Deum convertere non poteſt. Ut enim *lib.* 21. *ejuſdem operis cap.* 16. idem Sanctus Auguſtinus docet, " Non vere tunc vitia vincuntur virtutibus; ſed tantum apertiſſima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur eſſe virtutes, in quibus regnat ſuperbia, & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa. Tunc itaque, addit, victa vitia deputanda ſunt, cum Dei amore vincuntur.

Nimirum, ut ait idem *ep.* 55. " Cum anima in ſe delectatur, nondum re incommutabili delectatur, & ideo adhuc ſuperba eſt, quia ſe pro ſummo habet, cum ſuperior ſit Deus.

Ea de cauſa idem Auguſtinus *ſerm.* 156. graviter Stoicos arguit, quod ad ſe ipſos officia virtutum referrent.

Quæ cum ita ſint, jam manifeſtum eſt quænam Attritio ex peccati turpitudinis intuitu ad Pœnitentiam ſalutarem ſufficiat.

Primo enim ſi quis ideo tantum peccata deteſtetur, quia ſibi vituperio ſunt, is certe non peccatum odit, ſed fugit probrum.

Tertio. Si quis ideo duntaxat peccatum averſetur, quod animi deterat decus, is certe non tam de peccato gemit, quam ſe amat & ambit excellere.

Atque adeo nec primus dolor, qui vanus eſt, nec alter qui ſuperbus, animum hominis purgare poſſunt aut emendare.

Itaque ſolus ille dolor reſtat par homini corrigendo, qui illum ad Deum omnis

omnis juſtitiæ fontem erigit, & peccatum ideo fugit, quod Deo diſpliceat, & opponatur.

Jam vero non poteſt peccatum eo nomine odio eſſe, quod diſpliceat Deo, ejuſque immutabili juſtitiæ contrarium ſit, niſi Deus ut juſtitiæ fons & origo diligatur.

Quocirca Attritio ex turpitudinis peccati conſideratione profluens, ut legitima ſit, uno Dei amore innixa eſſe debet.

Inde eſt quod Joannes Nider *ad præceptum* 3. *cap.* 8. *numer.* 13. ſic loquitur : " Si homo peccata ſua deteſtetur ſolum quia oppoſita ſunt „ virtuti morali , . . . ibi ſiſtendo ſine ulteriori relatione in Deum , „ tunc homo ſolum quæreret ſuum commodum , & fugeret ſuum in- „ commodum , & nullo modo quæreret Deum & illius honorem con- „ tra iſtud Apoſtoli 1. Cor. c. 10. *Sive manducatis , ſive bibitis , &c.* „ Nec talis deteſtatio eſſet actus virtutis , quia non circumſtantionata „ bono fine .... & per conſequens non formaretur gratia , nec fieret „ Contritio.

SECTIO II.

De Attritione ex ſolo gehennæ metu concepta.

CIrca hoc caput in quo controverſiæ cardo potiſſimum vertitur , ſex omnino quæremus : ac primo quidem indagabimus quotuplex ſit timor . Secundo . An timor gehennæ ſit bonus : Tertio . An ſupernaturalis : Quarto . An ſententia quæ eum ſufficere arbitratur , ad fidem pertineat : Quinto . An ſit vera : Sexto . An ſaltem antiqua ſit.

Quotuplex ſit timor.

Timor a Theologis triplex vulgo generatim diſtinguitur, naturæ, mundi & Dei.

Primus eſt motus naturæ quodlibet malum imminens fugientis. Is autem rationem plerumque prævertit, aliquando ſequitur; per ſe vero medius eſt, id eſt nec bonus nec malus; ad bonum tamen aut malum a voluntate inflectitur.

Secundus quem Sanctus Auguſtinus , Caſſiodorus , & Theologi e ſchola mundanum ſeu humanum appellant , eſt quo incommodum temporale præ Dei offenſa formidatur. Hunc damnant Scripturæ.

Pſalmus cap. 52. verſ. 6. *Illic trepidaverunt timore , ubi non erat timor.*

Eccli. 7. 6. *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates ; ne forte extimeſcas faciem potentis ; & ponas ſcandalum in æquitate tua.*

Matth.

Matth. 10. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.*

Apoc. cap. 21. verſ. 8. *Timidis autem, & incredulis . . . . . . pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

Quapropter hic mundanus timor ex ſuo genere ſemper vitioſus eſt; quamvis enim liceat malum temporale deteſtari, habet tamen ſemper adjunctum peccatum.

Tertius eſt timor Dei, qui iterum duplex diſtinguitur; ſervilis & caſtus.

Servilis eſt cum quis non amore juſtitiæ, ſed ſolo pœnæ metu a peccato abſtinet, & quod legis eſt exequitur; is ad Judæos proprie pertinuit. " Brevis enim utriuſque legis differentia eſt timor & amor, " ut ait S. Auguſtinus: de quo lege *Exodi* 19. *Rom.* 8. 15. 2. *Tim.* 1. 7. *Heb.* 2. 15.

Caſtus dicitur quo quis Deum ut ſupremum Dominum aut amantiſſimum patrem reveretur, ac proinde quandiu id fieri poteſt, metuit ne culpa ſua ei diſpliceat ab eoque ſeparetur.

Atque hic timor in multis Scripturæ locis commendatur, Sanctiſque etiam præcipitur.

Pſal. 18. 10. *Timor Domini ſanctus* (græce *caſtus*) *permanens in ſæculum ſæculi.*

Pſ. 33. 10. *Timete Dominum omnes ſancti ejus.*

Pſ. 111. 1. *Beatus vir qui timet Dominum.*

Timor porro caſtus duplex rurſum ſtatuitur, initialis & filialis.

Initialis eſt timor culpæ conſortium adhuc habens timoris pœnæ, eoque paſſim indigens ad virtutem.

Filialis eſt timor ſolius culpæ, timore pœnæ in virtutum officiis vulgo non utens.

Quæ quidem ut majorem lucem accipiant; obſervandum eſt.

Primo. Duplicem duntaxat ab antiquis aſſignari timorem Dei, ſervilem ſcilicet & caſtum. Sic paſſim Auguſtinus ac potiſſimum *tract.* 43. *in Joan. num.* 7. *tract.* 85. *num.* 3. & *tract.* 9. *in cap.* 4. *Epiſt. Joann. num.* 5.

Secundo. A pluribus tamen ſæculis initialem inter hos duos medium collocari: hunc enim memorant, aut etiam cum mundano ſervili, & initiali connumerant vetus auctor *de modo bene vivendi* apud Bernardum *c.* 4. *n.* 9. *to.* 5. *pag.* 245. Hugo Vict. *lib.* 4. *allegoriar. in Lucam*; Magiſter Sent. *lib.* 3. *diſt.* 34. Petrus Pictav. *Sum. lib.* 3. *cap.* 17. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 2. Alenſis *Summæ* 3. *par. qu.* 66. *membro* 1. S. Laurent. Juſtinian. *tract. de timore*; S. Franciſcus Saleſius *lib.* 2. *de amore Dei*, *cap.* 16. & alii non pauci, qui tamen in multiplicis hujus timoris notione, aut etiam diviſione non omnino inter ſe conſentiunt.

Tertio. In timore ſervili duo eſſe ſecernenda: timorem nempe ipſum

ſum pœnæ, & ſervilitatem ei conjunctam, hoc eſt affectum ipſum peccati intus latitantem. Aliud enim eſt ſimpliciter timere pœnam, aliud ſic eſſe comparatum, ut, ſi pœna non maneat, malum eligas; quod proprie ſervorum eſt, ac proinde timorem hunc ab iſta ſervilitate poſſe ſejungi.

Quarto. A timore pœnæ ad timorem culpæ gradatim vulgo peccatorem aſſurgere. Servilem itaque pœnæ timorem vocari, cum ſolus in animo regnat, aut præ alio ſaltem dominatur; initialem vero timorem dici, dum timor culpæ in corde regnum obtinet, ita ut nihilominus paſſim egeat timore pœnæ ad comprimendos majores cupiditatis æſtus: quod inter emendandæ vitæ initia plerumque contingit. Tunc enim ſervilitas quidem abjicitur, ſed adhuc remanet idem, qui prius fuit in uſu vulgari, pœnæ timor.

Quinto. Timorem initialem eſſe quid per ſe ſimplex; eſt enim duntaxat timor culpæ jam animo dominans: mixtum quid tamen ac compoſitum non ſatis attendentibus videri poſſe, quod alium inſuper timorem ſecum habeat ac patiatur. Homo enim in eo ſtatu, partim timore pœnæ, partim timore culpæ; modo hujus, modo illius ope, a peccato retrahitur: ſed ut loquuntur ſcholæ, duplex eſt is actus, licet unum idemque utriuſque ſubjectum ſit.

Sexto. Timorem initialem & ſervilem ſpecie diſtingui propter objectorum ſpecificam, ut aiunt, pœnæ nimirum & culpæ diverſitatem. Vide Auguſtinum *in Pſ.* 127. *& tract.* 9. *in Epiſt. Joannis* necnon & S. Thom. 2. 2. *qu.* 19. *art.* 5.

Septimo. Ubi charitas perfecta eſt, foras mitti timorem (pœnæ) 1. *Joan.* 4. non quod aliquando eo non utatur, aut opus non habeat, cum ſcilicet vehementior ſolito tentatio ingruit; ſed quod per ſe ad virtutis exercitium, utpote robuſta, vulgo ſufficiat. Eo enim timore utiliter ipſos etiam ſanctos adjuvari oſtendunt Scripturæ, *Pſal.* 118. 120. *Matt.* 10. 28. & Martyrum hiſtoriæ, de quibus olim eminentiſſimus Cardinalis Noallius *in inſtitutione ſua de amore Dei* adverſus nuperos hujus temporis errores.

Octavo. Timorem initialem natura ſua eundem omnino eſſe cum filiali; & gradu ſolum ab eo diſcrepare, quod hic fortis, & perfectus ſit, ille debilis adhuc, & imperfectus. Ita Sanctus Thomas aſſerit, quod ſe habeat ad filialem, ut charitas imperfecta ad perfectam.

An timor pœnæ ſit bonus.

Martinus Lutherus olim pronuntiavit ac pertinaciter docuit, timorem pœnæ in peccatoribus malum eſſe, eamque Attritionem quæ ex illo concipitur, nedum maculis animi eluendis par ſit, hominem ejuſmodi hypocritam facere, & magis peccatorem.

AS-

ASSERTIO

Bonus eſt & laudabilis pœnæ timor.

Probatur 1. ex Scripturis : Prov. 1. 7. *Timor Domini principium ſapientiæ* : quod de timore pœnæ exponunt Baſilius *in Pſal.* 32. & S. Auguſtinus *tract. 9. in Epiſt. Joannis* : ſi autem ſapientiæ principium eſt, dubium eſſe non poteſt, quin ſit expetendus.

Eccli. cap. 1. verſ. 27. *Timor Domini expellit peccatum : nam qui ſine timore eſt non poterit juſtificari*. Hoc quippe de eo timoris genere quod veniam peccatorum præcedit interpretatur ſynodus Tridentina *ſeſſ. 6. cap. 6.*

Matth. 10. 28. *Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*. At Chriſtus profecto non hortaretur ad hunc timorem, niſi bonus eſſet: ergo.

Probatur 2. ex Patribus, qui hunc timorem ſummopere commendant. Unus a nobis afferetur Sanctus Auguſtinus, quo ſe Lutherus maxime jactabat. *In Pſalm. 5. num. 9.* " (Timor,) inquit, magnum eſt
„ præſidium procedentibus ad ſalutem ; cum autem quiſque pervene-
„ rit, fiet in eo quod dictum eſt, *Conſummata dilectio foras mittit ti-*
„ *morem*. "

In Pſ. 127. "Bonus eſt & iſte timor & utilis, ſcilicet, ut antea dixerat,
„ quo quis præſentiam Domini & pœnas timet ..... quo timet ne mittatur in
„ gehennam. "

Serm. 156. num. 14. "Fac, fac, inquit, vel timore pœnæ, ſi nondum po-
„ tes amore juſtitiæ. "

Serm. 16. num. 8. "Plane time (gehennam) nihil melius times : nihil eſt
„ quod magis timere debeas. "

Serm. 348. " Diſcat timere, inquit, qui non vult timere, diſcat
„ ad tempus eſſe ſollicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus. "

De catechizandis rudibus cap. 5. n. 9. "Si nondum potes amare juſtitiam, ti-
„ me vel pœnam, ut pervenias ad amandam juſtitiam. " *Ibid.* timorem hunc vocat ſaluberrimum.

Probatur 3. multis ſynodi Tridentini locis : *ſeſſ.* enim *6.* poſtquam *cap. 6.* docuit magnum eſſe in timore ad inchoandam juſtificationem momentum, *can. 7.* ſic habet adverſus Lutherum, " Si quis di-
„ xerit opera omnia quæ ante juſtificationem fiunt, quacunque ratio-
„ ne facta ſint, vera eſſe peccata vel odium Dei mereri, aut quanto
„ quis vehementius nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gra-
„ vius peccare, anathema ſit. " *Can.* autem 8. " Si quis dixerit ge-
„ hennæ metum per quem ad miſericordiam Dei confugimus, vel a
„ peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, ana-
„ thema ſit. "

Seſſione 14. idem fere ſtatuit : poſtquam enim *cap.* 4. pluribus expoſuit quantas habeat in peccatoris ad Deum converſione partes ejuſmodi

modi pœnæ timor, " quo utiliter etiam concuſſi olim Ninivitæ Pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt ; *canone* 5. errorem Lutheri iiſdem quibus conceptus erat verbis configens, ſic ait, " Si quis dixerit eam Contritionem quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum .... ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam ; ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem, ... anathema ſit. "

Probatur 4. conſenſione Theologorum.

Hugo enim Victorinus *quæſt.* 194. *in Epiſt. ad Romanos.* " Poteſt quæri, inquit, an ſit donum Spiritus ſancti. Quod ſi eſt, bonus eſt: ſed videtur malus, cum propter pœnam faciat ſervire. Solutio. Bonus eſt, bonum habens effectum, ſcilicet cohibere a malo opere ; hoc autem, quod mala voluntas remanet, non eſt ex ipſo, ſed hominis vitio.

Petrus Pictavienſis de eo ex profeſſo diſputans *parte* 3. *ſentent. cap.* 18. " Bonum, inquit, multipliciter dicitur ; bonum meritorium, bonum utile, bonum de genere bonorum. Servilis autem timor bonus eſt, id eſt utilis, quia introductorius eſt ad charitatem, ſed non eſt bonus, id eſt meritorius, &c.

Idem ſentit Alenſis 3. *parte Summæ*, *q.66. memb.2.*

Sanctus Thomas 2. 2. *qu.* 19. *art.6.* " Quanquam timoris ſervilitas mala ſit, inquit ; ipſe tamen timor ſervilis ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt bonus.

Adjice Bonaventuram *in* 4. *diſt.*34. *par.*2. *q.* 1. & 2. nec non & Durandum *in* 4. *diſtinct.* 34. *qu.* 4. quos operæ pretium eſt ut conſulas hac de re differentes.

Probatur 5. variarum hujus timoris utilitatum enumeratione.

Prima eſt, Quod opera mala reprimat. Ut enim Auguſtinus ait *lib.* 2. *contra Epiſtolam Petiliani cap.* 83. *num.* 184. " Timor pœnarum, & ſi nondum habet delectationem juſtitiæ, ſaltem intra clauſtra cogitationis coercet malam cupiditatem. " Idem obſervat Julianus Pomerius *lib.* 3. *cap.* 31.

Secunda eſt, Quod ſic prava cupiditas minuatur : ut enim malorum operum frequentatione invaleſcit, ſic eorundem ceſſatione ſenſim langueſcit ac debilitatur, quod animadvertit idem Auguſtinus *ſerm.* 180. *de verbis Apoſtoli cap.* 9. " Frænata, inquit, reſtringitur, reſtricta langueſcit, langueſcens moritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit : " quemadmodum contra, ut ait idem *lib.* 1. *confeſſ. cap.* 6. " Ex voluntate perverſa fit libido, & dum ſervitur libidini, fit conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur fit neceſſitas.

Tertia eſt, Quod exinde fiat conſuetudo juſtitiæ ſeu bonorum operum ; unde idem *in Pſal.* 127. *num.* 7. " Cum autem per timorem, in-

„ quit, continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod „ durum erat amari.

Quarta eſt ex iſta conſequens, Quod præparet locum charitati. 1. enim dum quis peccare & ex peccato delectationem capere deſiit, remittit ſe profecto quo rebus vetitis tenebatur affectus. Deinde vero conſuetudine bonorum operum fit ut ad bene & laudabiliter vivendum facilitas acquiratur, & tandem bonis operibus aſſueto virtus ipſa magis ac magis placeat. “ Fit conſuetudo juſtitiæ, inquit Auguſtinus *ibid.* „ & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus, & jam inci- „ pit homo juſte vivere. “ *Lib. de adulterinis conjugiis cap.* 19. (Timor) inquit, facit ut quod erat neceſſitate cœptum, fiat charitate perfectum. “ *Epiſt.* 140. *ad Honoratum cap.* 18. “ Præmiſſus timor in cor „ noſtrum pellit inde conſuetudinem malorum operum, & ſervat cha- „ ritati locum. “ *Lib.* autem 83. *quæſtionum q.* 36. ait id contingere ut, “ Cum aliqua non peccandi conſuetudo quod oneroſum putabatur „ facile eſſe perſuaſerit, incipiat guſtari dulcedo pietatis & commen- „ dari pulchritudo virtutis, ut charitatis libertas præ ſervitute timoris „ emineat. “ Qua autem id ſerie fiat, pulcherrime deſcribit ſynodus Tridentina *ſeſſ. 6. cap. 6.*

Probatur 6. Timoris ejuſdem neceſſitate: non enim ſolum utilis eſt, ſed etiam neceſſarius iſte timor; ut enim ait Scriptura, *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Unde Auguſtinus *in Pſal.* 149. “ Niſi, „ inquit, timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amo- „ rem. “ *Tract. 9. in Epiſt. Joannis* conferens timorem & charitatem cum acu & filo, “ Timor locum præparat charitati, inquit, cum au- „ tem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparavit lo- „ cum. Quantum illa creſcit, ille decreſcit .... Major charitas, mi- „ nor timor: ſi autem nullus timor, non eſt qua intret charitas. Si- „ cut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur; ſeta „ prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primo oc- „ cupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit ut „ introduceret charitatem. “ Adde *Epiſtolam ad Bonifacium de catechiſandis rudibus cap.* 5. Baſilium *in Pſal.* 32. & Caſſianum *cap.* 4. 39. a timore quoque juſtificationis initium repetit ſynodus Tridentina *ſeſſ. 6. cap. 6.*

Imo vero illud timoris genus non modo prodeſt & neceſſarius eſt incipientibus, ſed etiam proficientibus ac perfectis; virtutem enim teneram adhuc minuſque validam adverſus graviorum tentationum impreſſiones roborat, & ne ſuccumbat ei vires addit. “ Tenebar, inquit „ de ſe Auguſtinus *lib.* 8. *confeſſ. cap.* 11. *num.* 25. & inſtabas tu Do- „ mine in occultis meis ſevera miſericordia, flagella ingeminans timo- „ ris & pudoris ne rurſus ceſſarem & abrumperetur id ipſum exiguum „ ac tenue quod remanſerat, & revaleſceret iterum & me robuſtius al- „ ligaret. “ *In Pſal.* autem 68. *concione* 1. Martyres ipſos ſic loquentes

tes inducit : " Majore timore, inquiunt, minora contemnimus. Quis „ non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehen- „ narum? "

Objicies 1. Julianus Pomerius *lib. 3. cap. 31.* diſputans adverſus Stoicos, qui vitii damnabant quodlibet timoris genus, concedit hoc eſſe verum de ſervili non de filiali. " Non omnis timor, inquit, habe- „ ri debet in vitio, ſed ille tantum de quo ſcriptum eſt, *Quia timor* „ *tormentum habet*. " Ergo.

Distinguo antecedens : illud concedit de timore ſervili, quatenus ſervilis eſt; concedo : per ſe tantum ſpectato; nego. Scilicet hominis vitium in ipſum timorem refunditur, quia ei conjungitur. Qui enim ſic tantum timet, vellet impune poſſe peccare; hic autem affectus malus eſt, ſed non timor ipſe.

Objicies 2. Hugo Victorinus *de ſacramentis fidei lib. 2. parte 13. cap. 5. & alibi*, non ſemel affirmat timorem ſervilem malum eſſe : " „ Quatuor timores, inquit, Scriptura diſcernit, ſervilem, mundanum, „ initialem, & filialem . . . . Ex iis quatuor timoribus duo mali ſunt. „ id eſt ſervilis & mundanus. " Ergo.

Respondeo 1. ut ante, malum eum eſſe penes ſervilitatem ei adjunctam, non in ſe.

Respondeo 2. timorem ſervilem non eodem ſemper modo, quo a nobis, accipi ab Hugone. Uſurpatur enim ibi pro timore, quem mundanum ſupra nominavimus. *In Lucam*, " Servilis timor, inquit, pœ- „ nam quæ ab hominibus infertur metuit : " *in Epiſt.* vero *ad Rom.* ille dicitur habere timorem ſervilem, " Qui timore pœnæ temporalis „ tantum, aliquid criminale non committit. " Timorem autem gehennæ vocat timorem initialem, quem etiam bonum eſſe aſſerit.

Objicies 3. Plus timere pœnam quam culpam, vitioſum abſque dubio eſt : atqui illud eſt proprium timoris ſervilis : ergo.

Distinguo minorem : proprium eſt timoris ſervilis, qua parte ſervilis eſt; concedo : qua parte timor eſt pœnæ præciſe; nego. " Si ſer- „ vilitas, inquit S. Thomas 2. 2. *q.* 19. *art.* 4. eſſet de ratione timo- „ ris ſervilis, oporteret quod timor ſervilis ſimpliciter eſſet malus : . . „ ſed prædicta ſervilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis, ſicut „ nec informitas ad ſpeciem fidei informis : . . . & ideo timor ſervilis „ ſecundum ſuam ſubſtantiam bonus eſt; ſed ſervilitas ejus eſt mala. " Unde ſi timor iſte malus eſſe dicatur, id dicitur ex accidenti : de quo conſule Eſtium *lib. 3. ad diſt.* 34. &c.

An timor gehennæ ſit ſupernaturalis.

Primo inter omnes paſſim Theologos convenit timorem iſtum eſſe ſupernaturalem præſuppoſitive, ut ajunt, quia nempe timorem hujuſmodi fides præcedit, quæ Dei donum eſt; quo fit ut pœnarum timor,

quas ſola fides agnoſcit eſſe formidabiles, divino quoque muneri aſcribatur. Lege præ cæteris Lupum *de Contritione cap.* 15.

Secundo non conſtat etiam apud eos qui cenſent timorem hunc per ſe eſſe ſupernaturalem, an idem ille timor ad gratiam Chriſti proprie pertinere dicendus ſit, an ad legem: propterea quod gratia Chriſti tota in delectatione juſtitiæ poſita eſſe videatur. De quo Eſtius *ad librum* 2. *ſent. diſt.* 26. & 36.

Tertio hac de re nihil adhuc eſt definitum. Synodus quidem Tridentina *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. ſancit juſtificationem non peragi abſque gratia Dei, & juſtificationis initia deducit e timore. *Seſſ.* autem 14. *cap.* 4. " Con-
„ tritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, (&) . . . ex gehen-
„ næ & pœnarum metu communiter concipitur, donum Dei eſſe &
„ Spiritus-ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tan-
„ tum moventis. "

At neutrum ad id ſufficit: nam quod pertinet ad primum, juſtificationis quidem integrum opus tribuit gratiæ Dei, non autem ſingula quæ ad eam conducere poſſunt; primas autem in eo negotio partes dat fidei, ſecundas timori, tertias ſpei, cætera charitati. Quod autem ſpectat ad Attritionem, in ea includit voluntatem non peccandi & ſpem veniæ, quas nemo negat ex gratia proficiſci.

A S S E R T I O.

TIMOR gehennæ eſt ſupernaturalis.

PROBATUR 1. ex Scripturis.

Eccleſiaſtici 25. 15. *Beatus homo cui donatum eſt habere timorem Dei.*

Ad Rom. 8. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore.*

PROBATUR 2. ex Patribus.

Baſilius enim *in Pſal.* 33. timorem judicii ac gehennæ divinum & ſalutarem vocat.

Ambroſius *in Pſal.* 118. *ſerm.* 8. oſtendit eum ex Dei munere derivari.

Auctor *de vocatione gentium* " Gratia quidem Dei, inquit, in omni-
„ bus juſtificationibus principaliter præminet ſuadendo, monendo exem-
„ plis, terrendo periculis: *Principium ſapientiæ timor Domini. Beatus*
„ *cui donatum eſt habere timorem Dei* . . . . in cujus utique devotione
„ devota eſt voluntas, quæ auctore gratiæ eodem proficit timore quo
„ cœpit. "

Gregorius *in* 1. *Regum lib.* 2. *cap.* 1. de timoris hujus origine & utilitate differens, " Tunc, inquit, peccare deſinimus, cum ſuprema gra-
„ tia mollitis cordibus futura tormenta formidamus. "

PROBATUR 3. conſenſu omnium fere Theologorum, quos inter inprimis vide Hugonem Victor. S. Thomam & Eſtium *in* 3. *diſt.* 34.

Hugo

Hugo quidem ita loquitur *q.* 195. *in Epiſt. ad Rom.* : " De quo (ſci-
„ licet timore ſervili) quæri poteſt an ſit donum Spiritus-ſancti. Quod
„ ſi eſt, bonus eſt; ſed videtur malus, cum propter pœnam faciat ſer-
„ vire. Solutio : Iſte timor bonus eſt, bonum habens effectum, ſcili-
„ cet cohibere a malo opere : hoc autem quod mala voluntas remanet;
„ non ex ipſo, ſed ex hominis vitio. "

S. Thomas 2. 2. *q.* 19. *art.* 9. " Timor ſervilis non eſt numerandus
„ inter ſeptem dona Spiritus-ſancti, licet ſit a Spiritu ſancto : quia
„ .... poteſt habere annexam voluntatem peccandi : dona autem Spi-
„ ritus-Sancti non poſſunt eſſe cum voluntate peccandi. "

An ſententia quæ ad Pœnitentiæ ſacramentum ſufficere timorem gehennæ decernit, ad fidem pertineat aut accedat.

Hæc opinio, quæ non niſi cum pudore quodam olim in publicum prodibat, tantam ſibi progreſſu temporis & ſectatorum ſuorum numero confidentiam arrogavit, ut ſe paſſim pene quaſi certum fidei dogma nulli violabile jactaverit propter concilii Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. auctoritatem quam obtendebat : legantur in hanc partem,

Michael de Palatio *in* 4. *diſtinctione* 18. *diſputatione* 2.

Paulus itidem de Palatio *in caput* 16. *Matthæi.*

Gabriel Vaſquez *quæſt.* 83. *art.* 2. *num.* 12.

Pintherellus *in concione ad Abbatem Boiſicenſem & de Attritione* paſſim, potiſſimum vero *pag.* 161.

Abely *in medulla Theologica parte* 2. *de ſacramento Pœnitentiæ ſect.* 9. & aliis ea de re libellis.

Qui omnes in eundem ſcopum collineant : quamvis alii generatim duntaxat pro Attritione, alii ſpeciatim pro Attritione ſervili diſertius pugnare videantur.

In adverſam vero partem conſuli poſſunt.

Farvaquius *de Contritione.*

Havermans *ſect.* 7.

Caſtorienſis *Epiſt. ad Clerum num.* 17. *& lib.* 1. *cap.* 23. *&* 27. *amoris pœnitentis.*

Launojus toto *de mente concilii Trident. circa Contritionem* opuſculo, id ex profeſſo diſputans.

Queraſſius denique *in præfatione, & tota parte* 2. ubi in hoc argumento fuſiſſime verſatur.

Omitto qui nuper de laxiori morum diſciplina ultro citroque ſcripſerunt, quorum alter ſignificat, quod amor non requiratur jam tranſiſſe in rem concilio Tridentino judicatam; alter ne probabile quidem id eſſe plurimis rationibus contendit. Abſit enim ut his certaminibus nos inſeramus, quæ nollemus in Eccleſia eſſe potuiſſe, & quod eſſe potuerint ex animo lugemus.

Quod ſpectat ad Attritionem generatim, non ita pridem executi ſumus: nunc de Attritione ſervili. Et quoniam ex uno concilii Tridentini *Seſſ.* 14. capite 4. nodus nectitur, id porro eſt expendendum.

ASSERTIO.

Attritio ſervilis in Concilio Tridentino nec ſancita nec aſſerta fuit; nec ejus ſufficientiam negare error aut hæreſis eſſe poteſt.

Probatur 1. ipſo contextu *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. cujus verba initio hujus quæſtionis retulimus. Ibi enim Synodus duplicis Contritionis mentionem facit: alterius quæ perfecta ſit & hominem ante ſacramenti ſuſceptionem reconciliet; alterius quæ imperfecta ſit & Attritio dicatur, quam ait communiter concipi ex gehennæ metu; ita tamen ut voluntatem peccandi ſimul excludat & ſpem veniæ includat. Huic quatuor dotes aſcribit: 1. quod ſit bona, nec hominem faciat hypocritam & magis peccatorem: 2. quod ſit Dei donum & impulſus Spiritus-ſancti. 3. quod viam ad juſtitiam paret: 4. quod, quamvis ſine ſacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere nequeat peccatorem; tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento impetrandam diſponat. Atqui hæc nullatenus probant Attritionem ſervilem ſatis eſſe ad Pœnitentiæ ſacramentum: quod duplici ratione conficimus.

Primo enim hæc non probant Attritionem ſervilem ſufficere ad ſacramentum, ſi hæc ipſa non tribuantur Attritioni ſervili. Atqui hæc non tribuuntur Attritioni ſervili. Tribuuntur enim ei tantum Attritioni quæ peccandi voluntatem excludat. Atqui timor ſervilis voluntatem peccandi non excludit, ut deinceps oſtendemus.

Secundo etiamſi hæc attribuerentur Attritioni ſervili, tamen non probarent eam ſufficere. Non 1. aliud enim eſt Attritionem hujuſmodi bonam & utilem eſſe, aliud eſſe conferendæ ſanctitati parem: non 2. neque enim omne Dei donum ſatis eſt ad peccatorum veniam: nam fides v. g. Dei donum eſt; nec tamen illa per ſe idonea fuerit peccatoribus reconciliandis: non 3. viam enim ad juſtitiam parare, & juſtitiam ipſam largiri, multum inter ſe diſcrepant: non 4. idem quippe non eſt *diſponere* ad gratiam Dei impetrandam, quod ad eam *ſufficere:* quaſi vere quod diſponit certum ad finem, id ad eum continuo ſufficiat.

Probatur 2. ex hiſtoria concilii Trid. Ut enim narrat Cardinalis Palavicinus, *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 25. „ Præſto erat decretum a non„ nullis adornatum in hæc verba. „ Illam Contritionem, quam Theo„ logi Attritionem vocant, quod imperfecta ſit & ſolum vel ex tur„ pitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, „ QUI SERVILIS TIMOR DICITUR, concipiatur ſi voluntatem pec„ candi excludat, & dolorem qualemcumque de commiſſis delictis ex„ primat, ſtatuit hæc ſancta Synodus & declarat non ſolum non fa-

„ cere

„ cere hominem hypocritam & magis peccatorem (ut quidam blaſphe-
„ mare non verentur,) verum etiam ſufficere ad ſacramenti hujus con-
„ ſtitutionem, & donum Dei eſſe & Spiritus ſancti impulſum veriſſi-
„ mum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo
„ pœnitens adjutus (cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu vix
„ eſſe queat) viam ſibi ad juſtitiam munit, & per eum ad Dei gra-
„ tiam facilius impetrandam diſponitur. “ Cum autem monuiſſet Joan-
„ nes Æmilianus Tudetanus Præſul, qui ſtabat pro Contritionis perfe-
„ ctæ neceſſitate, falſo dici hujuſmodi dolorem ſine amore vix unquam
„ concipi poſſe : quod autem hæc Attritio ſatis eſſet ſacramento con-
„ ſtituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata vi ſupervenientis
„ abſolutionis, variare Auctorum ſententias ; atque adeo id eſſe tol-
„ lendum; decretum, inquit Palavicinus, ſicuti nunc extat, reforma-
„ tum eſt. “ Quo quidem in capite tria notanda ſunt quæ ad rem no-
ſtram maxime faciunt ; 1. deleta eſſe verba quibus Attritio illa imper-
fecta ſolum ex metu gehennæ oriri dicebatur ; 2. eraſa quoque alia de
timore ſervili ; 3. expunctam pariter *ſufficientiæ* vocem. Ac proinde nec
ſtatui poteſt Attritionem illam, de qua Synodus, eſſe mere ſervilem;
nec definitum eſt eam ſufficere.

Probatur 3. ex ipſa ratione parati & refixi hujus decreti. Idcirco enim Theologi illi qui decretum paraverant, Attritionem dixerant ſufficere, quia ſine amore eſſe non poteſt : idcirco autem refigi juſſum eſt a Synodo *ſufficientiæ* vocabulum, quia monuit Æmilianus Attritionem illam eſſe poſſe abſque ullo in Deum dilectionis motu. Multum igitur abeſt, ut definire voluerit Synodus timorem gehennæ abſque amore Dei ſatis eſſe ad veniam peccatorum ; cum ideo Theologi ſancirent ſufficere, quia amori conjuncta Attritio erat ; &, quia non erat amori conjuncta, ideo ſufficere non declararent.

Probatur 4. ex ſcopo concilii Tridentini in hac ſeſſione: id enim ſibi tantum propoſuerant Patres, ut errorem Lutheri de vitio illius Attritionis percellerent, non vero ut ſcholæ quæſtionem dirimerent. “
„ Revera, inquit Palavicinus *ibid.* quantum ex actis conjicio, Theo-
„ logorum mens erat, ut error Hæreticorum damnaretur tanquam in-
„ honeſtum improbantium pœnæ timorem ; non autem ut ferrent ſen-
„ tentiam de ſcholaſtica quæſtione, an hujuſmodi timor non ſolum
„ abſque Contritione animi perfecta, de quo controverſia vix fuit, ...
„ ſed etiam abſque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat
„ ad peccatorum remiſſionem in ſacramento. “ Nimirum cum duo dixiſſet Lutherus cum *in ſerm. 2. de Pœnit.*, tum *in aſſertione ſuorum articulorum* ; 1. quod Attritio imperfecta vitioſa ſit ; 2. quod non ſufficiat ad ſacramentum ; de 1. tantum erat controverſia Eccleſiam inter & Hæreticos. “ Is eſt ſcopus negotii, inquit Eckius *lib. 1. de Pœnit. cap.*
„ 5. volumus ſolum quod timor valeat ad præparandam Pœnitentiam,
„ quia timore concipitur, & ita timor ſit initium ſapientiæ..... Ne-

 „ mo

„ mo Catholicus vult timorem eſſe Pœnitentiam. “ Inde eſt quod Synodus primum hoc confodiat *can.* 5. decernens hunc timorem eſſe verum & utilem : ſecundum ne attingat quidem. Canon enim quintus ejus, quæ *cap.* 4. expoſita erat, doctrinæ compendium eſt.

Probatur 5. allato ſtatim a Patribus in confirmationem doctrinæ ſuæ Ninivitarum exemplo. Ut enim probent timorem utilem eſſe & ad gratiam diſponere, allegant Ninivitas qui hoc timore utiliter concuſſi Pœnitentiam egerunt & miſericordiam a Deo impetrarunt. An vero Ninivitis ſuffecit timor, cum nullum eſſet Sacramentum? nequaquam profecto. Id itaque tunc non agebatur, ut timor ſufficere ad veniam obtinendam putaretur. Exemplum enim adducitur ad rem, de qua agitur, re ſimili illuſtrandam. Illud acute obſervat idem Palavicinus *ibid.* “ Id vero, inquit, (quod nempe timoris ſufficientiam aſtruere „ nollent Patres) clare liquet ipſa probatione Concilii, quæ hujus ar- „ ticuli doctrinam firmat *cap.* 4. nimirum Ninivitarum Pœnitentiam „ ex timore profectam ipſis profuiſſe, cum certum eſſet eo tempore, „ quo Pœnitentiæ ſacramentum non extabat eam formidoloſam Pœni- „ tentiam minime ſuffeciſſe per ſe ad peccatum delendum, ſed vim tan- „ tum habuiſſe ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur „ charitatis affectus, quem omnes neceſſarium fuiſſe fatentur ante no- „ vam legem ad juſtitiam recipiendam.

Probatur 6. ea quam ſibi Synodus præſcripſerat, in capitibus doctrinæ & canonibus fidei condendis, agendi ratione. (Vide *Palavicinum lib.* 12. *cap.* 10.) Nihil enim in hæc capita aut canones referebatur, quod non ante diligenter excuſſum, & omnium aut plerorumque ſaltem unanimi conſenſu probatum fuiſſet. At de ſufficientia timoris ad veniam diſputatum non fuit: imo vero cum Patres & Theologi per tranſennam nonnihil dicerent de iis quæ neceſſaria ſunt ad Pœnitentiam, omnes quaſi communicatis conſiliis conſpirarunt in amoris neceſſitatem: vixque unus repertus eſt, qui timorem ſatis eſſe vel leviter innueret. “ In Patrum conventu, inquit idem ſcriptor *ibid.* pauci id „ attigerunt: aliquod duntaxat veſtigium comperio opinionis negantis „ neceſſitatem amoris in iis quæ Granatenſis diſputavit.

Probatur 7. Quia qui Synodo affuerant & timoris ſufficientiam certo negabant Præſules & Theologi, eodem tamen quo Synodus modo, de illo timore loquebantur. Rithovius v. c. “ Non eſt, inquit, timor „ vere Pœnitentia, ſed utilis & ad Contritionem vicinum gradum ſter- „ nit .... Licet nondum ſit vera Pœnitentiæ virtus, parat tamen ad „ illam. “ Vide Queraſſium 2. *parte*, qui alios inſuper commemorat.

Probatur 8. Quia plurimi media in Synodo neceſſitatem amoris nullo obſtante docuerunt, imo & nonnulli ſteterunt a Contritionis perfectæ partibus abſque ulla reprehenſione. Vix autem contra inventi ſunt, ut narrat Palavicinus, qui Attritionis ſervilis meminerint. Itaque nihil definierat Synodus: alioquin id paſſa non eſſet.

Pro-

Probatur 9. Quia, ut ait idem Palavicinus *ſupra*, " Patrum conſilium fuit in re cenſitis definitionibus ſe prorſus abſtinere a ſuper-
„ vacaneis articulis, ab illis nimirum qui catholicas inter ſcholas in
„ dubitatione verſantur. Nec enim, inquit *ibid.* Synodus collecta fue-
„ rat ad decidendas opiniones, ſed ad errores recidendos. " Quod & alibi frequenter inculcat. Atqui Attritio ſervilis ad ſummum tunc temporis erat in opinione apud Theologos. Multi enim contendunt ne quidem natam eam tunc fuiſſe? Ergo.

Probatur 10. Quia plures Theologi, poſt ſuum e Synodo in patriam reditum, neceſſitatem amoris ad Pœnitentiæ ſacramentum non minus quam ante conſtanter aſſeruerunt, velut apud omnes receptiſſimam.

Probatur 11. Quia qui poſt Concilium Attritionem ſervilem ex profeſſo introduxerunt in Eccleſiam, id non fecerunt niſi timide, quod nova nec omnino tuta, ac ſingularis opinio eſſet. An vero ita egiſſent, ſi Concilii decreto fuiſſet roborata?

Probatur 12. Quia primi hujus opinionis antiſtites aliique deinceps ejus patroni confeſſi ſunt nullam eſſe in Eccleſia legem non ſolum de timoris, ſed etiam de Attritionis ſufficientia. Dominicus Soto *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 2. *art.* 9." Non eſt, inquit, expreſſa Evangelica aſſer-
„ tio, aut Eccleſiaſtica definitio, neque apud Auguſtinum aliumve hu-
„ jus claſſis auctorem reperitur, ſed eſt ſolum ſcholaſticorum collectio.
Idem ajunt Melchior Canus *in relectione de Pœnitentia*. Comitolus *lib.* 1. *q.* 32. Gamachæus *de Pœnitentia cap.* 8. Hoc ipſum notat Morinus *lib.* 8. *de Pœnitentia cap.* 4. *n.* 9.

Probatur 13. Alexandri VII. decreto die 5. Maii anno 1697. quo
„ prohibet omnibus Summus ille Pontifex, " Ne audeant alicujus
„ Theologicæ cenſuræ alteriuſve injuriæ aut contumeliæ nota taxare
„ alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectio-
„ nis Dei in .... Attritione, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſi-
„ tatem, donec a ſancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. "
Ergo nihil eſt hactenus hac de re ſancitum.

Probatur 14. Quia non ſolum ſynodus Tridentina nihil ea de re definiit, ſed nec quidquam definire potuit. Nihil enim Concilia decidunt, quod in Scripturis aut Patrum traditione non extet. At quod Attritio ſervilis ſufficiat nec in Scripturis nec in Patribus legitur, ut ingenue fatentur ii ipſi qui illam propugnant. Ergo.

Objicies. Abſque errore negari non poteſt Attritionis ſervilis ſufficientia, ſi ſynodus Tridentina *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. 1. de Attritione ſervili agit, 2. ſi vult eam proxime diſponere ad gratiam in Sacramento obtinendam: idem enim eſt *proxime diſponere*, quod *ſufficere*. Atqui hæc duo certiſſima ſunt:

Ac 1. quidem quod Synodus agat ibi de Attritione ſervili.

1. enim Synodus agit de eo Attritionis genere quod in quæſtione a

Luthe-

Luthero fuerat poſitum. At Lutherus tum *ſerm. 2. de Pœnitentia*, tum *in aſſertione articuli 6.* profeſſus eſt ſe loqui de ea Attritione " quæ ſolùm ex timore gehennæ concipitur. " 2. Id ipſa Concilii verba indicant. Attritio enim illa dicitur communiter concipi ex metu pœnæ: 3. denique Synodus agit de ea Attritione quæ extra Sacramentum ad juſtificationem non poteſt peccatorem perducere. At omnis ex amore Dei oriunda Attritio id præſtare poteſt etiam extra Sacramentum. Ergo non de hac loquitur Synodus, ſed de altera mere ſervili.

Secundum vero non minus conſtat, ibi ſcilicet verba fieri de proxima ac ſufficienti diſpoſitione ad ſacramentum Pœnitentiæ.

1. Enim Lutherus de iis, qui Attritionem duntaxat ſervilem ad illud afferebant, dixerat: "Tales indigne abſolvuntur & communicantur." Ergo debuit contra Synodus aſſerere ejuſmodi Attritionem eſſe idoneam diſpoſitionem ad hoc Sacramentum.

2. Patres Tridentini componunt & ſecum invicem contendunt Contritionis perfectæ vim extra Sacramentum cum Attritionis efficacia in Sacramento. Atqui Contritio perfecta certiſſima via eſt ad reconciliationem cum Deo extra Sacramentum. Ergo & Attritio cum Sacramento.

3. Concilium vim aliquam tribuit Attritioni in Sacramento, qua omnino careat extra Sacramentum. Atqui extra Sacramentum remota abſque dubio præparatio eſt. Ergo in Sacramento eſt præparatio proxima, & ſufficiens.

Respondeo 1. fruſtra ratiunculas afferri ubi de facto agitur quod evidens eſt. Ex eo enim ſequeretur Synodum aliud locutam fuiſſe, aliud loqui voluiſſe: quod ipſa indignum eſt.

Respondeo 2. Patres Tridentinos ſic inter varias Theologorum opiniones libraſſe verba ſingula, ut nulla aſſerta, nulla damnata videri poſſet, & unaquæque tamen haberet quo ſe ipſa tueretur.

Hujus rei periculum hic facere licet.

Nam qui Attritionem ſervilem defendunt, ii momenta uſurpant quæ jam memoravimus.

Jam vero iis qui ejuſmodi ſufficientiam negant, non deeſt pariter quod opinioni ſuæ prætexere poſſint; cum enim tota difficultas poſita ſit in Attritionis, & diſpoſitionis nominibus, dicere poſſunt illic quidem agi de diſpoſitione proxima, ſed non de Attritione ſervili; aut agi quidem de Attritione ſervili, ſed non de diſpoſitione proxima.

Primam viam ſequuntur Lupus, Farvaquius *in prioribus ſuis opuſc.* &c. Alteram Farvaquius idem *in poſterioribus libellis*, Queraſſius, &c.

Utriuſque momenta proponit Jueninus.

Qui primam ineunt viam, ſentiunt quidem illic agi de diſpoſitione proxima, propter rationes ab adverſariis allatas: ſed nolunt ibi ſermonem eſſe de Attritione ſervili, pluribus de cauſis.

Pri-

Primo enim, inquiunt, Lutherus peccatum eſſe aſſerebat quidquid ab homine fieret ante juſtificationem: ac proinde non ſolum Attritionem ſervilem, ſed & aliam quamlibet.

Secundo, quia Concilium juſſit eas ex decreto voces expungi, quæ Attritionem ſervilem indicarent.

Tertio, quia ad Lutheri pronuntiatum de Attritione addidit Synodus hanc conditionem, " Si voluntatem peccandi excludat, cum ſpe ,, veniæ. " At, inquiunt, voluntas peccandi ſolo amore Dei excluditur, & ſpes veniæ eſt quiddam aliud a timore. Ergo de ſolo timore non loquebatur Synodus; ſed de Attritione, quæ amorem & ſpem complecteretur, nec tamen extra Sacramentum ad juſtificationem poſſet vulgo peccatorem perducere, quod facit Contritio perfecta. Ubi enim ſola Attritio eſt, etiam ex amore Dei inchoato profecta, ibi vulgo expectandum eſt Sacramentum, quod veniam peccatorum ac gratiam largiatur.

Quarto, illa imperfecta Contritio verum ac genuinum eſſe debet Contritionis genus, ac proinde dolor, & deteſtatio de peccato: ut quiſquis timet tantum gehennam; non peccatum ipſum, ſed pœnam duntaxat deteſtatur.

Quinto, quia illa peccati deteſtatio *ſeſſ. 6. cap. 6.* dicitur a Synodo oriri ex delectatione juſtitiæ. " Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & ,, deteſtationem. "

Hæc ſane probabilia ſunt & facile poſſunt propugnari,

At qui ſecundam inſiſtunt viam, arbitranturque illic agi de Attritione quidem ſervili, ſed non de diſpoſitione proxima ad Sacramentum; his innituntur momentis.

Et quidem quod de Attritione ſervili verba fiant arbitrantur, propter illa quæ ſupra adducta ſunt.

Quod autem de diſpoſitione tantum remota Synodus accipienda ſit, multa ſuadere videntur.

Primum. Quod is eſſet controverſiæ cardo Eccleſiam inter, & Hæreticos, an Attritio ſervilis foret vitioſa, non autem an in Sacramento ſufficeret.

Secundum. Quod cum Lutherus duo protuliſſet; alterum timorem gehennæ eſſe malum; alterum eundem timorem ad Sacramentum ſatis non eſſe: primum duntaxat Synodus damnandum ſuſceperit.

Tertium. Quod *can.* 5. qui capitis 4. ſumma eſt, ſola hujus timoris utilitas, & bonitas aſſeratur, ne verbum autem quidem fiat de ejus ſufficientia.

Quartum. Quod Ninivitarum exemplum alioqui non quadret.

Quintum. Quod Palavicinus, qui omnia Concilii acta expendit, illud ita interpretetur, hancque fuiſſe Patrum mentem multis argumentis probet.

Sex-

Sextum. Quod Rithovius aliique Theologi, qui Synodo interfuerant, & quos refert Queraſſius *cap.* 20. illam quoque ſic intellexerint. Scribunt enim ideo Attritionem parare iter ad gratiam, quia viam ſternit ad Contritionem Sacramento neceſſariam.

Septimum. Quod Lutherani eundem in ſenſum decretum illud acceperint, cum editum eſt. " Vide, inquit Kemnitius *parte ſecun-* „ *da examinis*, artificium Tridentinum; ſcholaſticam illam opinio- „ nem de Attritione, palam pelagianizantem defendere non audent: „ . . . . . tamen dicunt . . . . . viam, & gradum eſſe ad conver- „ ſionem. "

Octavum. Quod juſſu Concilii deletum ſit *ſufficientiæ* vocabulum & relicta ſit ſola vox *diſpoſitionis*. At vero ſi voluiſſent Præſules Attritionem ſufficere; quidni poſtquam aſſeruere " Attritionem non poſſe „ ad juſtificationem extra Sacramentum peccatorem perducere, " quidni, inquam, orationis ſuæ filo ducti non ſtatim addiderunt, " in Sa- „ cramento autem ad juſtificationem perducit; " quod conſequens erat, „ & ex præcedenti commate per ſe fluebat? Sed contra: " Eum „ tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam diſponit. " Cur nativam & menti ſuæ conſonam loquendi rationem non ſequuntur, ſi id in animo habebant? Cur aliam uſurpant? niſi quod aliud reipſa ſignificare voluerunt.

Quibus poſitis reſpondeo ad ſingula.

Ad primum, quod cum Lutherus duo affirmaſſet, unum duntaxat ex eis Eccleſia proſcripſerit, quod ſcilicet illa Attritio vitioſa ſit nec præparet ad gratiam.

Ad ſecundum, quod Patres Tridentini in eo tantum comparent Contritionem perfectam cum Attritione, quod Contritio perfecta reconciliet hominem extra Sacramentum, Attritio vero id præſtare non poſſit, ſed diſponat tantum ad gratiam in Sacramento poſtmodum obtinendam.

Ad tertium, quod nullatenus dicatur aut ſignificetur a Synodo Attritionem id efficere in Sacramento, quod non poteſt efficere extra Sacramentum. Spectatur enim Attritio ut in ſe eſt, non vero quatenus eſt in Sacramento, aut extra Sacramentum. De ea vero, ut in ſe eſt ſpectata, affirmatur, quod licet per ſe ad juſtificationem nequeat peccatorem perducere, eum tamen ad gratiam in Sacramento aliquando impetrandam diſponat. Certe non ait Synodus " in „ Sacramento autem ad gratiam Dei impetrandam diſponit: " quod aliquem argumento colorem illiniret: ſed " tamen eum ad Dei gra- „ tiam in Sacramento obtinendam diſponit: " quæ duo longe diſcrepant. Id ergo ſibi tantum Synodus voluit quod nempe, licet Attritio per ſe non poſſit reconciliare hominem extra Sacramentum, ut Contritio (cui hac in parte, hiſque verbis opponitur,) non ſit tamen inutilis aut mala, ut Lutherus pronuntiabat,

ſed

ſed peccatorem diſponat ad gratiam Dei in Sacramento poſtea obtinendam.

INSTABIS. Cur ergo mentio fit Sacramenti? poterat enim ſic dici, "Eum „ tamen ad Dei gratiam diſponit.

RESPONDEO potuiſſe quidem omitti mentionem Sacramenti; factam tamen quia gratia Sacramento vulgo datur. Ac proinde unum, & idem ſonant; *ad gratiam Dei diſponere*, & *diſponere ad gratiam Dei in Sacramento impetrandam*: quia extra caſum rariſſimum perfectæ Contritionis, aut neceſſitatis, gratia non niſi in Sacramento obtinetur.

Quæ autem hactenus de timore ſervili aut alias de Attritione generatim diximus: nihil videlicet eſſe ſuper iis in Ecclesia ſancitum, luculenter, & aperte confirmata reperies in cauſa Epiſcopi Pontiſpoleos.

Cum enim ille in Eccleſiaſticis Collationibus aſſeruiſſet amoris Dei neceſſitatem ad Pœnitentiæ ſacramentum, nonnulli jamdudum ipſi infenſi, adverſus hanc doctrinam inſurrexerunt, affirmaruntque ita in Conc. Trid. fuiſſe expreſſe definitum, quod ſufficiat Attritio illa, quæ non vivificat animam & omni amore Dei vacua eſſe poteſt, ut anathemate perculſi ſint qui aliter ſentiant.

Hanc eorum propoſitionem primo confutavit idem Præſul iiſdem fere quibus nos momentis, cum *in quæſtionibus cap.* 18. & 19. tum *in expoſitione doctrinæ ſuæ cap.* 12. & 41. Deinde vero eandem obtulit plurimis ex hac ſacra Facultate Theologis expendendam. Illam autem quinquaginta fere Doctores tanquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, ſynodo Tridentinæ injurioſam, & in praxi periculoſam condemnarunt. Quo factum ut idem Epiſcopus hanc ipſam cenſura debita confoderet.

Cum vero nihilominus eandem hanc ſententiam inſectari non deſiſterent iidem, iterum illa plurium quam ante Theologorum ſuffragiis roborata eſt, ejuſque adverſariis nota inuſta *ad propoſ.* 12. 13. & 14. Adeo ut extra omne dubium ſit aſſertio noſtra, quæ ait ad fidem id non pertinere. Aliquid ſuper hac re de Palavicino ſingulare narrat idem Præſul locis ſupra citatis.

An hæc ſententia quæ ad Pœnitentiæ ſacramentum timorem ſervilem ſatis eſſe decernit, vera ac tenenda ſit.

ASSERTIO.

Nec vera eſt nec tenenda.

Hæc aſſertio poteſt duorum generum momentis firmari; quorum alia timoris hujus ſufficientiam evertant; alia aſtruant amoris Dei neceſſitatem: utraque vulgo ſimul miſcentur ad vim majorem; nos autem

tem perſpicuitatis cauſa priora tantum hic perſequemur, alia vero deinceps exponemus, quæ tamen ob argumenti affinitatem a ſtudioſo lectore his erunt attexenda.

ARGUMENTA.

Argumentum primum ex converſione cordis.

PROBATUR itaque 1. Veniam non promiſit Deus niſi ad ſe converſis. Atqui ſervilis timor animum hominis ad Deum convertere non poteſt. Ergo.

MAJOR conſtat ex pluribus Scripturæ locis jampridem adductis *Pſ.* 79. 4. *Ezech.* 18. *v.* 30. *&* 31. *Joelis* 2. 12. *Zach.* 1. 3. *Eccli.* 5. 8. quibus hæc adde ejuſdem Eccli. 17. 20. *Pœnitentibus dedit viam juſtitiæ . . . . Convertere ad Dominum & relinque peccata tua. Precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Revertere ad Dominum, & avertere ab injuſtitia tua . . . . Quam magna miſericordia Domini & propitiatio illius convertentibus ad ſe.*

Pſ. 7. 13. *Niſi converſi fueritis gladium ſuum vibrabit.*

Et vero cum peccatum in averſione a Deo conſiſtat, non poteſt illud tolli, quandiu eadem averſio viget, nec ulla converſio animi facta eſt. Hinc Auguſtinus *in Pſ.* 32. " Converſis ad ſe donat peccata, „ non converſis non donat. "

MINOR autem, quod nimirum ſolo timore gehennæ non fiat converſio cordis ad Deum, multis oſtenditur.

Nempe hic timor pœnæ ad legem veterem ac ſervos proprie pertinet. Rom. 8. 15. *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore :* unde & S. Auguſtinus *lib. contra Adimantum cap.* 17. *num.* 2. " Breviſſima & „ apertiſſima differentia duorum teſtamentorum, timor & amor : illud „ ad hominem veterem, hoc ad novum pertinet. " Jam vero lex vetus, ut diſputat S. Paulus cum *in Epiſt. ad Rom. & Gal.* tum *in Epiſt. ad Heb.* peccatum ſanare non potuit, nec quidquam ad perfectum adducere. Sic ad Rom. 6. 14. *Peccatum*, inquit, *vobis non dominabitur ; non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Scilicet quandiu quis timet tantum pœnam, ſervus eſt. Porro ſolus filius jus habet ad divinam hæreditatem : *Si filii & hæredes*, inquit Apoſtolus ad Rom. 8. 17. Quod ut ſignificaret Deus, imperaverat olim ejiceretur ancilla & filius ejus, *Quia*, inquit idem ad Gal. 4. *non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ ; quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta.*

Quocirca S. Thomas 1. 2. *q.* 107. *art.* 1. *ad* 2. " Omnes differentiæ, „ inquit, quæ aſſignantur inter novam legem & veterem, accipiuntur „ ſecundum perfectum & imperfectum . . . ad operanda autem virtutum „ opera aliter inclinantur imperfecti, . . . aliter perfecti : illi . . . . inclinantur ad agendum virtutis opera ex aliqua cauſa extrinſeca, puta ex

„ com-

„ comminatione pœnarum, & ideo lex vetus dicebatur *lex timoris* : . . . .
„ illi autem qui habent virtutem, inclinantur ad opera virtutis agenda
„ propter amorem juſtitiæ, . . . & ideo lex nova dicitur *lex amoris* . . . .
„ & propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum;
„ quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus
„ voluntas a peccato recedit, ſicut recedit voluntas ejus qui amore juſti-
„ tiæ abſtinet a peccato. Propter hoc lex nova, quæ eſt lex amoris, di-
„ citur animum cohibere. "

Idem ante dixerat Auguſtinus *de natura & gratia cap.* 57. *num.* 67.
" Sub lege eſt, inquit, qui timore ſupplicii quod lex minatur, non
„ amore juſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber,
„ nec alienus a voluntate peccandi.

Itaque Fulgentius merito *lib.* 2. *de remiſſione peccat. cap.* 15. explicans diſcrimen confeſſionis a Saule & Davide factæ, ait confeſſionem Saulis fuiſſe reprobatam, quia ex timore profecta animum ejus non potuit convertere. " Illa confeſſio, inquit, ex timore fuit ſupplicii, non
„ ex horrore peccati : non odit quod fecerat, ſed timuit quod nole-
„ bat; nec culpam ſuam converſione culpavit, ſed ad præſens divini fu-
„ roris percuſſus terrore contremuit.

Bernardus in eundem ſenſum *Epiſt.* 11. *de diligendo Deo cap.* 8. *num.* 3. " Eſt, inquit, qui confitetur Domino, quoniam potens eſt; & eſt
„ qui confitetur Domino, quoniam ſibi bonus eſt; & item qui confite-
„ tur, quoniam ſimpliciter bonus eſt. Primus ſervus eſt, & timet ſibi:
„ ſecundus mercenarius eſt, & cupit ſibi: tertius filius eſt, & defert pa-
„ tri . . . . Sit ſervo ſua lex, timor ipſe quo conſtringitur : ſit mercena-
„ rio ſua cupiditas, qua & ipſe arctatur : . . . ſed harum nulla aut ſine
„ macula eſt, aut animas convertere poteſt; charitas vero convertit ani-
„ mas.

Et ſane timor gehennæ totus in amore ſui ac propriæ incolumitatis fundatur. Ut enim ait Auguſtinus *ſerm.* 348. *num.* 4. " Timor propte-
„ rea pungit animam, ne amittatur aliquid quod in creatura diligitur,
„ vel ipſa ſalus & requies corporalis, aut tale aliquid poſt mortem.
„ Propterea etiam timentur & apud inferos pœnæ & dolores ac tor-
„ menta gehennarum.

In Pſ. 79. " In eo quod amas, vis ut bene tibi ſit, & in eo quod ti-
„ mes non vis ut male tibi ſit. " Quod idem teſtatur S. Bernardus *ſerm.* 3. *de diverſis num.* 9. " Et qui timet, inquit, ire ad portas inferi, &
„ qui Deum cupit videre propter quietem ſui, uterque profecto quærit
„ quæ ſua ſunt. " S. autem Thomas 2. 2. *q.* 19. *art.* 6. *in corp.* " Ti-
„ mor ſervilis, inquit, ex amore ſui cauſatur, quia eſt timor pœnæ,
„ quæ eſt detrimentum proprii boni. " Conſentit Gabriel *in* 4. *p.* 253. & Latomus *p.* 26. nec abnuit Dentius *de Contritione num.* 124. quod ipſum ratio manifeſta docet. Pœna enim non formidatur, niſi amore propriæ commoditatis : atque adeo qui ſolum timet pœnam, in ſe ad-

huc

huc ſiſtit, & in creatura hæret; ſurſum non erigitur, nec in Deum tendit. Ergo animum ad Deum convertere non poteſt.

Argumentum ſecundum ex odio & deteſtatione peccati.

Probatur 2. Ad veniam peccatorum etiam in Sacramento obtinendam requiritur odium peccati ejuſque deteſtatio, ac voluntas non peccandi, *Eccli.* 17. *ſupra*, ſynod. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. & *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Atqui hæc non reperiuntur ubi ſolus eſt gehennæ timor.

Auguſtinus *lib.* 2. *contra adverſ. legis & Proph. cap.* 7. *nu.* 21. " Deſiderium peccandi .... inquit, non extinguitur niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur, non ... per jubentem litteram timore pœnæ, ſed per juvantem ſpiritum dilectione juſtitiæ.

Lib. 1. *Confeſſ. cap.* 12. " Nemo invitus bene facit, etiamſi bonum eſt quod facit. " *Epiſt. ad Anaſtaſium* 145. *num.* 4. " Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia ſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere, quod non licet fieri; ſed ideo non facit, quia impune non poteſt fieri. Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique ſi mallet non eſſe juſtitiam, quis dubitaverit, quod eam ſi poſſet auferret? Ac per hoc quomodo juſtus eſt, juſtitiæ talis inimicus? .... Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, ſi ejus amore non peccet: tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit. Ipſe eſt timor Domini caſtus permanens in ſæculum ſæculi: nam ille timor pœnæ tormentum habet & non eſt in charitate ..... Tantum porro quiſque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit.

In Pſ. 77. *num.* 11. " Poterat putari lex operum quaſi ſufficere ad juſtificationem, cum ea quæ præcipiuntur, forinſecus fiunt ab eis hominibus qui mallent non præcipi quæ non ex corde faciunt & tamen faciunt; ac per hoc quaſi videntur ambulare in lege Dei, ſed nolunt ambulare; non enim ex corde faciunt: ex corde autem nullo modo fieri poteſt, quod formidine fit pœnæ, non dilectione juſtitiæ. Nam quantum attinet ad facta quæ forinſecus aguntur; & qui timent pœnam, & qui amant juſtitiam non furantur; & ideo pares ſunt manu, diſpares corde; pares opere, diſpares voluntate.

In Pſal. 118. *ſerm.* 11. *num.* 1. " Qui timore pœnæ, non amore juſtitiæ opus legis facit, profecto invitus facit.. Quod autem invitus

„ facit,

„ facit, ſi poſſet fieri, mallet utique non juberi : ac per hoc legis, quam „ vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus; nec mundatur „ opere qui immundus eſt cogitatione & voluntate. “

In eundem Pſalm. ſerm. 21. *num.* 7. de divini judicii timore diſſerens, “ Timor, inquit, . . . quo non amatur juſtitia ſed timetur pœna, ſervilis eſt quia carnalis eſt, & ideo non crucifigit carnem : vivit enim „ peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas. Cum enim pœna creditur ſecutura, latenter vivit, vivit tamen : mallet enim licere, & dolet non licere quod lex vetat, quia „ non ſpiritaliter delectatur in bono, ſed carnaliter malum metuit quod „ minatur. “

Serm. 159. *de verbis Apoſtoli cap.* 6. *num.* 8. “ Lege Dei propoſita, „ inquit, quiſquis . . . . fecerit quod lex jubet, non amando juſtitiam, „ ſed timendo pœnam fuit quidem, ſecundum juſtitiam quæ ex lege eſt, „ homo ſine querela : non furatur, non adulterat; . . . non concupiſcit „ rem proximi ſui. Unde? timore pœnæ. Quamquam qui timore pœnæ „ non concupiſcit, puto quia concupiſcit. Terrore ingenti armorum at„ que telorum, & circundantis forſitan multitudinis, vel obviam euntis, „ etiam leo revocatur a præda : & tamen leo venit, leo redit; prædam „ non rapuit, malitiam non poſuit. Si talis es, adhuc juſtitia eſt, qua „ juſtitia tibi conſulis, ne torquearis. Quid magnum eſt pœnam timere? „ quis eam non timet? quis latro? . . . Sed hoc intereſt inter timorem „ tuum timoremque latronis, quod latro timet leges hominum, tu au„ tem leges ejus times, ejus pœnam times quem fallere non potes. Nam „ ſi fallere poſſes, quid non feciſſes? Ergo & concupiſcentiam tuam non „ amor tollit, ſed timor premit. “

Serm. 161. *cap.* 8. *num.* 8. “ Time gehennas; nihil melius times, ni„ hil eſt quod magis timere debeas. Sed interrogo te; ſi non te vi„ deret Deus quando facis, ... faceres? tu te vide . . . , ſi faceres ; „ ergo pœnam times, . . . charitatem nondum habes, ſerviliter times, „ formido eſt mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen ut iſta for„ mido cuſtodiat te & perducat ad dilectionem. Timor enim iſte quo „ gehennam times, & ideo mala non facis, continet te . . . Timor . . „ id agebat ne faceres : charitas id agit ne velis facere, etiamſi impu„ ne poſſis admittere,

Serm. 178. *cap.* 9. *num.* 10. “ Quid eſt magnum, inquit, timere ma„ lum? . . . Deus cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile „ ovium; quærit invadere . . . . Vigilant paſtores, latrant canes : nihil „ poteſt, nihil aufert : ſed tamen lupus venit, lupus redit; lupus ve„ nit fremens, lupus redit tremens ; lupus eſt tamen & fremens & tre„ mens. Interroga ergo te, quiſquis vis judicare, & vide ; ſi tunc non „ facis malum quando potes facere & ab homine non puniri; tunc ti„ mes Deum. Nemo eſt ibi niſi tu & ille cui facis malum, & Deus „ qui ambos videt; vide, ibi time. Parum eſt quod dico, Vide, ibi

„ time malum, ibi ama bonum; nam etiamſi timore gehennæ non fa-
„ cis malum, audeo dicere, ſi timore gehennæ non facis malum, eſt
„ quidem in te fides, quia credis futurum Dei eſſe judicium: gaudeo
„ fidei tuæ, ſed adhuc timeo malitiæ tuæ.

Lib. de fide & Symbolo cap. 9. num. 191. " Non reconciliamur illi niſi
„ per dilectionem, qua etiam filii appellamur, non jam ſub timore
„ quaſi ſervi.

Lib. de fide & operibus cap. 24. num. 39. " Lex non timore pœnæ
„ ſed amore juſtitiæ completur. "

De Spiritu & littera cap. 24. num. 26. " Mandatum ſi fit timore pœ-
„ næ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter, & ideo non fit.

De natura & gratia cap. 57. num. 67. " Qui timore ſupplicii .... in-
„ quit, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus
a voluntate peccandi .... In ipſa enim voluntate reus eſt, qui mallet
„ ſi fieri poſſet, non eſſe quod timeat, ut libere faciat quod occulte
„ deſiderat. "

Contra duas epiſtolas Pelagianorum lib. 2 *c. 9. n.* 21. " Quando, in-
„ quit, timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum bene
„ fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando
„ mallet homo non facere, ſi poſſet impune.

Lib. 3. cap. 4. " Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invi-
„ tus facit, ac per hoc in animo non facit; mavult enim omnino non
„ facere, ſi ſecundum ea quæ cupit ac metuit, permittatur impune;
„ ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt reus, ubi ipſe qui percipit,
„ inſpicit Deus.

De ſpiritu & littera, c. 8. n. 13. in illud Apoſtoli, *lex iram opera-
tur*, " Quicunque faciebant, inquit, quod lex jubebat non adjuvante
„ ſpiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ: ac per
„ hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus ap-
„ parebat in opere; potiuſque ex illo rei tenebantur, quod eos nove-
„ rat Deus malle, ſi fieri poſſet impune, committere. *Ibid. n.* 14. "
„ Poteſt fieri coram hominibus, non autem coram illo, qui cordis ip-
„ ſius & intimæ voluntatis inſpector eſt, ubi videt, etiamſi aliud fa-
„ ciat qui legem timet, quid tamen vellet facere, ſi liceret. " Idem
repetit *ibid. c. 19. n.* 34. & *c. 32. n.* 56. alia, quæ innumera ſunt, loca ſi-
milia brevitatis cauſa prætermittimus.

Chryſoſtomus *hom. 4. in epiſt. 2. ad Cor* " Cum peccaveris, inquit,
„ ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis (nihil enim hoc eſt) ſed
„ quod Deum tam benignum, tamque te amantem .... offenderis. *Ho-
mil.* autem 5. *in epiſt. ad Rom.* homines eo ipſo dignos gehenna eſſe
ſcribit, quod peccatum non oderint pluſquam pœnam. " Nam, inquit,
„ Dei offenſio nullo non ſupplicio gravior eſt..... Propterea, ſi non ex
„ quoquam alio, ex hoc certe gehenna digni eſſemus, gehennam pluſ-
„ quam Chriſtum ipſum timentes.

Proſ-

Proſper *in ſententiis c.* 243. verba Auguſtini exſcribens, " Quantum „ inquit, ad opera attinet quæ forinſecus aguntur, & qui timet pœ„ nam, & qui amat juſtitiam, non facit contra mandatum: & ideo „ pares quidem ſunt manu, ſed diſpares corde; ſimiles actione, diſſi„ miles voluntate. "

Gregorius magnus *lib.* 1. *moral. in Job. c.* 11. " Electorum Ecclesia, „ inquit, ſimplicitatis ſuæ & rectitudinis vias timore inchoat, ſed cha„ ritate conſummat. Cui tunc eſt funditus a malo recedere, cum amo„ re Dei cœperit jam nolle peccare. Cum vero timore adhuc bene agit „ a malo penitus non receſſit.

Libro autem *paſtoralis* 3. *admonit.* 14. Admonendi ſunt, inquit, ut, „ ſi malis veraciter carere deſiderant, æterna ſupplicia perhorreſcant, „ neque in hoc ſuppliciorum timore remaneant; ..... ſcriptum quippe „ eſt ..... *Ubi ſpiritus Domini ibi libertas*. Si ergo adhuc a prava actio„ ne formidata pœna prohibet, profecto formidantis animum nulla ſpi„ ritus libertas tenet: nam ſi pœnam non metueret, culpam procul du„ bio perpetraret .... Bona pro ſemetipſis amanda ſunt, & non pœnis „ compellentibus exequenda: nam qui propterea bona facit, quod tor„ mentorum mala metuit, vult non eſſe quod metuat, ut audacter il„ licita committat. Unde luce clarius conſtat quod coram Deo innocen„ tia amittitur, ante cujus oculos deſiderio peccatur. "

Bernardus *epiſt.* 11. *num.* 3. " Nec timor, inquit, nec amor pri„ vatus convertit animam: mutant interdum vultum vel actum, affe„ ctum nunquam.

S. Thomas 1. 2. *q.* 6. *art.* 7. *ad* 2. rationem afferens cur metus contrariam non expellat voluntatem, expellat vero concupiſcentia " Qui „ per metum, inquit, aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad „ id quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur; ſed in eo qui „ aliquid agit per concupiſcentiam, ſicut eſt incontinens, non manet „ prior voluntas, qua repudiabatur illud quod concupiſcitur, ſed mu„ tatur ad volendum id quod prius repudiabat: & ideo quod per me„ tum agitur, quodammodo eſt involuntarium; ſed quod per concupiſ„ centiam, nullo modo. Nam incontinens concupiſcentia agit contra „ id quod prius proponebat, non autem contra hoc quod nunc vult; „ ſed timidus agit contra id quod etiam nunc ſecundum ſe vult. "

Summi denique Pontifices in regulis juris. " Qui ex timore facit „ præceptum, inquiunt, aliter quam debeat facit, & ideo jam non facit.

Nec eſt quod dicas Patres in locis modo adductis aut loqui de metu malorum temporalium legumve humanarum, aut de eo gehennæ timore qui *ſerviliter ſervilis* appellatur, quod adjunctam habeat voluntatem peccandi, niſi pœna obſtaret.

Primo enim manifeſtum eſt illos frequenter & ubique fere diſertam facere mentionem gehennæ ac divini judicii, ut conſtabit eorum dicta bona fide relegenti.

Secundo quando ajunt timorem non eſſe parem homini corrigendo, non id colligunt præciſe ex objecto, ſeu re quæ timeatur; ſed id repetunt ex ipſa timoris natura, quæ ejuſmodi eſt, ut voluntatem non tollat. Si autem ea vis eſt generatim timoris; nulla eſt timoris ſpecies quæ id efficiat.

Tertio non tantum definiunt timore animum non mutari, ſed addunt id ſolo fieri amore juſtitiæ: quod ſi ita eſt, nullus eſt profecto timor, cui hæc facultas ineſſe putanda ſit.

Quarto timor pœnæ, quando ſolus in animo regnat, & juxta SS. Patrum mentem, & reipſa, eſt ſemper timor ſerviliter ſervilis. Timor enim ille ſerviliter ſervilis nominatur quo quis ita comparatus animo eſt ut, ſi poſſet impune, revera peccaret; ſervorum ad inſtar, qui ad oculum ſerviunt: at ſic affectus eſt, qui ſolo timore ducitur. Hinc Auguſtinus *de ſpiritu & littera c.* 14. *n.* 26. " Mandatum, inquit, ſi ſit „ timore pęnæ non amore juſtitiæ, ſerviliter fit non liberaliter; & ideo „ non fit. "

Et vero id adeo aperte docet quæ omnibus indita eſt ratio, ut illud idem etiam exotici ſcriptores agnoverint.

Cicero enim *lib. 3. de officiis c. 9.* explorans an aliquis vere ſit virtutis amans, & officii tenax; quærit an virtutem amplecteretur etiamſi homines ac Deos latere poſſet. " Cum quærimus, inquit, ſi poſſint „ celare quod facturi ſint, non quærimus poſſintne celare; ſed tanquam tormenta quædam adhibemus, ut ſi reſponderint ſe impunitate propoſita facturos, ... facinoroſos ſe eſſe fateantur. "

Horatius pariter *epiſt. 16. lib.* 1. virum probum cum improbo componens ſic ait;

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ:
Sit ſpes fallendi, miſcebis ſacra profanis.

Argumentum tertium ex auctoritate Theologorum veterum.

Probatur 3. auctoritate plurium ac nobiliſſimorum antiquioris ævi Theologorum.

Primo enim in rejicienda timoris ſervilis ſufficientia conſentiunt tam ii qui ſtant a Contritionis perfectæ partibus, quam illi qui amorem Dei inchoatum requirunt. Utrique autem ſimul juncti ingentis ponderis ac numeri ſunt. Priores ſupra recenſuimus; nonnullos vero ex aliis, qui fere ſunt innumerabiles, poſtmodum allegabimus.

Secundo eandem Attritionis ſervilis ſufficientiam diſertius negant ante concilium Tridentinum,

1. Robertus Pullus *parte* 5. *c.* 31. ubi ſic loquitur ad veterum normam. " Pœnitentiam plerumque parit pœnæ timor in illo qui timet „ ar-

„ ardere, non peccare. Vir certe malus: quoniam vir bonus plus hor-
„ ret culpam quam gehennam : Ille prævidens pœnam, reprimit cul-
„ pam: ſi impune liceret, repreſſam exerceret: nec poteſt bonus eſſe
„ quiſquis illicita vellet, ſi auderet: .... nam quod coactus facis, id
„ te facere verum eſt, id te velle falſum eſt: qui ergo ex timore pœni-
„ tet, adhuc eſt ſervus, quoniam flagra formidat; nondum filius, qui
„ patrem amans ſperat hæreditatem. Quamobrem, quiſquis, dum pœ-
„ nitet, ſolum timore angitur, nondum per Pœnitentiam veniam me-
„ retur: verum qui largitur timorem, ut ex timore pœnitendi neceſſi-
„ tatem incutiat, cum pœnitentia largitur amorem, ut ſit pęnitens ve-
„ nia dignus. “

2. Hugo Victorinus *ſupra pag.* 87. & 88.

3. Petrus Pictavienſis *ſupra pag.* 89.

4. Alexander Alenſis *in* 4. *q.* 17. *art.* 6. “ Dico, inquit, quod timor
„ eſt principium remotum (Pęnitentiæ,) quia ex hoc quod pęnam
„ timet, deſiſtit ab actione peccati; ſed nondum juſtificatur: ſed poſt
„ incipit moveri in Deum per amorem; & ſic timor eſt principium
„ remotum, amor vero propinquum. “ *In ſpeculo animæ*; “ Timor ſem-
„ per cum mortali peccato eſt, ſcilicet cum quis dimittit peccatum fa-
„ cere ſolummodo ratione pęnæ. “ Et *lib. de ſeptem donis Spiritus-San-
„ cti c.* 1. “ Timor ſervilis non mutat voluntatem in bonum, licet cri-
„ minis impediat executionem. “

5. S. Thomas *ſupra pag.* 131. & *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *ad* 1. “ Antio-
„ chus, inquit, non habuit veram Pœnitentiam, quia non amore ju-
„ ſtitiæ de peccatis commiſſis dolebat, ſed timore pęnæ quam expecta-
„ bat. “ *In* 4. *ad Hannibald. diſt.* 20. *q. unica art.* 1. “ Veritas Pęniten-
„ tiæ in fine vitæ non manifeſtatur. Incertum eſt enim utrum taliter
„ pęnitens ex ſolo timore pœniteat, vel ex amore Dei, qui ad veram
„ Pœnitentiam requiritur. “

6. Joannes Bacho *in* 4. *diſt.* 15 *q.* 1. *art.* 2. “ Dicendum... quod Con-
„ tritio debet fieri non ex timore, ſed ex charitate, quia aliter non
„ eſt acceptabilis Deo. “ *de conſec. diſt.* 4. *cap.* Gratia.

7. Joannes Nider *ad* 3. *præceptum*, *c.* 8. *num.* 13. “ Si homo peccata
„ ſua deteſtetur ſolum quia ſunt oppoſita virtuti morali, aut ſi ſolum
„ deteſtaretur ea propter timorem pęnæ, ... tunc homo ſolum quære-
„ ret ſuum commodum, & fugeret ſuum incommodum; .... nec talis
„ deteſtatio eſſet actus virtutis, quia non circumſtantionata bono fi-
„ ne; & per conſequens non formaretur gratia, nec fieret Con-
„ tritio.

8. Dionyſius Ciſtercienſis *in* 4. *diſt.* 23. *q.* 1. *art.* 2. *cl.* 1. “ Nulla pę-
„ nitudo de culpa præciſe ex metu gehennæ eſt ſufficiens ad deletio-
„ nem culpæ mortalis, ... quia in qualibet tali pęnitudine, minor eſt
„ nolitio culpæ quam nolitio pęnæ: imo præciſe non eſt nolitio cul-
„ pæ, niſi quia eſt nolitio pęnæ. Ergo, ſubducta pęna, non eſſet odium

„ culpæ. Non ergo aliqua tali pęnitudine oditur peccaſſe, ſed potius „ oditur in pęna eſſe.

9. Joannes de Baſſolis *in 4. diſt.* 20. *q.* 1. " Ad hoc ut Pęnitentia va-„ leat, oportet neceſſario quod ſit debite circumſtantionata & maxi-„ me circumſtantia finis, quod ſit propter Deum .... Qui uſque ad ex-„ tremum vitæ diſtulit Pęnitentiam, non videtur a ſe ipſo extorquere „ actum ipſum Pęnitentiæ propter Deum; ſed magis hoc videtur face-„ re ad vitandam pęnam pro peccato infligendam.

10. Gabriel Biel *in 4. diſt.* 14. *q.* 2. " Deteſtatio peccati a timore „ ſervili orta, dicitur diſpoſitio de congruo ad Pęnitentiam, non im-„ mediata nec ſufficiens, ſed multum remota. Porro quod de juſtifica-„ tione, quæ fit in Sacramento, loquatur, declarat ipſe in titulo & „ decurſu hujus quæſtionis.

Argumentum quartum ex variis hujus ſententiæ incommodis.

Probatur 4. ex variis hujus ſententiæ conſectariis, quæ eam omnibus bonis minus gratam facere debeant.

Primum eſt. Lutherus id olim Eccleſiæ vitio vertebat, quod abſurde prorſus vellet Deo reconciliari homines qui ipſum non amarent, eoſque jus ſibi uſurpare ad divinam hæreditatem qui timore adhuc ſervi, nondum amore filii eſſent. Hanc quidem calumniam ab Eccleſia egregie depulerunt multi tum fidei noſtræ vindices. Sed illam tamen adjuvant adverſarii noſtri; quod non leve crimen eſſe ait Lupus *in Epiſt. ad Noriſium c.* 4. de quo etiam Caſtorienſis *c.* 26. *n.* 2.

Secundum eſt, Quod ſi in ſuſcipiendo Sacramento Pęnitentiæ (ubi in gratiam hominum ſingulari quadam benignitate ſanguinem ſuum profundit Chriſtus; eos, cum inimici ſint, reconcilians ſibi) neceſſe non ſit, ut ipſum tantopere nos amantem redamemus, vix ullum occurrat tempus quo hac lege obligemur. Cur enim alias quod non hic pari ratione? niſi forte in caſu extremæ neceſſitatis, cum nullus ſuppetit Sacramenti uſus. Ergo nullum erit vulgo tempus quo Deum diligere debeamus. Hoc enim dogma, hæc illa doctrina eſt ex adverſariorum opinione conſequens.

Tertium eſt, Quod ex hac eadem opinione ſequatur, poſſe hominem ſalvari qui per longiſſimam vitam nullum omnino Dei amoris actum elicuerit, nec primum unquam ac maximum mandatum impleverit. Sit enim quiſpiam homo qui ab ineunte rationis uſu in vitiis ac peccatis ad ſenectam uſque jacuerit: immineat ſummum vitæ diſcrimen: profecto ſi timor ſolus ad Sacramentum ſufficiat, poterit tunc ſine ullo actu amoris Dei Sacramentum rite ſuſcipere: ſtatim a Sacramenti ſuſceptione moriatur: hoc poſito, æternam adipiſcetur ſalutem. Id porro cum per ſe horrendum ſit ac deteſtabile, eo eſt odioſius, quod Hære-

ticis

ticis anſam dederit ut Eccleſiam catholicam traducerent quaſi antichriſtianam, ut pote quæ homines ab amando Deo abſolveret, in eoque novæ legis excellentiam collocaret; ita ut paſſim illi perduelles jactitarent ſe nullam habere poſſe ſocietatem cum ejuſmodi Eccleſia, quæ a recta ratione omnique religionis ſenſu ita defeciſſet. Sic inter alios Juriæus, quem pro ſuo in Eccleſiam ſtudio fortiter retundit illuſtriſſimus Boſſuetus *in 2. admonitione*. Adde Queraſſium *in præfatione* ubi hanc Eccleſiæ plagam deplorat.

Argumentum quintum ex ipſa hujus opinionis incertitudine.

Probatur 5. Cum enim in dubiis via tutior ſemper eligenda ſit, tum maxime in Sacramentis, ubi partem minus tutam amplecti non licet relicta tutiore. Atqui ut concedamus probabilem aliquatenus eſſe hanc opinionem, imo nec minus probabilem quam alteram: certa profecto non eſt, ſed ad ſummum dubia; altera autem tutior eſt. Ergo quantumvis probabilis in univerſum cenſeatur ea opinio, ubi venitur ad mores & praxim, jam omnino eſt abdicanda.

Major probatur 1. ex Scripturis. Eccli. 3. 27. *Qui amat periculum in illo peribit*. 2. ex Auguſt. *de Baptiſmo c. 7.* ubi aſſerit quod qui apud Donatiſtas Baptiſmum reciperet " Graviter peccaret, inquit, vel eo ſo„ lo quod in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus certis incerta præ„ ponat. " 3. ex illa notiſſima Romanorum Pontificum in jure canonico formula ex ipſo naturali deprompta lumine. " In dubiis via tu„ tior eligenda. " 4. ſpeciatim quo ad Sacramenta, ex decreto Innocentii XI. ubi hæc propoſitio damnata eſt: " Non eſt illicitum in con„ ferendis Sacramentis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramen„ ti, relicta tutiore.

Minor probatione vix indiget: dubium enim ex omnium conſenſu eſt an timor ſervilis ad Pœnitentiæ ſacramenti conſtitutionem & effectum ſufficiat; certum autem eſt & indubitatum ad utrumque ſufficere amorem Dei.

Sed tamen ut res apertior fiat, afferendi ſunt nonnulli ex adverſariis qui ingenue fateantur opinionem ſuam non expertem eſſe periculi, aut etiam ea de cauſa in ipſo mortis articulo deſerendam.

Melchior Canus *parte 5. de Pœnitentia* exponens cur ab Eugenio IV. Contritio ſtatuatur, quaſi materia Pœnitentiæ, non item Attritio, " „ Contritio, inquit, ponitur pars Sacramenti, quia eſt certa & indubi„ tata materia: quod autem Attritio ſufficiat .... non eſt adeo cer„ tum & indubitatum: & ideo concilium Florentinum communiſque „ ſententia, tenens certum, relinquens incertum, ponit Contritionem „ eſſe partem hujus Sacramenti.

Tapperus *in explicatione artic. 5. Lovanienſis* iiſdem omnino verbis uti-

tur, & paulo poſt addit : “ Conſolatoria quidem hæc ſunt, ſed incer-
„ ta, & Scripturis & Patribus parum conſentanea, ſi intelligant nullam
„ Dei aut offenſæ ipſius in diſplicentia hac habendam rationem.

Suares *in 3. partem S. Thomæ queſt. 90. art. 4. diſp. 15. num. 17.* “ Li-
„ cet, inquit, ſit probabilis opinio Attritionem cognitam cum Sacra-
„ mento ſufficere ad juſtificationem, tamen non eſt certa, & poteſt eſ-
„ ſe falſa. Quod ſi fortaſſe ita eſt, probabilis illa exiſtimatio non ſuf-
„ ficit ut homo ſalvetur. Ergo qui ſciens & videns ita ſe mori per-
„ mittit, voluntarie exponit ſe periculo morali damnationis æternæ :
„ nam ubi eſt morale dubium, eſt morale periculum, præſertim in re
„ tam gravi : hic autem eſt morale dubium; CUM ILLA OPINIO NEC
„ VALDE ANTIQUA SIT, NEC MULTUM COMMUNIS.

Becanus *tract. 1. cap. 4. quæſt. 3. de bonitate & malitia actuum humano-
rum ad* 3. “ Fateor, inquit, tutius eſſe cum Contritione accedere ad Con-
„ feſſionem; ac proinde eum qui ſcit ſe non eſſe contritum, ſed tantum
„ attritum, conſultius facturum, ſi conetur in ſe excitare Contritio-
„ nem.

Comitolus *lib. 1. Reſponſorum moralium quæſt. 32. num. 7.* “ Huc ad-
„ de, inquit, quod plures magnique Theologi in Pœnitente, antequam
„ abſolvatur, Contritionem veram charitate formatam requirunt : ne-
„ que uſque adeo certum eſt, Attritionem Pœnitentis ſatis eſſe. Quo-
„ circa Sacerdotis partes præcipuæ eſſe debent, veræ Contritionis mo-
„ tum in corde Pœnitentis auxiliante Deo elicere.

Sanchez *in Summa caſuum lib. 1. cap. 9. num.* 34. poſtquam Attritio-
nem vulgo ſufficere affirmavit, “ Hoc tamen, inquit, intelligendum,
„ niſi Pœnitens eſſet in mortis articulo, atque habere poſſet Contri-
„ tionem : tunc enim eſſet MORTALE & recipere & ei ſacramentum
„ Pœnitentiæ cum ſola Attritione cognita miniſtrare, propter grave
„ damnationis æternæ periculum, cui ille exponeretur ſi forte hæc ſen-
„ tentia non eſſet vera, cum tamen gratia Dei adjutus poſſit habere
„ ſecurum Contritionis remedium.

Gamachæus *de Pœnitentia cap.* 8. “ Etiamſi ſola Attritio, inquit, a
„ parte rei & ſpeculative ſufficiat ad juſtificationem, attamen practice
„ & reſpectu noſtri non ſatis tutum videtur ut ſcienter, prudenter, ſo-
„ lam ejuſmodi Attritionem in vitæ exitu adhibeamus . . . . Homo
„ (enim) debet ſalutem ſuam cum timore ac tremore operari, in iſto
„ præſertim periculo mortis, & quaſi omnia tuta timere, nec tentare
„ Deum, aut ſe in probabile damnationis periculum mittere.

Ergo juxta illos omnes opinio de Attritionis ſervilis ſufficientia du-
bia eſt & periculoſa in articulo mortis. Jam vero ſi periculoſior eſt
quam ut in mortis articulo ei confidamus, abſit ut ei ſalutis noſtræ
ſummam committamus alio quovis tempore : nunquam enim licet quod
tunc non licet. An vero Chriſtus aliam pro mortis tempore, aliam pro
aliis vitæ temporibus Sacramenti materiam inſtituit? . . . . .

Ex

Ex hoc colligit illuſtriſſimus Epiſcopus Tornacenſis omnem hac de re diſputationem ſupervacaneam eſſe : quidquid enim in univerſum diſſerendo ſtatuatur, eo ſemper deveniendum eſt, ut certa dubiis anteponantur. Quo fit ut etiamſi nonnulla foret opinionis de Attritione probabilitas, nullus tamen eſſe poſſet illius uſus. Illa porro doctrina ad mores non pertinet, quæ in uſum deduci nequit.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Juxta SS. PP. timor gehennæ hominem avocat a peccato eumque ab omni pravitate reprimit. Sic enim aſſerunt,

Origenes *lib.* 3. *in Job* circa finem, " Timor judicii, inquit, terror „ atque formido futurorum omnem timorem corruptibilem & carnalem „ in oblivionem deducit atque foras mittit. "

Baſilius *in Pſal* 33. " Niſi timor inſtituendæ vitæ noſtræ rudimenta „ jaciat, impoſſibile fuerit caſtitatem ſanctimoniamque legitime obſer- „ vari .... Nam quemadmodum qui corporis membra habent clavis „ transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent : ſic ii quo- „ rum animam occupavit Dei timor, omnem prorſus importunam pec- „ cati ex perturbationibus occaſionem vitant. "

Ambroſius *in Pſalm.* 118. *ſerm.* 15. *num.* 37. " Qui diligit Domini te- „ ſtimonia configit clavis carnes ſuas ... Confige ergo clavis & deſtrue „ fomenta peccati : moriatur in carne tua omnis illecebra delictorum : „ libertate vagandi cupiditas voluptatum cruci affixa, non habeat. "

Hieronymus *in cap.* 1. *Malachiæ*, " Vult primum Deus ut filii ejus „ ſimus & bonum voluntate faciamus : ſi hoc conſequi nolumus, ut „ ſaltem ſervos nos habeat, & a malis per ſuppliciorum formidinem „ recedamus.

Auguſtinus *in Pſalm.* 63. *num.* 16. " Ama & time : ama quod pro- „ mittit Deus; time quod minatur Deus; nec corrumperis ex eo quod „ promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo. "

In Pſalm. 68. *concione* 1. " Majore timore minora contemnimus, & „ majore æternitatis cupiditate omnia temporalia faſtidimus. "

In Pſalm. 118. *concione* 25. " Quid eſt *Confige a timore tuo*, *timui e-* „ *nim?* ſi enim jam .... timebat; cur adhuc, ut a timore ſuo Deus „ crucifigeret carnes ſuas, orabat? an addi ſibi volebat timorem, ut tan- „ tum timeret quantum ſufficeret crucifigendis ſuis carnibus; id eſt con- „ cupiſcentiis affectibuſque carnalibus? tanquam dicens, Perfice in me „ timorem tuum, timui enim a judiciis tuis. "

Epiſt. ad Honoratum 140. alias 120. *cap.* 18. " Præmiſſus timor in cor „ noſtrum pellit inde conſuetudinem malorum operum, & ſervat cha- „ ritati locum. "

Tractat. 9. *in Joann.* " Timor Dei ſic vulnerat, quomodo medici ferra- „ mentum putredinem tollit. "

Au-

Auctor libri *de vocatione gentium lib.* 2. *cap.* 27. " Conſenſum (in
„ bonum) etiam metus gignit. "

Gregorius magnus *lib.* 2. *in* 1. *Reg. cap.* 2. *num.* 17. " Tunc quippe
„ peccare deſinimus cum ſuperna gratia mollitis cordibus, futura tor-
„ menta formidamus. "

Lib. 5. *in* 1. *Reg. cap.* 2. *num.* 7. " Ille ſolus timor probabilis eſt,
„ qui dum mentem concutit, ad boni operis ſtudium trahit. "

Lib. 5. *moral. cap.* 16. alias 13. " Mens noſtra tanto valentius terro-
„ res rerum temporalium deſpicit, quanto ſe auctori eorumdem tem-
„ poralium veracius per formidinem ſubdit ... Quæ in timore Domini
„ conſtituta non invenit extra quod metuat : quia dum recto metu
„ conditori omnium jungitur, poteſtate quadam ſupra omnia ſuble-
„ vatur.

Lib. 2. *Homil.* 26. *in Evang. num.* 10. " Timendus eſt (tantus judex)
„ ne timeatur : Terror ejus nos ad uſum bonæ operationis exerceat :
„ metus illius vitam noſtram a pravitate compeſcat. "

Lib. 1. *homil.* 7. *in Ezech.* " Studioſe conſiderant (electi) quam ter-
„ ribilis ad judicium veniat. Culpas anteactas deflent; imminentes de-
„ clinant. " Ergo.

Distinguo antecedens : hominem avocat a peccato exteriori; con-
cedo : a voluntate peccandi; ſubdiſtinguo : hominem juſtum in quo
adjunctam habet charitatem; concedo : hominem peccatorem; rurſus
ſubdiſtinguo : avocat remote & mediate; concedo : proxime & imme-
diate; nego. Quocirca de timore dici poteſt,

Primo quod hominem avocat a peccato exteriori ſeu ipſo opere pec-
cati; in eumque ſenſum plerique Patres interpretandi ſunt v. g. Augu-
ſtinus *Epiſt. ad Honoratum*, Baſilius, Ambroſius, Hieronymus, &c. lo-
cis *ſupra* citatis. Ajunt enim hoc metu vitari occaſiones peccati, fo-
menta peccati deſtrui, libertatem vagandi reprimi, a malis recedi, etſi
nondum voluntate fiat bonum.

Secundo quod omnem voluntatis conſenſionem in malum coerceat in
homine juſto ac probo. Cum enim comprimendus eſt gravioris cujuſ-
dam tentationis æſtus, juſti in auxilium aliquando vocant gehennæ
intuitum ac timorem, ad frænandam cupiditatem : in eo autem caſu
non tantum opus externum ſupprimit, ſed & omnem in malum pro-
penſionem; non quidem per ſe, ſed ope charitatis, quæ, repreſſa
timoris auxilio cupiditate, jam animo, pro eo ac debet, dominatur:
ita enim nonnulli locuti ſunt, ſicque exponendus eſt Origenes, Baſi-
lius, & Ambroſius, *ſupra*. Ita quoque Auguſtinus qui *Pſalm.* 63. *&*
in 68. timori charitatem adjungit. Hinc *in Pſalm.* 118. poſt verba quæ
nobis objiciuntur, ita pergit; " Sed eſt hic alius altior ſenſus . . .
„ ſcrutato ſinu Scripturæ hujus eruendus. *Confige*, inquit, *clavis a
„ timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui*: hoc eſt timore tuo
„ caſto . . . . carnalia mea deſideria comprimantur : a judiciis enim

„ tuis

„ tuis timui , cum mihi lex minaretur pœnam , quæ mihi dare non
„ poterat juſtitiam . . . . . . Timor namque iſte quo non amatur juſtitia,
„ ſed timetur pœna , ſervilis eſt , quia carnalis eſt ; & ideo non cru-
„ cifigit carnem . Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in
„ opere , quando ſperatur impunitas ; cum vero pœna creditur ſecutu-
„ ra, latenter vivit, vivit tamen, &c. Adhunc ſenſum loquitur Gregorius *lib.* 5. *moral.* Tantum enim abeſt ut ibi de nudo metu verba faciat ut loquatur de eo cui ineſt fiducia fortitudinis, & quo mens ſuper omnia elevatur. *Homilia* autem 26. *in Evang. & 7. in Ezech.* ſermonem habet de timore quo ſancti & electi graviores tentationes ſuperant & ſeſe ad vitanda peccata excitant.

Tertio quod principium ſit virtutis , non quidem immediate & per ſe, ſed mediate , beneficio ſcilicet boni affectus, qui timori vulgo ſuccedit . Timor enim , ut ex Auguſtino vidimus , parat charitati locum , hominemque ſenſim ad amorem juſtitiæ perducit , dum eum bonis aſſuefacit operibus : unde Sapiens ait , *Timorem Domini eſſe principium ſapientiæ* . Inde Iſaias cap. 26. juxta lectionem antiquam , *A timore tuo* , inquit , *concepimus & peperimus ſpiritum ſalutis* . Sic Auctor libri 2. *de vocatione gentium cap.* 27. " Hunc conſenſum (in bonum,)
„ inquit , non ſolum cohortatio . . . . . . ſed & metus gignit , propter
„ quod ſcriptum eſt : *Principium ſapientiæ timor Domini* : qui quantiſ-
„ libet terroribus inferatur , non aliud agit , quam ut , quem fecerit
„ trementem , faciat & volentem . " Sic Robertus Pullus *ſupra pag.* 262. " Pœnitentiam , inquit parit timor . " Quod poſtea ſic explicat , ut homo malus ſit quando timor ei dominatur ; tunc vero demum venia ſit dignus, cum Deus timori amorem ſuperaddit. Sic juxta Sanctum Auguſtinum *tract.* 9. *in Epiſt. Joannis* , " Timor eſt qui-
„ dem ferramentum curans , ſed quatenus introducta charitate ſucce-
„ dit cicatrix ferramento medici . " Sic denique Sanctus Gregorius ait *lib.* 2. *in* 1. *Reg. cap.* 1. " Nos a peccato abſtinere cum futu-
„ ra tormenta formidamus , ſed modo ſuperna gratia molliantur cor-
„ da noſtra .

Objicies 2. Plures ſunt ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus & Theologis qui tres ſalvandorum hominum ordines conſtituant ; primum ſervorum qui pœnæ timore a peccando arceantur ; ſecundum mercenariorum , qui ſpe præmiorum invitentur ad virtutem ; tertium filiorum , qui ſolo amore Dei ac recti moveantur . Legantur in hanc rem Clemens Alexandrinus *Strom. lib.* 4. *pag.* 495. Baſilius *proœmio in regulas fuſius diſputatas pag.* 405. *tom.* 2. Gregorius Nazianz. *tom.* 1. *oratione* 3. *pag.* 73. Gregorius Nyſſenus *tom.* 1. *homil.* 1. *pag.* 475. Hieronymus *in cap.* 1. *Malach. & Epiſt.* 146. *ad Damaſum*; Caſſianus *collatione* 11. *cap.* 6. Joannes Climax 1. *gradu* ; S. Maximus *de Myſtagogia cap.* 29. *pag.* 523. Beda *tom.* 5. *in cap* 15. *Lucæ* ; Anſelmus *in ſimilitudinibus cap.* 168. *pag.* 167. Bernardus *Epiſt.* 11. *ad Guigonem de charitate, cap.*

8. *ſerm.*

8. *ſerm.* 3. *de diverſis, num.* 9. *tom.* 2. *pag.* 202. *Serm.* 8. *num.* 6. *pag.* 106. *Serm.* 62. *num.* 10. *pag.* 253. *Serm.* 115. *num.* 4. *pag.* 270. *Serm.* 83. *in Cantica* S.Thom. 2.2. *queſt.* 24. *art.* 9. Dionyſ. Carthuſ. *lib.*2. *de vita ſolitaria art.* 10. *&c.*

Respondeo 1. id ad rem non pertinere. Hi enim omnes non de ſacramento Pœnitentiæ aut neceſſaria ad illud præparatione, ſed de vario chriſtianæ vitæ ſtatu generatim loquuntur: quo poſito argumentum nimis, ut aiunt probat: ex hoc enim ſequeretur timorem gehennæ non tantum ſufficere ad veniam in Sacramento conſequendam, ſed etiam extra Sacramentum, ſi quis forte in eo ordine ac ſtatu mortem oppetat; quod falſum eſſe ipſi etiam adverſarii concedunt.

Respondeo 2. Patres jamjam allegatos non omnino conſentire in his enumerandis, & definiendis. Etſi enim vulgo triplicem ordinem diſtinguunt; ſunt tamen qui duplicem tantum ponant: nec deſunt qui quadruplicem conſtituant. Neque vero quoad numerum duntaxat diſcrepant, ſed etiam quoad rem ipſam: alii enim volunt ſervos ac mercenarios in ſtatu ſalutis eſſe, alii non ita.

Respondeo 3. poſſe omnes illos dici ſalvandos, quia ſinguli hi ſtatus ad ſalutem ducunt vel mediate vel immediate: ſervi ergo ac mercenarii eo ſenſu ſalvandi nuncupabuntur, non quod in primo ac ſecundo ſtatu ſalutem adipiſci queant, ſed quod timor ac ſpes gradus ſint ad charitatem, quæ ſola homines cœlo idoneos facit. Certe ſoli filii jus habent ad hæreditatem; non ſervi, non mercenarii.

Respondeo 4. juſtorum etiam triplicem ordinem ſtatui quadantenus poſſe, quorum alii ſervi, alii mercenarii, alii filii ſtrictius dicantur: tunc autem ſervi ac mercenarii vocabuntur, non qui charitatis Dei expertes ſolo pœnarum timore aut ſola ſpe præmiorum moveantur; ſed qui, licet charitatem Dei in ſe habeant, vulgo tamen aut timoris aut ſpei incitamentis egeant vel utantur ad virtutis officia; quod inter vitæ melioris initia vulgo contingere nuper obſervavimus. Nimirum ad vitam nemo ingreditur quin obſervaverit mandata, ac præſertim primum de diligendo Deo ex toto corde. Nemo ſaltem ſalvabitur qui charitate habituali præditus non fuerit; ac proinde ſervi illi, ſi cœlis idonei ſint, charitatem illam habeant oportet: quocirca non ſolo timore ducuntur; de quo jam quæſtio eſt. Non enim quærimus poſſitne ad ſalutis portum pervenire qui Deo jam gratus gehennæ recordatione ſeſe acuit ad vitia fugienda: ſed an eo ſolo metu poſſit quis Deo eſſe gratus, & ab omni labe expurgari.

Cæterum expediendi hujus nodi alius erit locus; interim conſule illuſtriſſimum Boſſuetum *ſcripto* 5.

Objicies 3. Sanctus Auguſtinus *de catechizandis rudibus*, *cap.* 17. hominum, qui Chriſtianam fidem amplectuntur, tria genera diſtinguit;

guit ; alios nempe qui hominibus placendi cupidine ; alios qui felicitatis terrenæ intuitu ; alios denique qui pœnarum æternarum metu eo adducantur : de duobus prioribus pronuntiat , eos non veros eſſe Chriſtianos : de poſtremis autem ſic ait ; " Qui autem propter beati-
„ tudinem ſempiternam & perpetuam requiem , quæ poſt hanc vitam
„ Sanctis futura promittitur , vult fieri Chriſtianus , ut non eat in
„ ignem æternum cum Diabolo , ſed intret in regnum æternum
„ cum Chriſto , vere ipſe Chriſtianus eſt , cautus in omni tentatione
„ ne proſperis rebus corrumpatur & ne frangatur adverſis, & in abun-
„ dantia bonorum temporalium modeſtus ac temperans , in tribulatio-
„ nibus fortis & patiens : qui etiam proficiendo perveniet ad talem
„ animum , ut plus amet Deum , quam timeat gehennam : ut (etiam
„ ſi dicat illi Deus , Utere deliciis carnalibus ſempiternis, & quantum
„ potes pecca ; nec morieris , nec in gehennam mitteris, ſed tantum-
„ modo mecum non eris ,) exhorreſcat & omnino non peccet, non jam ut
„ in illud quod timebat non incidat ; ſed ne illum quem ſic amat, offendat"
&c. At qui vere Chriſtianus eſt, is poteſt dici veniæ peccatorum idoneus, ſaltem in ſacramento.

Respondeo 1. ad majorem, Auguſtinum ibi loqui de Catechumeno, & Baptiſmate ſuſcipiendo ; longe autem plura requiri ad Pœnitentiæ ſacramentum quam ad Baptiſma. Eſt enim & eſſe debuit multo facilior in hoc quam in illo Sacramento reconciliatio cum Deo ; quod & Patres notant : proindeque ſi timor ſufficeret ad Baptiſma, non continuo ſatis eſſet ad Pœnitentiæ ſacramentum.

Respondeo 2. ad eandem majorem : vere chriſtianus eſt , id eſt ad fidem momento vere chriſtiano & laudabili inclinatur ; concedo : id eſt præparatus animo eſt , ut vere chriſtianum decet ; nego . Scilicet qui Chriſto nomen dant , ut aut homines ſibi devinciant , aut bona caduca conſequantur , ii profecto nulla religione , ſed ſolo hominum reſpectu moventur . At qui fidem noſtram amplectuntur , ut gehennam vitent , aut cœleſtem beatitudinem ſibi comparent , ii chriſtianæ fidei lumen vere ſequuntur , & vere laudandi ſunt , quamvis nondum ſint perfecti , imo nec ita animo ſint comparati, ut vere chriſtianos decet : namque vere chriſtianos decet & oportet res pro dignitate metiri æſtimare & amplecti ; Deum omnibus præponere , Deoque poſthabere omnia . At non ita affectus eſt ille de quo verba facit S. Auguſtinus; de eo enim ait, quod poſtmodum " eo perveniet, ut plus
„ amet Deum quam timeat gehennam . " Ergo prius gehennam plus timebat quam Deum amabat ; quod non recti , ſed perverſi ordinis eſt . Quandiu autem homo in perverſitate manet , aptus veniæ dici non poteſt.

Objicies 4. Sanctus Bernardus *ſermone* 8. *de diverſis* aſſerit eum , qui timore gehennæ Pœnitentiam agit , incipere eſſe ſub Deo , & in eo ſtatu eſſe converſionem : " Jam incipit eſſe ſub Domino , in-

„ quit,

„ quit, qui tanquam ſervus carcerem timet, & metuit ne ſubigа-
„ tur pœnis, in quo ſane ſtatu converſio eſt, exituſque a ſæculo.
„ Ergo.

Distinguo antecedens: eſſe ad Deum converſionem mentis, & voluntatis ex parte; concedo: intimi affectus, & voluntatis omni ex parte; nego. Non hic diſputamus an qui timere incipit gehennam, eoque metu a vitiis revocatur, poſſit aliquatenus dici ad Deum converſus: hoc enim certum eſt. A vitiis namque ad Deum ſcelerum ultorem mente, & aliquatenus etiam voluntate, convertitur, ſed ex privato ſui ipſius amore, non amore Dei aut juſtitiæ: Porro nos ſupra monuit Bernardus "ſine macula non eſſe & ad Deum animam prorſus convertere non
„ poſſe timorem quo ſervus conſtringitur, aut cupiditatem qua mercena-
„ rius arctatur.

Objicies 5. Guillelmus Pariſienſis *tract. de Pœnitentia*, & alii multi e veteribus Theologis Attritionem ad Sacramentum hoc ſatis eſſe docuerunt. Atqui Attritio de timore ſervili maxime intelligitur. Ergo.

Distinguo majorem: ſatis eſſe Attritionem quæ amorem Dei complectatur; concedo: quæ eo ſit vacua; nego. Scilicet ut *art.* 1. demonſtravimus, Attritio eſt latiſſimum genus, quod ſub uno eodemque nomine res multas, eaſque a ſe invicem non parum diſſitas includit. Quapropter merum ſophiſma eſt, ſi quis ab ipſo genere ad aliquam ſpeciem aut ab una ſpecie ad alteram concludat: nedum enim conſecutio legitima ſit, nullum majus in ratiocinando vitium eſſe poteſt. Nunc quidem plerique *Attritionis* vocabulo intelligunt ſolum gehennæ timorem: at majores noſtri non ita. Ut enim multis ibidem evicimus, amorem Dei Attritione involvebant; ita ut Attritio & Contritio intra eandem ſpeciem conſtituerentur, & ſolum penes magis & minus differrent. In exemplum ſint,

Primo Guillelmus idem Pariſienſis, quem ut ducem ſuum ac columen appellant adverſarii. Namque *ibidem capite* 6. "Si quis quæ-
„ rat, inquit, quæ ſit differentia inter Attritionem, & Contritio-
„ nem, dico quod Attritio ad Contritionem ſic eſt ſicut vulnera-
„ tio non lethalis ad occiſionem ...... ſicut calefactio ad arſio-
„ nem, & ſicut illuminatio ad irradiationem: hoc eſt, ſicut lu-
„ men crepuſculi ad radium. " Unde & eodem loco diſtinguit duplicem amorem, alterum quem vocat *præparatorium*, alterum *conſummatum*. Amorem autem præparatorium Attritioni conjunctum eſſe vult,
" quo ametur, inquit, Deus ſecundum quod Deus & propter id quod
„ Deus. " Et *fol.* 82. de timore ſervili ita loquitur, " Timor ſervilis,
„ etſi bonum Dei datum eſt, non eſt tamen virtus; & hoc, quia licet mala
„ declinari faciat, ... non tamen facit hoc bene & laudabiliter .... ita enim
„ occupat animum & intentionem timentis, ut oculos cordis ad ſolam pœ-
„ næ evaſionem habeat.

Secun-

Secundo Albertus Magnus *in* 4. *diſt.* 16. *art.* 18. “ Dicendum, in-
„ quit, meo judicio quod unus & idem dolor in ſubſtantia poteſt eſſe Con-
„ tritionis & Attritionis.

Tertio Alenſis *ibid. diſt.* 17. *memb.* 2. *art.* 1. §. 3. pariter ait Attritionem, ſi intendatur, fieri Contritionem. “ Ad illud, inquit, dici poteſt
„ quod ipſa definitio (Contritionis) inſinuat dolorem debere aliquo modo
„ intendi ad hoc quod ſit dolor Contritionis: .... dolor enim certam habet
„ menſuram qui Contritionis dici debet. Quæ ſit autem illa, ille novit quem
„ nihil latet.

Quarto Sanctus Thomas *in ſupplem. qu.* 1. *art.* 2. *reſp. ad* 2. poſtquam notavit Attritionis & Contritionis nomina a corporibus deſumpta eſſe, inde colligit quod Attritio ſignificet in ſpiritualibus quamdam diſplicentiam de peccatis commiſſis, ſed non perfectam, Contritio autem perfectam. “ Attritio, inquit, dicit acceſſum ad perfectam Contritio-
„ nem, unde in corporibus attrita dicuntur quæ aliquo modo diminuta
„ ſunt, ſed non adhuc ſunt comminuta, ſed contrita dicuntur quando om-
„ nes partes tritæ ſunt ſimul per diviſionem ad minima, & ideo Attritio ſi-
„ gnificat in ſpiritualibus diſplicentiam de peccatis, ſed non perfectam;
„ Contritio autem perfectam.

Quinto Scotus *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 2. definit quod unus, & idem motus, tum in genere entis, tum in genere moris, poſſit eſſe primo Attritio atque deinde Contritio. “ Si manet, inquit, idem motus in eſſe natu-
„ ræ & moris, qui prius fuit Attritio, in illo inſtanti (infuſionis gra-
„ tiæ,) fit Contritio: quia in illo inſtanti fit concomitans gratiæ, & ita
„ actus formatus.

Sexto Paludanus *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. expendens enim an Attritio poſſit fieri Contritio. “ Si hoc, inquit, intelligatur de uno actu ſecundum ſpe-
„ ciem, non eſt dubium quin Attritio poſſit fieri Contritio, ſicut de mane
„ fit meridies.

Septimo Angelus de Clavaſio *in ſumma* verbo *Contritio. num.* 1. nam ibi diſſerens de Attritionis, & Contritionis diſcrimine, illud in duobus collocat; “ Ac 1. quidem quod Attritio eſt dolor imperfectus, Con-
„ tritio vero eſt dolor perfectus: .... & ideo Contritio, & Attritio,
„ inquit, materialiter idem ſunt, ſicut domus obſcura, & illuminata:
„ Attritio quippe eſt lux auroræ, quæ creſcendo fit meridies, id eſt Con-
„ tritio.

Octavo Cajetanus *in opuſculo de Attritione n.* 4. ubi, “ Commune di-
„ ctum, inquit, quod Contritio & Attritio differunt ſecundum magis, &
„ minus.

Imo & nonnulli eo proceſſerunt ut Attritionem, quæ amoris Dei expers eſſet, ne Attritionis quidem nomine dignarentur. “ Talis deteſta-
„ tio, inquit Nider *præcepto* 3. non eſſet actus virtutis, quia non cir-
„ cumſtantionata debito fine, & per conſequens etiam non eſſet Attritio
„ vera.

In-

Instabis 10. Guillelmus idem Pariſienſis *cap.* 4. poſtquam aſſeruit ad ſacramentum Pœnitentiæ non opus eſſe Contritione perfecta ſeu gratia ſanctificante, ut plerique tunc ſentiebant, ſic pergit: " Pie etiam credimus, & ſentimus eos qui cum fide hujus Sacramenti & vehementi deſiderio redeundi in Dei pacem & gratiam, licet timore infirmitatis ſuæ & oppreſſione malæ conſuetudinis propoſitum abſtinendi a conſuetis & eadem emendandi non habeant; interdum de divinæ bonitatis abundantia virtute clavium & Sacramenti illius præſtari, & hujuſmodi propoſitum infundi. Conantibus enim ad Deum reverti dexteram auxilii ſui porrigere patrem miſericordiarum dubitandum non eſt. Quemadmodum ille, qui lunaticum filium attulit ad Dominum Jeſum *Mar.* 9. credere quidem nitebatur, ſed nondum fidem, ad quam conabatur, habebat; propter quod & dicebat: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*: merito tamen ſui conatus, & filio ſanitatem & ipſemet fidei donum obtinuit; ſic de ſimiliter conantibus, quod præſto ſit eis divinæ beneficentiæ auxilium, pia fides non dubitat. Quemadmodum in primitiva Eccleſia ſemper interrogabantur baptizandi utrum crederent, utrum Diabolo & pompis ejus renunciarent, utrum baptizari vellent; nec interrogabantur utrum eſſent mundi a peccatis an non, & utrum in charitate eſſent, utrum omnium virtutum varietate decori ac divites; ſed magis virtute Baptiſmi hoc eis præſtandum præparabantur: ſic & in ſacramento pœnitentiali digne & devote accedentibus præſtari credimus quod intendunt, eo quod venientes nondum habent propter quod eſſe per Sacramentum illud quærunt." *Cap.* autem 6. " Contritio, inquit, eſt motus virtutis confringentis veterem hominem, ac funditus & radicitus mortificantis: & dicimus quod iſte motus poteſt eſſe cujuslibet e virtutibus affectivis: .... poteſt ſiquidem iſte motus timor eſſe, ſive timoris, juxta quod legitur Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum* .... Idem dicimus de motu pudoris, ... ſic de motu iræ, ... ſic de motu indignationis, ... ſic de motu abominationis, ... ſic de motu horroris, ... ſic de motu odii, ... ſic de motu execrationis, ... ſic de motu deteſtationis.... Hi ergo decem motus... directe ſunt ad deſtruendum & mortificandum veterem hominem, & propter mortem & extinctionem veteris hominis nominantur mortificatio ipſius & Contritio.." Ex quibus ſic licet arguere. Non quærebatur olim a baptizando an eſſet in charitate: ergo nullus amor aut charitas Dei ad baptiſmum, ut nec ad Pœnitentiæ ſacramentum requiritur.

Distinguo antecedens: non quærebatur an eſſet in charitate habituali, ſeu an jam juſtus eſſet, concedo: an haberet amorem aut charitatem Dei actualem, nego. Quod enim ibi Guillelmus loquatur de charitate habituali patet ex ipſis ejus verbis, " Nec interrogabantur, inquit, utrum mundi eſſent a peccatis nec ne, & utrum in charitate eſſent, utrum omnium virtutum varietate decori ac divites." Quæ ſin-

ſingula gratiam ſanctificantem ſonant. Nempe illa ætate pervulgata erat opinio; quæ ad Pœnitentiæ ſacramentum, ipſamque adeo confeſſionem, poſtulabat gratiam ſanctificantem: „ Quæſtio, inquit Morinus *de Pœ-* „ *nitentia lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 12. a nemine doctorum prætermiſſa, an con- „ feſſio in charitate fieri deberet, & definita ſemper ſic fieri debere, ut „ ad fidem & vitæ æternæ meritum prodeſſe poſſet; alias tantum ad „ hoc prodeſſe, ut non eſſet iteranda. Ita omnes prope ſcholæ docto- „ reſque definierunt, a Magiſtro ad annum uſque 1240; " quod & repetit *cap.* 3. & 4. Hanc etiam oppugnat Guillelmus Pariſienſis; contenditque ipſa Sacramenti adminiſtratione aliquando ac ſæpe juſtificationem homini pœnitenti conferri. " Nondum ſanctificatis, inquit, ac „ priſtinæ gratiæ reſtitutis, ad gratiam tamen pœnitentialis ſanctifica- „ tionis, ſicut decet, appropinquantibus & paratis:.... credimus & di- „ cimus ſacerdotali abſolutione & benedictione remiſſionem peccato- „ rum omnium & gratiam, qua de cætero grati Deo & acceptabiles „ vivant, præſtari. „ Verum ut digne quis & ut decet ad ſacramentum accedat, exigit ut habeat " amorem præparatorium, quo quis amet „ Deum ſecundum id quod Deus, & propter quod Deus. „

Instabis 2. Atqui ne quidem amorem Dei imperfectum flagitat Guillelmus Pariſ. Nam ubi verus & minime fucatus amor Dei, in corde regnans, non perfectus licet, ibi certe eſt propoſitum non peccandi de cætero. Atqui Guillelmus Pariſienſis cenſet iis etiam a Deo gratiam concedi, qui cum ea præparatione, quæ illud propoſitum non includat, ad Sacramentum accedunt. Ergo.

Respondeo 1. hoc argumento adverſarios etiam premi. Quamvis enim timorem ſatis eſſe ad Pœnitentiam ſanciant, hunc tamen conjunctum eſſe volunt cum propoſito non peccandi de cætero, quod omnes omnino neceſſarium eſſe confitentur. Hoc ergo momentum ad rem non pertinet: agit enim Guillelmus de propoſito non peccandi de cætero: hic vero controverſia eſt de Attritione ſervili.

Respondeo 2. diſtinguo minorem: cum ea animi præparatione, quæ interdum de divinæ bonitatis abundantia, virtute clavium & Sacramenti, ſub manu Sacerdotis, ut ajunt, perficitur; concedo: cum ea præparatione, ſi non perficiatur; nego. Itaque ſi ea animi præparatio non perficiatur, certum eſt illam non ſufficere ad Sacramentum: neceſſaria enim prorſus eſt ad illud vera animi Contritio, firmumque non peccandi propoſitum: neque vero eam ſufficere voluit Guillelmus; ſed cum adverſus veteres pleroſque affirmaſſet, confeſſioni peccatorum faciendæ gratiam ſanctificantem præire non oportere, longius progreditur, & ait non inutile etiam eſſe Sacramentum illi, qui nondum firmum non peccandi propoſitum habuerit: quia fit interdum ut Deus, non quidem certa lege, ſed ſuæ bonitatis abundantia, idque intuitu Sacramenti, quod maximi ponderis apud eum eſt, firmum illud propoſitum, in ipſa Sacramenti adminiſtratione ſub manu Sacerdotis impertiatur. Id explicat

Joannes Gerſo *ſermone de pœnitentia in cœna Domini*, ubi Guillelmum Pariſienſem nominatum laudat, & idem de patre lunatici, in Evangelio, uſurpat exemplum; ubi putat fieri poſſe, ut ipſo lapſu temporis vique Sacramenti, diſpoſitio animi minus idonea augeatur & creſcat: " Quod ſi autem non creſcat, an danda eſt, inquit, Pęnitentia tali? „ timendum (addit) quod ſic; non tamen abſolvendo, ſed ad præſer- „ vationem in futuris. " Cæterum notanda ſunt hæc Guillelmi verba, *Pie ſentimus*, *interdum*, & *de divinæ bonitatis abundantia*; quæ indicant hoc nec certum nec frequens eſſe, nec communem præterea fuiſſe hanc ſententiam.

Instabis 3. Guillelmus Pariſ. *ibidem* aſſignat decem animi motus, quorum primus eſt ex timore: addit autem nullum ex iis eſſe qui non ſit Contritio: ergo.

Distinguo: qui non ſit Contritio, ſed minime per ſe ſufficiens ad Sacramentum; concedo: Contritio ſufficiens & idonea; nego. Juxta Guillelmum Pariſ. ad juſtificationem etiam in Sacramento conſequendam, non ſatis eſt ſi quis peccato utcunque mortuus fuerit; ſed neceſſe eſt inſuper ut Deo vivere quoque incipiat: quod *ibidem* aſtruit: unde *cap.* 7. „ Revertamur, inquit, ad id in quo eramus, & dicamus „ quod, ſi omnes iſti motus requiruntur in Attritione vel Contritione „ veteris hominis, accidet Contritionem & juſtificationem peccatoris „ non poſſe fieri in inſtanti, vel ſubito .... moveri omnibus motibus „ iſtis, & aliis etiam.... Neceſſe eſt enim ut moveatur, qui atteritur „ & conteritur de peccatis, motu fidei, & iterum motu ſpei: ....neceſſe etiam eſt, ut moveatur motu dilectionis alicujus, ſive ſit illa „ charitas, ſive non. „ Et vero nedum ad juſtificationem ſatis eſſe timorem hunc putaverit, illum negat eſſe virtutem: "Timor ſervilis, in- „ quit *fol.* 81. etſi bonum Dei datum ſit, non eſt tamen virtus; & hoc, „ quia licet mala declinari faciat, ... non tamen facit hoc bene & „ laudabiliter:.... ita enim occupat animum & intentionem timentis, „ ut oculos cordis ad ſolam pęnæ evaſionem habeat.

Objicies 6. S. Antoninus *part.* 4. *tit.* 14. *cap.* 5. ait timorem ſervilem diſponere ad charitatem: ergo.

Nego conſequentiam: ibidem enim negat eum ſatis eſſe ad veniam Sacramento obtinendam. " Ex hoc, inquit, quod quis credit pęnas in- „ ferni, & Deum juſtum inferentem tales pęnas peccatoribus, timet il- „ las ut caveat ſibi: ſed quia timor ille ſervilis, ut dictum eſt, non „ eſt in charitate, ideo non ſufficit ad ſalutem: & ideo Pęnitentes, „ præcipue in infirmitatibus gravibus, oportet admonere, ne ad pœni- „ tendum & confitendum propter hujuſmodi principaliter moveantur. „ Nam inutilis eſſet ſibi talis Pęnitentia. Hoc expreſſe dicit beatus Au- „ guſtinus *de Pœnitentia diſtinct.* 7. *cap. ult.* Non in ſolo timore vivit „ homo. Quem ergo ſero pœnitet, oportet non ſolum timere Deum ju- „ dicem, ſed juſtum diligere.

Obji-

OBJICIES 7. Vulgare eſt & tritum apud veteres effatum. " Attritus vi „ Sacramenti fit contritus; " & " Attritio in Contritionem evadit; ergo.

NEGO conſequentiam. Neutrum enim favet Attritionis ſervilis defenſoribus.

Non 1. quod enim quiſpiam ex attrito fiat contritus ope Sacramenti, hoc eſt, a ſtatu Attritionis tranſeat ad ſtatum Contritionis & gratiæ ſanctificantis qua carebat prius, quis inde colligat Attritionis ſervilis ſufficientiam? quandoquidem qui ejuſmodi ſufficientiam negant, & amoris Dei inchoati neceſſitatem agnoſcunt, ii etiam ipſi ſentire poſſunt & reipſa cenſent paſſim attritum fieri contritum vi Sacramenti, ejuſque beneficio gratiam divinam conſequi, Deoque reconciliari. Et certe Alphonſus Salmeron *tomo* 11. *tract.* 22. & S. Carolus Borromæus *de Pœnitentia*, *parte* 4. affirmant attritum ope Sacramenti fieri contritum; & tamen uterque, ut aliquando docebimus, amorem Dei ad Pœnitentiam neceſſarium eſſe affirmat.

Imo Vivaldus aſſerit, non poſſe illud dictum aliter intelligi. „ Quotieſcumque, inquit *in candelabro aureo*, *tit. de Attritione*, invenitur „ in doctoribus, Attritus cum Sacramento fit contritus, eſt intelligendum de Attritione perfecta, id eſt de ea qua propter Deum pure „ dolemus de peccatis.

Viguerius pariter *de Pœnitentia inſtitutionum cap.* 6. „ Si Attritio, inquit, dicatur dolor de peccatis voluntarie aſſumptus propter timorem „ ſervilem .... vel propter Deum non ſumme dilectum, tunc Attritio „ nunquam fit Contritio, nec ex attrito aliquis fit contritus, niſi ad „ hunc ſenſum quod poſt Attritionem venit Contritio, ſicut dicimus „ ex mane fit meridies; & ex injuſto fit juſtus conſecutive: .... ſi „ vero Attritio dicatur dolor voluntarie aſſumptus propter Deum ſumme „ dilectum, ſed non cum ſufficienti & requiſita intenſione ſive gradu; „ .... ſic Attritio per continuationem, vel applicationem abſolutionis „ fit Contritio; & ſic intelligitur id quod a doctoribus communiter dicitur, quod virtute clavium ex attrito fit contritus.

Molanus in eandem ſententiam, " Saniores ſcholaſtici, inquit *in theologia practica*, ubi de Contritione *n.* 40. cum aſſerunt virtutem Sacra„ menti ex attrito contritum hominem facere, loquuntur de Attritione „ quæ adjunctum habet affectum, quo pœnitens incipiat diligere De„ um tanquam omnis juſtitiæ fontem. "

Hoc ergo primum effatum Attritioni ſervili non ſuffragatur.

At nec 2. favet.

Cum enim quæritur an Attritio fieri poſſit Contritio, id poteſt peræque affirmari & negari, tam ab iis qui pro amore Dei, quam ab iis qui pro timore gehennæ militant.

Quod enim pertinet 1. ad eos qui ſtant ab amoris Dei neceſſitate, ii vulgo ſentiunt Attritionem in Contritionem poſſe evadere; quamvis nonnulli id certo quodam ſenſu inficientur.

Qui, inquam, amoris Dei neceſſitatem agnoſcunt ad Pœnitentiam ii vulgo arbitrantur Attritionem fieri Contritionem, idque multiplici ratione.

Ac 1. quidem etiam ante Sacramentum; quia ſcilicet, cum Attritio & Contritio ſpecie non differant, ſed tantum gradu; poteſt Attritio ita intendi, ut Contritio appellari mereatur. Ita Guillelmus Pariſ. Albertus Magnus, Alenſis, S. Thomas, Bonaventura, Scotus, Paludanus, Joannes Nider, Angelus de Clavaſio & Cajetanus *ſupra*, *pag.* 142. *&* *ſequentibus* allegati. Ita etiam Henricus Gandavenſis *quodlibeto* 1. *q.* 32. Sylveſter Prieras *in ſumma*, verbo *Contritio*, & Adrianus VI. ſummus pontifex *quod. lib.* 5. *in* 3. *principali reſp. ad* 3. Inde Morinus *lib.* 8. *de Pœnit. cap.* 3. *num.* 13. " Prima ſententia, inquit, in quam ivere omnes „ initio diſceſſionis ab antiquiore (de Contritionis perfectæ neceſſitate) „ ea eſt quæ Attritionem ſui incremento fieri Contritionem docuit. " Id porro in Attritionem ſervilem non convenit: tum quia illa non eſt ejuſdem cum Contritione perfecta ſpeciei, tum quia, ſi Attritio ſervilis dici queat in Contritionem evadere, id fieri non poteſt, niſi vi Sacramenti.

2. Quia dum perſeverat idem, qui ante erat, Attritionis motus, poteſt accedere gratia ſanctificans, qua is motus perficiatur; idque pariter extra Sacramentum: namque, juxta hanc doctrinam, idem omnino animi motus Attritio & Contritio nominatur pro variis temporibus. Attritio quidem quandiu exſors eſt gratiæ; Contritio vero dum gratia ſanctificante formatur.

Ita ſanctus Thomas *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 2. " Dicendum quod „ Contritio poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicet quantum ad ſui principium & quantum ad terminum: & dico principium Contritionis cogitationem qua quis cogitat de peccato & dolet, etſi non dolore „ Contritionis, ſaltem dolore Attritionis; terminus autem Contritionis eſt quando dolor ille jam gratia informatur.

Ricardus *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 1. *q.* 5. *ad* 5. " Diſplicentia peccati, ſi „ ſit informis, eſt Attritio: ſi formata, ſic eſt Contritio; ſed non formatur de lege communi, niſi ſit maxima in comparatione aliorum „ dolorum.

Et Scotus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 2. " Si manet, inquit, idem motus „ contra peccatum in eſſe naturæ & moris, qui prius; idem motus „ qui prius fuit Attritio, in illo inſtanti (infuſionis gratiæ) fit Contritio; quia in illo inſtanti fit concomitans gratiæ, & ita actus formatus, quia habens ſecum charitatem.

„ Fundamentum autem quo nitebantur, inquit idem Morinus *ſupra* „ *num.* 1. erat, dolorem & amorem Attritionis ſpecie non differre a „ dolore & amore Contritionis, ſed tantum per magis & minus: nihil itaque ex parte rei impedimento eſſe, quominus dolor & amor „ Attritionis ita intendatur & efferveſcat, ut gratia tandem imbuatur, „ fiatque Attritio Contritio.

3. Quia

3. Quia in ipſo Sacramento Attritio poteſt ſic inflammari vi precum Sacerdotis, ut ad Contritionis uſque gradum aſcendat, antequam abſolutionis ſententia pronuntietur, de quo Innocentius V. *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 1. " Alia eſt opinio dicentium, quod actu operatur ad „ remiſſionem culpæ, quando ſcilicet homo attritus, licet non ſufficienter contritus accedit, ſed ſupplicando tantum, unde & forma abſolutionis ſupplicationem continet.

4. Quia in Sacramento ante eandem Sacerdotis ſententiam aliquando contingit, ut Sacramenti intuitu Deus largiatur ei, qui ſolum attritus eſt, gratiam & charitatem habitualem, qua Attritio in Contritionem aſſurgat. Ita Alenſis *lib.* 4. *diſt.* 17. Bonaventura ſimiliter, ubi " Dicendum, inquit, quod nemo recipit effectum Sacramenti, niſi charitatem habeat : multi autem habent in fine, qui non habent in „ principio.

5. Denique ajunt Attritionem vi Sacramenti fieri Contritionem, quia abſolutionis beneficio gratia pœnitenti datur, ex qua Contritio effloreſcit. Attritio quippe eſt dolor de peccato propter Deum, nondum adjunctam habens gratiam ſanctificantem, quam dum Sacramenti vi conſecutus eſt, Contritio nuncupatur. Ita jam plerique Theologi cenſent ac loquuntur. De quo lege ex antiquis Innocentium V. *ſupra*, Paludanum *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 8. *art.* 1. *cl.* 3. Guidonem de Monte-Rocherii *in manipulo curatorum*, 2. *parte de Pœnit. cap.* 9. Gerſonem *tomo* 2. *in regulis moralibus*. Bernardinum *tom.* 4. *ſerm.* 25. *de confeſſ.* Nicolaum de Nyſe *tract.* 6. *de Pœnit.* Bernardinum de Buſtis *in Roſario*, *ſerm.* 31. Bielem *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 2. Petrum Tartaretum *lib.* 4. *diſt.* 19. Joannem Raulinum *in itinerario Paradiſi*, *ſerm.* 5. & alios quos Pintherellus ſuppeditat. Sic itaque dici poteſt Attritionem Sacramenti ope fieri Contritionem ab eis qui pro Dei amoris neceſſitate pugnant.

Sunt tamen ex iis nonnulli, qui hanc eandem Attritionem amore Dei formatam fieri poſſe Contritionem negant.

1. Quia Attritio quælibet, cum ſit aliquis animi motus, cito tranſit & deſinit : ei ergo ſuccedere, inquiunt, Contritio poteſt; ſed ipſa utpote jam non extans fieri Contritio non poteſt. De quo S. Thomas *in ſupp. q.* 1. *art.* 3. *in corp.* Innocentius V. & Paludanus *ſupra*. " Quidam dicunt, inquit *ibi* S. Thomas, quod Attritio fit Contritio, ſicut fides informis fit formata : ſed hoc, ut videtur, eſſe non poteſt; „ quia quamvis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen „ actus fidei informis fit actus fidei formatæ ; quia actus ille informis „ tranſit & non manet veniente charitate, Attritio autem & Contritio non dicunt habitum, ſed actum tantum.

Idem *in ſupplem. q.* 1. *art.* 3. " Sed contra : quorum principia ſunt „ diverſa omnino, eorum unum non poteſt fieri id quod eſt alterum : „ ſed Attritionis principium eſt timor ſervilis, Contritionis autem timor filialis : ergo Attritio non poteſt fieri Contritio.

2. Quia non poteſt idem eſſe imperfectum & perfectum, informe & formatum : Attritio autem eſt informis & imperfecta, Contritio contra perfecta & formata : de quo Paludanus *ibid.* & Salmero *ſupra*.

Verum hæ cauſæ leves ſunt : quamobrem prior loquendi ratio longe majori ſemper in uſu fuit.

Jam vero quod ſpectat ad Attritionem ſervilem, an ea Contritio fieri poſſit per ſe aut vi ſaltem Sacramenti.

Veteres negant : Alenſis *in ſumma lib.* 4. *q.* 17. *pag.* 554. S. Thomas *in ſuppl. ſupra*, Ricardus *in* 4. *diſt.* 17. Dionyſius Ciſtercienſis *in* 4. *diſt.* 23. *q.* 1. *art.* 2. *cl.* 5. Gabriel *diſt.* 14. *q.* 1. *p.* 231. *&* *diſt.* 16. *q.* 1. *p.* 490. Javellus *parte* 5. *de ſacr. Pœnit. infra*, *p.* 304. Viguerius *de Pœnit. cap.* 16. *ſupra pag.* 291. Caſſadorus *in rituali de ſacram. Pœnitentiæ cap.* 7.

Imo & recentiores plurimi, qui tamen ejuſdem Attritionis ſervilis ſufficientiam aſtruere conantur. Inter hos Vaſquez *in* 3. *partem S. Thomæ*, *q.* 86. *art.* 2. *ad finem* : " Dicendum, inquit, cum Ricardo, Ga-„ briele, Soto, Viguerio (in quo & Cajetanus convenit) nunquam „ dandum, actum doloris de peccatis ob pœnam inferni vel turpitudi-„ nem culpæ . . . . fieri poſſe Contritionem, quæ eſt dolor de pecca-„ tis propter Deum : &, credo, nullus negabit hoc, quia ſunt actus „ omnino diverſi ; cum diverſa habeant motiva : unde unus alius eſſe „ non poteſt. " Quæ ratio fuit antiquorum. Vaſquezium ſequuntur „ alii plures.

Extitere tamen multi hoc ævo, qui dixerint Attritionem fieri poſſe Contritionem extrinſece, eo ſcilicet ſenſu, quod Attritioni virtute Sacramenti ſuccedat gratia ſanctificans & charitas infuſa, qua Contritio efformatur.

Sed eos, quod accurate loqui nolint, omittimus.

Quæ cum ita ſint, immerito plane nobis opponitur illud de Attritione quæ Contritio fiat, commune effatum ; cum re expenſa demum pateat, hoc a veteribus de Attritione perfecta eſſe dictum, & de ea ſola dici poſſe; nullatenus autem in ſervilem proprie competere.

Objicies 8. Si quid impedimento eſſet quominus Attritio ſervilis ſufficeret ad Pœnitentiæ ſacramentum, maxime quia non tollit peccandi voluntatem : atqui eam extinguit. Timor enim vehemens ignis æterni expellit id omne quod mereretur ignem æternum : atqui voluntas etiam interior peccandi pœnam æternam meretur. Ergo.

Nego minorem : ad probationem, diſtinguo majorem : expellit id omne quod ignem æternum mereretur, quantum poteſt ; concedo : ſecus; nego. At poteſt duntaxat comprimere actum exteriorem peccati, non poteſt autem interiorem voluntatem expellere : voluntas enim non niſi amore mutatur. Quo circa timor ſervilis

Primo continet a peccato exteriori, quod omnium conſenſione certum eſt.

Secun-

Secundo comprimere etiam poteſt abſolutam & efficacem hic & nunc peccandi voluntatem, remanente tamen intus hypothetica, ut loquuntur. Quemadmodum enim inſtitor gravi tempeſtate jactatus, ſervandarum mercium voluntatem abſolutam in tanto diſcrimine deponit, ſed eas nihilominus amat; adeo ut earum jactum non faceret niſi majoris mali metu ad id compelleretur : ſic qui ob timorem gehennæ propoſitum peccatum fugit, is ſibi quidem forte temperat etiam animo, ne in illud abſoluta voluntate feratur; ſed adjuncta tamen ea conditione, ut peccaret, niſi pœna & majoris infortunii metus cohiberet.

Tertio ſi homo in hanc voluntatem hypotheticam & intimam animi præparationem oculos reflectat, continget etiam forſan ut eam reprimat, nec erumpat in actum expreſſum & explicatum : ſed ea nihilominus in ipſius animi medullis vigebit ſemper & latenter vivet, ſi non in hoc quod propoſitum fuit, ſaltem generatim in malum, propenſa.

Quarto denique, ſi demus timore poſſe etiam omnem peccandi voluntatem expelli, id non præſtabit, niſi alterius affectus ſubſtitutione; regnat enim ſemper in corde aliquis amor. Non poteſt ergo quis ſeſe a peccati affectu avocare, quin alium induat. Is autem erit aut amor ſui, aut amor Dei. Si amor ſui; is adhuc vitioſus eſt, creaturæ enim affigit : ſi autem amor Dei, habemus quod omnibus votis exoptamus.

Et vero hoc argumento conficerent adverſarii timorem gehennæ ſufficere poſſe etiam extra Sacramentum ad ſalutem. Si quis enim omni hominum auxilio deſtitutus in ſummo & imminenti vitæ diſcrimine vere timeat ſempiterna ſupplicia, id omne præſtabit quod ad ea declinanda requiritur : equidem; ſed timori adjungendo aut ſufficiendo amorem Dei : ita pariter in Sacramento.

Objicies ultimo. Circa medium ſæculum poſtremum communior erat opinio quæ Attritionis ſervilis ſufficientiam aſtruebat, ut ipſemet aſſerit ſummus pontifex Alexander VII. in decreto a nobis *ſupra* allegato.

Distinguo antecedens : communior in ſcriptis Theologorum illius temporis ; concedo : in Eccleſia aut in ſcriptis omnium Theologorum ſimul ſumptorum; nego. Porro, ut inquit Navarrus *in Manuali cap.* 27. *num.* 289. " Non videtur opinio appellanda communis ad effectum præ- „ judicandi alteri, eo ſolo quod plures eam ſequantur tanquam oves „ aliæ alias quæ præcedunt ſine judicio ſequentes : .... opinio enim „ communis non ex numero opinantium, ſed ex pondere auctoritatis „ fit : quo fit ut non ſit magnopere laudanda diligentia quorumdam „ recentiorum requirentium utrum teneant plures.

Sanchez *de Matrimonio lib.* 3. *diſp.* 44. *num.* 2. " Non ex multitudine „ auctorum, inquit poſt Juriſconſultos, quod melius & æquius eſt ju- „ dicari debet. "

Idem docet Laimanus *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. & rationem illico ſub-

jungit. " Quia nimirum, inquit, fieri ſolet ut unius ductum plures eo-
„ dem tramite, nulla nova ratione moti, velut aves avem, oves ovem,
„ ſequantur. " Alteram cauſam affert Morinus *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 3. "
„ Quod nimirum homines, ut plurimum, in cauſa relaxationis diſci-
„ plinæ & ſeveritatis morum minuendæ ita comparati ſint, ut qua da-
„ ta porta ſtatim ruant. " Quocirca, ſi unquam alias, hac certe in oc-
„ caſione cavendum tibi eſt, ne (quod vetat Deus ipſe *Exodi* 23. 2.)
„ in judicio plurimorum acquieſcas ſententiæ ut a vero devies.

An ſententia, quæ Attritionis ſervilis ſufficientiam aſſerit, antiqua ſit.

Cum in dubium eſſe poſſit an ea opinio in Scripturis extet, aut in Patribus aut antiquioribus ſaltem Theologis, idque duplici via conſtare poſſit, longiori nempe inquiſitione ſingulorum, aut brevibus hiſtoricorum aut etiam adverſariorum noſtrorum teſtimoniis; iſta tantummodo poſteriore via uti hic placet ad compendium.

Quæres itaque 1. an ea opinio in Scripturis extet.

Respondeo 1. nullum in Scripturis eſſe illius fundamentum, ut jam vidimus: multa autem contra inibi eſſe, quæ ipſi adverſentur.

Respondeo 2. hoc ipſum in confeſſo eſſe apud primos hujus Attritionis fautores.

Dominicus Soto, *in* 4. *diſt.* 19. *q.* 2. *art.* 6. " Non eſt, inquit, ex-
„ preſſa evangelica aſſertio.

Andreas Vega, quem, ut patronum, ſibi aſciſcunt, *lib. 6. in concilium Trid. c.* 28. " Et quidem, inquit, dilectionem Dei eſſe diſpoſitio-
„ nem ad juſtitiam, doctrina eſt Chriſti, Apoſtolorum, & ſanctorum
„ Eccleſiæ Doctorum.

Quæres 2. an iſti de Attritione doctrinæ Patres ſuffragentur.

Respondeo 1. neutiquam, ut hactenus patuit; imo vero illos ipſi adverſari, ut deinceps etiam manifeſtius fiet.

Respondeo 2. id adeo evidens eſſe, ut ne ab adverſariis quidem diſſimuletur. Dominicus Soto *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 3. *art.* 2. " Doctrina hæc
„ de Attritione, inquit, quæ in Sacramento fit Contritio, quamvis ſit
„ vera, non eſt tamen ita multum vetus. Patres enim antiqui ſolam
„ Contritionem agnoſcebant neceſſariam eſſe ad confeſſionem. " *Diſt.*
„ autem 19. *ſupra*, " Non eſt, inquit, evangelica aſſertio, aut eccleſia-
„ ſtica definitio; neque apud Auguſtinum aliumve iſtius claſſis aucto-
„ rem reperitur. "

Vega *itidem ſupra*, " Dilectionem, inquit, eſſe diſpoſitionem, ...
„ doctrina eſt Chriſti, Apoſtolorum & ſanctorum Eccleſiæ Doctorum.

Adde auctorem *Pentalogi diaphorici*, qui longius provehitur, aſſerens hanc fuiſſe Patrum diſciplinam, hunc morem, ut non niſi perfecte contritis abſolutionem impertiendam eſſe cenſerent: quod ex hiſtoria La-

zari, ab iis Pœnitentium reconciliationi frequenter aptata colligit.

Quæres 3. an iſta ſententia apud veteres ſaltem Theologos obtinuerit, ad concilium uſque Tridentinum.

Respondeo 1. non obtinuiſſe; quod jam ex dictis liquet, & liquebit adhuc clarius ex dicendis.

Respondeo 2. id ingenue fateri eundem Vegam; " Et quidem, inquit *lib.6.cap.* 30. dilectionem Dei neceſſariam eſſe ad noſtram juſtificationem, apud omnes Theologicos tractatores, quos legerim, receptiſſimum eſt. " Unde Morinus qui in ſcholæ antiquioris de hoc negotio placita colligenda diligenter incubuit; " Antiqui ſcholaſtici omnes, inquit *lib.* 8. *c.* 4. *n.* 7. ad annum uſque 1500. ut Patres præteream, longe copioſius, liberalius, & magnificentius de obligatione dilectionis divinæ ſtatuerunt; ut vel ex ipſis recentioribus colligitur, dum eos refutant. " Hinc etiam eſt quod Farvaquius *in quæſtione quodlibetica*, " Ante Concilium Trid. inquit nullus e ſchola Theologorum ſcholaſticorum prodiit qui doceret Attritionem ſervilem, ſaltem pœnitenti cognitam ſufficere, obtinendæ in Sacramento reconciliationi. Quod ſi forte neges, (addit) concedo, ſi vel unius auctoris profers teſtimonium, & magnam pro præſtito beneficio referes gratiam; hactenus enim ſolertiſſime quæſivi & non inveni.

Neque vero dicas Lutherum id Catholicis crimini vertiſſe, quod dicerent Attritionem ex ſolo pœnarum timore conceptam ad Pœnitentiæ ſacramentum ſufficere, & fieri Contritionem: ac proinde illud fuiſſe in ſcholis pervulgatum.

Hoc enim quaſi manifeſtam calumniam propulſarunt Theologi catholici. Javellus enim *Philoſ. chriſt. tom.* 2. *parte* 5. *c.* 5. *de ſacram. Pœnit.* " Quinto, inquit, iiſdem Eccleſiaſticis imponit; quod dixerunt Attritionem fieri Contritionem .... Lutherus & hoc ex eodem imperitiæ fonte traxit: nam ſacri Theologi *in* 4. *diſtinctione* 17. determinant id penitus eſſe impoſſibile; " ſcilicet Attritionem fieri Contritionem.

Idem tradit Viguerius *in ſuis de ſacramento Pœnitentiæ inſtitutionibus*; quod opus a ſacra Facultate Pariſ. probatum fuit. " Sciendum eſt, inquit, quod ſi Attritio dicatur dolor de peccatis voluntarie aſſumptus propter timorem ſervilem, ſic quod principium ejus ſit timor ſervilis, ut ſcilicet ſit deteſtatio peccatorum, propter metum pœnæ, vel propter Deum non ſumme dilectum, tunc Attritio nunquam fit Contritio.

Quæres 4. an eſſet illa doctrina in concilio Trid. vulgaris.

Respondeo 1. vix illius leve quoddam veſtigium deprehenſum fuiſſe in unius e Præſulibus, Granatenſis ſcilicet, oratione, ut perhibet Palavicinus.

Respondeo 2. pleroſque omnes alios aliter omnino ſenſiſſe, quod aliquando oſtendemus.

Quæ-

Quæres 5. an ea igitur opinio poſt ſynodum Trid. demum nata ſit.

Respondeo 1. ita exiſtimare Morinum *lib.* 8. *de Pœnitentia c.* 4. *n.* 2. Matholdum *in ſuis ad Pullum obſervationibus parte* 5. *c.* 31. Lupum *in epiſt. ad Henricum Noris c.* 4. ubi eam appellat & probat eſſe *heſternum commentum*; Falvaquium, *ſupra*; Caſtorienſem *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. Opſtraetum *q.* 1. *cap.* 6. *p.* 49. Queraſſium *parte* 1. *c.* 11. & alios exinde plures.

Respondeo 2. illud firmari etiam poſſe multis eorum qui per id ætatis floruerunt, aut in ea etiam ſententia verſati ſunt, Theologorum teſtimoniis.

Primo enim Melchior Canus, quem ut primarium ducem adverſarii ſequuntur, *ſupra*, " Quod Attritio ſufficiat, inquit, non eſt..... certum & indubitatum; & ideo..... communis ſententia, tenens certum, relinquens incertum, ponit Contritionem partem eſſe hujus Sacramenti.

Secundo Tapperus, quem iidem in ſuas partes ſummo ſtudio trahunt, loco nuper a nobis allato *pag.* 268. idem habet.

Tertio Dominicus Soto, qui eaſdem multum juvat, " Doctrina hæc, inquit, ... quamvis ſit vera, non eſt tamen multum vetus.

Quarto Maldonatus, qui aliter quidem ſentit, ſed quo nullus eſſe poteſt hujus facti teſtis luculentior, *tom.* 2. *de Pœnit. p.* 4. *c.* 2. & 3. afferit communem opinionem eſſe quod præceptum de amando Deo obliget, quando præceptum confeſſionis obligat.

Quinto Martinus Navarrus *in manuali cap.* 1. expendens mentem Dominici Soto de Pœnitentia, ad quam exigit Contritionem ex amore Dei profectam, ſaltem quæ ita putetur; cum decernat ad Baptiſmum ſatis eſſe Attritionem ſervilem: " Hæc doctrina inquit, licet ſatis bona videatur, quantum pertinet ad ſacramentum Pœnitentiæ; quantum tamen pertinet ad ſacramentum Baptiſmi, admodum nova mihi viſa eſt.

Sexto Ludovicus Lopes idem aperte ſignificat *in inſtructorio Pœnitentiæ parte* 1. *c.* 9. " Sed jam nunc, inquit, præcedente lumine concilii Tridentini, & quia induſtria doctorum aliquæ veritates magis illuſtratæ ſunt; audeo & hanc ſtatuere concluſionem: Probabile eſt, & non parum veritati & concilio Tridentino conſona opinio affirmativa, ſcilicet quod ad juſtitiam & remiſſionem peccatorum in ſacramento Pœnitentiæ ſatis eſt Attritio cognita. " Sic ille anno 1583. ex quo nemo eſt qui non videat inſolentem tunc & novam fuiſſe hanc opinionem. Unde Morinus *ibidem* " Hanc ſententiam aſſerere probabilem, inquit, tum illi viſum eſt aliquid inſolitum audere.

Septimo denique Suares *ſupra pag.* 268. de eadem ait, nec eſſe certam

tam nec valde antiquam, nec multum communem, idque ineunte ſuperiori ſæculo.

Quæres 6. quinam illius parentes eſſe memorentur.

Respondeo vulgo aſſignari Melchiorem ipſum Canum, & Henricum quemdam Salmanticenſem.

Primo enim id affirmat, *ſupra*, Lopes minime ſuſpectus, & hujus ævi vicinus teſtis.

Secundo Morinus *lib.* 8. *c.* 4. " Iſtius ſententiæ, inquit, auctores fuerunt Melchior Canus Franciſci Victoriæ diſcipulus, & Henricus quidam Salmanticenſis doctor. Ante hos neminem legi, qui ſic doceret aut docere perhiberetur.

Tertio Matholdus *ad c.* 31. *partis* 5. *ſententiarum Pulli*. " Merito ſcripſit Lopes, inquit, illius opinionis parentes fuiſſe Melchiorem Canum & Henricum quemdam Salmanticenſis Academiæ doctorem. "

Porro Melchior Canus magni quidem, ſed audacioris & ad novitatem propenſioris ingenii fuit, quod de ſe ipſe confitetur *initio lib.* 12. *de locis Theolog.* " Fratrem Franciſcum a Victoria, inquit, eum quem ſummum Theologiæ præceptorem Hiſpania ſingulari Dei munere accepit, ſolitum dicere audivi, poſtquam ab illius ſchola diſceſſi, ſe ingenio meo quidem egregie delectari; ſed id vereri, ne hujus excellentia quadam elatus, temere ac licenter præceptoris veſtigia conculcarem.

Quæres 7. an ad Canum uſque nulla hujus ſententiæ ſemina extitiſſent.

Respondeo extitiſſe non pauca.

Primo enim inter veteres Durandus *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *n.* 8. in eo Attritionem a Contritione diſtinguit, quod Attritio ex timore pœnæ, Contritio autem ex timore divinæ offenſæ procedat: idem repetit *q.* 2. Jam vero *diſt.* 18. *q.* 2. *n.* 6. *&* 7. de Attritione affirmat, quod, ſuperveniente Sacramento, virtute clavium fiat ſufficiens, & in Contritionem evadat. Hæc enim ambo ſi conjungantur, quis inde non exiſtimet ſequi Attritionem ſervilem ad Sacramentum eſſe ſatis.

Secundo Guido de Monte-Rocherii *tract.* 2. *de Contritione* ſic Attritionem definit ut amoris Dei ne mentionem quidem faciat: deinde vero adjicit Attritionem ad veniam peccatorum ſufficere.

Tertio Roffenſis *ad art.* 4. *Lutheri p.* 401. ait Contritionem duobus modis poſſe comparari, vel per timoris vel per amoris viam: *p.* 404. priorem, quæ charitatis eſt expers, Attritionem vocat; alteram nominat Contritionem: *art.* autem 11. ad Sacramentum ſolam exigit Attritionem.

Quarto quamvis ea ſit Hæreticis conſuetudo, ut Eccleſiæ imponat; non videtur tamen Lutherus id e cerebro extudiſſe, quod noſtris tam ſæpe & tam acriter de Attritionis ſervilis ſufficientia objecit.

Quin-

Quinto nonnulli in concilio Trid. Theologi ita decretum de Attritione adornarant, ut ea ad Sacramenti conſtitutionem ſufficere declararetur.

Sexto denique, ut conſtat ex Palavicino, Epiſcopus Granatenſis in eandem ſententiam coram Patribus Concilii Tridentini peroraverat.

Et vero cum ea ſit ejuſmodi opinionum conditio, ut non inſtar fungi una nocte matureſcant, ſed a parvis initiis ſenſim adoleſcentes, prodeant tandem in publicam lucem; credibile eſt Attritionis ſufficientiam a nonnullis fuiſſe prius indicatam, quam ex profeſſo, & ex concepta formula a Cano ejuſque aſſeclis propugnaretur.

Quæres 8. an ea quæ modo allegata ſunt in favorem Attritionis ſervilis, nulla arte poſſint ad communem ſententiam revocari.

Respondeo poſſe; quia nimirum aliud eſt, ſatis eſſe ad Sacramentum Attritionem quæ ex timore concipiatur; aliud, Attritionem quæ ſolo timore conſtet: prius aſſerunt ſupradicti ſcriptores, non alterum. Porro duplex poſſet Contritionis genus ita ſecerni, ut una ex timore initium haberet, & durare cenſeretur uſquequo accederet charitatis, & gratiæ ſanctificantis infuſio; altera vero ab eadem demum charitatis infuſione inciperet, & in omne deinceps tempus extenderetur. Sic prima Contritio, quæ Attritio diceretur, latos haberet limites intra quos excurreret. Quidni enim ab eo temporis puncto quo ex timore ortum duxiſſet, amor Dei actualis & imperfectus poſtmodum acceſſiſſet, antequam charitas infunderetur? multos enim ab eo tempore gradus facere potuit etiam in amore Dei: quandoquidem charitas vulgo non illabitur abſque variis dilectionis in Deum motibus, qui eam antecedant, eique viam parent: Poſſet ergo quis exiſtimare quod ſufficiat Attritio ex timore orta, licet non arbitraretur ſufficere Attritionem quæ in ſolo timoris gradu hæſiſſet: uno verbo poſſet quis ita loqui duntaxat, ut Contritionis perfectæ, quæ a charitate habituali originem ducit, neceſſitatem excluderet.

Profecto Sanctus Thomas *in ſuppl. qu.* 1. *art.* 1. definit Contritionem quæ Sacramento idonea eſt: ejuſmodi autem Contritionis ait cauſam principalem eſſe timorem. An ideo putat timorem illum abſque ei amore ſatis eſſe ad Pœnitentiam? nequaquam, ut deinceps videbimus. Ergo pariter &c.

Secundo Durandus *idem qui ſupra*, poſtquam Attritionem ex timore proficiſci declaravit, addit eam non tantum natura, ſed etiam tempore priorem eſſe juſtificatione. Quid ita; niſi quod lapſu temporis interveniat amor Dei, antequam juſtificatio peragatur, & ad eam neceſſarius ſit?

Tertio Guido de Monte-Rocherii, qui amorem Dei Attritione non videtur includere, ejuſmodi tamen Attritionem affirmat ſatis eſſe

ad

ad peccatorum veniam, extra Sacramentum. Dicant adverſarii an ſufficiat extra Sacramentum abſque charitate.

Quarto Roffenſis *ad art.* 4. varios enumerat gradus, quos percurrere debeat Attritio, antequam veniæ peccatorum conciliandæ par & idonea eſſe queat.

Quinto Synodi Tridentini Theologi, qui laudatum *ſupra*, *pagina* 118. de Attritione ſervili decretum concinnarant, cur ea ſufficeret cauſam attulerant; quod nempe vix abſque amore Dei eſſe queat.

Sexto eadem Synodus *ſeſſ.* 6. *capite* 6. a timore juſtificationem repetit; ſed ita tamen ut poſt timorem pœnæ, ſpes veniæ, & dilectio Dei ad eam perficiendam ſuccedant. *Capite* autem 4. *ſeſſione* 14. ſimiliter ait Ninivitas timore concuſſos egiſſe Pœnitentiam, & miſericordiam impetraſſe: an ideo ſatis eis fuit ad veniam conſequendam timor?

Septimo B. Saleſius *lib.* 2. *de amore Dei*, *cap.* 18. & 19. differit de Pœnitentia quam parit gehennæ metus, & tamen ſtatim ſubjicit eam non ſufficere, niſi amore Dei ſuffulciatur: "Pœnitentia, inquit, quæ divinum amorem „ non excludit, quamvis adhuc ſine eo ſit, bona eſt & optanda Pœnitentia, „ ſed imperfecta, & quæ ſalutem nobis dare non poteſt donec ad amorem „ provecta ſit.

Quæres 9. quibus gradibus hæc de Attritionis ſervilis ſufficientia opinio ad eam celebritatem, quam nuper habuit in ſcholis, pervenerit.

Respondeo hos fuiſſe gradus, quantum ex *ſupra* dictis & hiſtoria Theologiæ noſtræ id colligi poteſt.

Primo inter ipſa ſcholarum initia, plerique Contritionem perfectam ad veniam peccatorum Sacramento Pœnitentiæ præviam eſſe oportere cenſuerunt.

Secundo alii, cum ipſis videretur e dignitate eſſe hujus Sacramenti ut culpam in ipſa ſui adminiſtratione deleret, affirmarunt primam gratiam Sacramento conferri; non quidem ſententia, & abſolutione Sacerdotis, ſed ejus precibus, quæ eam antecedunt. Tales ſunt Alexander Alenſis, Sanctus Bonaventura, Sanctus Thomas, &c. hi enim nolunt a Sacerdote eum abſolvi, qui prius a Deo abſolutus non fuerit. Verum cum iſtud necdum omnibus ſatisfaceret; idcirco.

Tertio plurimi, ad amplificandam magis ac magis Sacramenti efficaciam, decreverunt ipſa Sacerdotis ſententia, & abſolutione gratiam iis concedi poſſe, qui nondum eam Contritione haberent, ſed attriti tantum eſſent. Atque in hoc dogmate aſtruendo ac promovendo præcipuam operam navavit Scotus, quem exinde multi ſecuti ſunt. Sed ii in hac ipſa Attritione amorem Dei includebant vulgo ad ſæculum uſque poſtremum, quo tempore.

Quar-

Quarto nonnulli, cùm fieri poſſet ut quis ſe vero Dei amore flagrare exiſtimaret nec flagraret tamen, ſic placitum illud temperarunt, ut Attritionem quidem amore ornatam poſtularent; ſed crederent tamen ſatis fore, multis in caſibus, ſi talis putaretur, etſi forſan talis non eſſet: de quo lege Roffenſem *ſupra*; Franciſcum Victoria *relect.* 1. *de poteſt. Eccleſiæ*, *ſect.* 3. Dominicum Soto *ſupra & natura & gratia cap.* 15. Vega *lib.* 13. *in Conc.Trid.cap.* 25.

Quinto plures, ac præſertim poſt Concilium Tridentinum hoc audaciores facti, aſſerere veriti poſtmodum non ſunt Attritionem ſervilem, etiam cognitam, vulgo ſufficere. Sed, cum eam periculoſam eſſe nec admodum tutam ſcirent, noluerunt ut quis ei in extremo vitæ diſcrimine confideret. Ita Suares, Sanchez, Becan, Comitolus, & Gamachæus, qui poſt ſæculi poſterioris initium ſcripſerunt.

Sexto alii, cum animadverterent nihil licere per vitam quod in ipſo mortis articulo non liceat; nulla temporum diſtinctione facta, Attritionem ſervilem ſemper & ubique abſque diſcrimine ad veniam peccatorum ſufficere pronuntiarunt. In eo autem, cum & Sacramento honorificentius & peccatoribus commodius appareret, maxima recentium turba deinceps acquievit.

Septimo denique, inde quidam eo proceſſerunt, ut amorem Dei non tantum ad Sacramentum non flagitaverint ut neceſſarium, ſed eum quoque ut importunum, & efficaciæ ejus officientem exploſerint.

Ex his manifeſtum eſt novam eſſe hanc de Attritionis ſervilis ſufficientia opinionem: quod ſi ita eſt, falſa eſt. Eſt enim ratum apud Theologos illud Tertulliani dictum *de præſcript. cap.* 31. " id eſſe Dominicum & verum, quod " ſit prius traditum; id autem extraneum & falſum quod ſit poſterius im- " miſſum.

SECTIO III.

De amoris Dei ad veram & legitimam Attritionem neceſſitate.

Tria hic ſuperſunt quam fieri poterit breviſſime expendenda; Primum, an requiratur ad Pœnitentiam actualis amor Dei: Secundum, an is amor debeat eſſe prævalidus, & cordi dominans: Tertium, qualis ejuſmodi amor dici debeat.

An amor Dei requiratur ad ſacramentum Pœnitentiæ.

ASSERTIO.

Requiritur ad Pœnitentiæ ſacramentum actualis amor Dei.

Hæc aſſertio tanti momenti eſt, nihil ut eorum a nobis prætermitti oporteat, quibus illa firmari poſſit; atque adeo eam ſtabilimus 1. pondere Scripturarum, 2. Patrum teſtimoniis. 3. Theologorum auctoritate, 4. multis rationibus.

ARGUMENTA.

Argumentum primum ex Scripturis.

Multiplex argumentum deſumi poteſt ex Scripturis.

Primum ex iis Scripturæ locis, quæ ad remiſſionem peccatorum exigunt hominis ad Deum converſionem, idque ex toto corde.

Deut. cap. 4. verſ. 29. Moſes Judæis viam aperiens, qua ad Deum redire poſſent, *Cum quæſieris ...., Dominum Deum tuum*, inquit, *invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.*

1.Reg.7 3. Samuel ſalutaris Pœnitentiæ conditiones deſcribens, *Si in toto corde veſtro revertimini ad Deum*, inquit .... *ſervite ei ſoli; & eruet vos de manu Philiſtiim.*

3.Reg.8.48. & 50. Salomon iis qui ex toto corde redierint ad Deum indulgentiam apprecatur & promittit: *Si reverſi fuerint ad te in univerſo corde ſuo & tota anima ſua, ... propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum.*

2.Paral.30. 18. & 19. idem ſpondet Ezechias. *Dominus bonus*, inquit, *propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum.*

Ezech. 18.30.& 31. *Convertimini & agite Pœnitentiam: facite vobis cor novum & ſpiritum novum.*

Joel 2.12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro .... ſcindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra.*

Hæc enim & ſimilia non ad veterem legem tantum, ſed etiam ad novam pertinere, omnique tempore ad veniam peccatorum neceſſaria fuiſſe, non tantum indicat ſynodus Tridentina dum iiſdem utitur *ſeſſ. 6. cap. 6. & ſeſſ. 14. cap. 4.* ſed etiam diſerte aſſerit. Ex iis autem patet, ad reparandam poſt peccata admiſſa gratiam Dei, requiri converſionem hominis ad Deum, idque ex toto corde; ita ut fiat cor novum & ſpiritus novus: quod Auguſtinus brevi ſententia complectitur, dum ait *in Pſ.32.* "Deum converſis ad ſe donare peccata, non conver-
„ ſis non donare." Quam in rem lege inſuper Fulgentium, *lib. 1. de remiſſ. pecc.*

*pecc. cap.*4.6.8.11.12.15. & Caſtorienſem *lib.*1.*cap.*5. ſuper eo graviter & docte differentes.

Atqui hominis ad Deum converſio ex toto corde, nec eſſe nec intelligi poteſt abſque amore Dei.

Primo enim, quod de ſe Auguſtinus dicebat *lib.*13. *confeſſ. cap.*9. " Amor „ meus, pondus meum; illo feror quocumque feror: " de quolibet homine eſt veriſſimum. Eſt enim amor veluti pes animæ, quo ſingula perſequitur: cum ergo a Deo longe abiit peccando amore creaturæ, non poteſt inde niſi amore ad Deum reverti.

Deinde vero, multo minus ſine amore Dei fieri poteſt abſoluta cordis converſio; ut enim ait Bernardus *ſerm.* 2. *in capite jejunii*, cor ex quatuor affectibus, amore & timore, gaudio & triſtitia coaleſcit. " Totum enim, inquit, cor hominis in his quatuor affectionibus eſt: „ & de his accipiendum puto quod dicitur, *In toto corde tuo conver-* „ *taris ad Dominum*. Convertatur proinde amor tuus, ut nihil om- „ nino diligas niſi ipſum, aut certe propter ipſum. Convertatur „ etiam ad ipſum timor tuus, quia perverſus eſt timor omnis quo „ metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic gaudium tuum & triſtitia tua æque convertatur ad ipſum. Hoc autem ita fiet, ſi non niſi ſecundum eum doleas aut læteris. Totum igitur cor noſtrum ad Deum convertitur, dum nihil perinde cupit quam ipſo perfrui, nihil perinde metuit quam ab ipſo ſeparari; dum de nulla re magis quam de ipſius gaudet honore. " Unde & *epiſt.* 11. ait de charitate, quod ſola ſit quæ ab amore ſui & mundi convertere poſſit animam & in Deum dirigere. Hoc vero ipſum ratio demonſtrat tam evidenter, ut qui id non videt, media in luce cæcutiat. Quid enim cor niſi amor? in corde ſaltem præcipuum locum amor obtinet. Totum ergo cor a creatura non convertitur ad Deum, ubi amor qui prius erat creaturæ in amorem Dei non mutatur.

PROBATUR 2. dictis Chriſti. Matth.10.37. *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus, &c.* Marc.8.34. *Si quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Luc. 14. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem, ... adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Quocirca qui Deo plus aliquid dilexerit, aut Deum plus omnibus non dilexerit, is Chriſto indignus eſt, & cum eo eſſe non poteſt. " De quo dicit Chriſtus, *Non eſt me dignus*, inquit Sanctus Augu- „ ſtinus *ſerm.*349. *num.* 7. non eſt cum illo: qui cum illo non erit, ubi „ nam erit? .... Time ſine illo eſſe; quia eum Diabolo eris, ſi cum Chri- „ ſto non fueris.

Id autem pronuntiat Chriſtus de amore alias innoxio, parentum videlicet ac ſui ipſius: ac proinde nullus eſt omnino creaturæ amor, quantumlibet rectus ille videatur, qui amore Dei major eſſe; nullus qui eo minor eſſe non debeat.

At

At qui ad Sacramentum accedit ſine ullo amore Dei, is certe aliquid amat, nec amat Deum: ergo plus Deo aliquid diligit; multumque ab eo abeſt ut Deum plus cæteris diligat: ergo Chriſto dignus non eſt: ergo cum Chriſto eſſe non poteſt.

PROBATUR 3. Apoſtoli verbis 1. *ad Cor.* 13. ubi, poſtquam aſſeruit omnia, ſive linguarum, ſive prophetiæ, ſive ſcientiæ ac Dei dona ſine charitate nihil prodeſſe, ſic addit v. 3. *Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodeſt.*

Illic agit Apoſtolus de vera ac minime fucata charitate, (Dei an proximi, nihil intereſt; una enim charitas eſt utriuſque) agit autem de charitate non inerti, & otioſa, quæ duntaxat ornamento ſit; ſed actuoſa & efficaci, ut conſtat ex iis quæ *ibidem* a Paulo ipſi attribuuntur.

Porro, ſi abſque hujuſmodi charitate nihil omnino proſit, ipſum etiam martyrium; quanto minus timor gehennæ? nam martyrium Sacramentis æquiparatur.

PROBATUR 4. ex eodem Apoſtolo ibid. 16, 22. *Si quis amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

Igitur quandiu quis non amat Chriſtum, anathemati ſubjectus eſt, & obnoxius æternis pœnis. Sed qui dignus eſt anathemate æterniſque pœnis, is abſque dubio veniæ peccatorum idoneus non eſt. Ergo.

PROBATUR 5. ex *Epiſt.* 1. *Joan.* 3. 14. ubi de eadem, qua Paulus, actuoſa charitate ſive Dei ſive proximi, quod perinde eſt, loquens, *Qui non diligit*, inquit, *manet in morte*. Si enim manet in morte quiſquis non diligit; ergo vitam amiſſam non recuperat, qui Deum non amat; ergo nec veniam peccatorum conſequitur, nec gratiam Dei, quæ ſola animæ vita eſt, ut frequenter affirmat Auguſtinus, & probat Caſtorienſis *lib.* 1. *cap.* 3.

Argumentum ſecundum ex Patribus.

Tertullianus *de Pœnit. cap.* 4. docens quo pacto ſit pœnitendum, " Pœniteat, inquit, amaſſe quæ Deus non amat; quando ne nos quidem ipſi ſervulis noſtris ea quibus offendimur, non odiſſe permittimus." Quapropter juxta Tertullianum ad veram legitimamque Pœnitentiam neceſſe eſt ut quis peccatum deteſtetur, quia diſplicet Deo; quia Dei offenſa eſt: atqui ejuſmodi deteſtatio, ex S. Thoma & omnibus paſſim Theologis, in timore filiali, atque adeo in amore Dei fundatur. Ergo.

Clemens Alexandrinus *lib.* 4. *Stromat.* " In charitate, inquit, conſummati ſunt omnes electi Dei; abſque charitate nihil eſt gratum Deo." Ergo Deo non placet Pœnitentia charitatis expers. Ergo eum placare nequit.

Cyprianus *de lapſis*, " Convertamur, inquit, ad Dominum mente
„ tota, & Pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei
„ miſericordiam deprecemur ..... Rogare qualiter debeamus, dicit ipſe:
„ *Revertimini*, inquit, *ad me ex toto corde veſtro* ..... Ad Dominum
„ toto corde redeamus ..... Quam magna deliquimus, tam granditer de-
„ fleamus: Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit. Pœni-
„ tentia crimine minor non ſit. " Atqui, ut patet pauliſper ad hanc ſen-
tentiam attendenti, hæc omnia peragi non queunt ſine amore. Qua
enim ratione verbi gratia totum cor ad Deum convertetur, ſi
amor, qui cordis primus ac præcipuus eſt motus, in Deum non
feratur?

Sanctus Hilarius *cap.4. in Evang. S. Matthæi*, " Charitas, inquit, pluri-
„ mum peccatorum tegit, & errorum noſtrorum ambitioſa apud Deum pa-
„ trem patrona eſt.

S. Ambroſius *lib.7. in Luc. cap.7.* " Qui metuit, inquit, reprimitur, non
emendatur.

Sanctus Chryſoſtomus *homil.* 4. *in* 2. *ad Corinth.* " Cum peccave-
„ ris, inquit, ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis, hoc enim
„ nihil eſt; ſed quod Deum offenderis tam benignum, tam tui aman-
„ tem, tamque ſaluti tuæ appenſum, ut filium quoque ſuum tua cauſa
„ tradiderit.

S. Hieronymus *in Matth. ſupra pag.* 29. Mundos eſſe vult Pœnitentes
antequam a Sacerdote ſolvantur: mundi autem eſſe ſine amore Dei non
poſſunt: ergo.

Auguſtinus idem multifariam tradit: affirmat enim 1. ſolum gehen-
næ metum pravam voluntatem mutare non poſſe. Vide *ſupra*, *de timo-
ris ſervilis inſufficientia pag.* 252. *& ſeq.* 2. Neminem poſſe dici odiſſe
peccatum, niſi quantum juſtitiam diligit. *epiſt.* 45. *ad Anaſtaſium*
" Tantum porro quiſque peccatum odit quantum juſtitiam diligit " 3.
Deſiderium malefaciendi non tolli niſi contrario deſiderio recte facien-
di &c. *lib.* 2. *contra adverſarium legis c.* 7. " Deſiderium peccandi non
„ extinguitur niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dile-
„ ctionem operatur " 4. Deo nos non reconciliari niſi per dilectionem:
ſerm. 23. *in Pſ.* 118. " Si non diligendo illa facimus, nulla eſt
juſtificatio: " & *ſerm.* 1. *in Pſ.* 103. " Munus Sacramentorum in
„ Baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris ſanctis Sacramentis quale mu-
„ nus eſt? .... non ſe jactent qui forte ſine charitate habuerint hoc
„ munus Dei ſanctum: .... quia *Si habeam omnem prophetiam*, *charita-
„ tem autem non habeam*, *nihil ſum.* " 5. Pœnitentem a Sacerdote ſol-
vi non debere niſi, exemplo Lazari, a Deo prius ſuſcitatus jam vivat:
in Pſ. 101. *ſerm.* 2. " Remiſſio peccatorum ſolutio eſt: quid prodeſſet
„ Lazaro, quia proceſſit de monumento, niſi diceretur *Solvite eum &
„ ſinite abire.*? Ipſe quidem (Chriſtus) voce de ſepulchro ſuſcitavit:
„ .... & proceſſit ille (Lazarus) vinctus. Non ergo pedibus propriis,
„ ſed

„ ſed virtute producentis fit hoc in corde pęnitentis. Cum audis homi-
„ nem pęnitere peccatorum ſuorum, jam revixit: cum audis hominem
„ confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulchro eductus eſt,
„ ſed nondum ſolutus: quando ſolvitur? quibus ſolvitur? *Quæ ſolveri-*
„ *tis*, inquit, *in terra* &c. " Vitam autem animæ eſſe ſolam dilectionem
& charitatem Dei ait *in Pſ.* 54. " Vita noſtra dilectio eſt: ſi vita
„ dilectio, mors odium eſt. " 6. Dominari ibi cupiditatem ubi non
eſt charitas: *in Enchir.* 117. " Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt
„ Dei charitas. " 7. Voluntatem hominis non poſſe in medio ita
conſiſtere, ut nec bona nec mala ſit; quia aut juſtitiam diligit, & bo-
na eſt; aut non diligit, & mala eſt: *lib.* 2. *de peccat. meritis cap.* 18.
" Mirum ſi poteſt voluntas in medio quodam ita conſiſtere, ut nec
„ bona nec mala ſit. Aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt; aut
„ ſi omnino non diligimus, non bona eſt. Quis vero dubitet dicere,
„ voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem, non modo eſſe malam,
„ ſed etiam peſſimam voluntatem. " 8. Sacramenta nihil prodeſſe ab-
ſque charitate: lib. 2. contra *Petilianum num.* 172. " Teneamus chari-
tatem ſine qua & cum Sacramentis & cum fide nihil ſumus.

Petrus Chryſologus *ſermone* 94. " Abſolvi vis? ama: charitas ope-
„ riet multitudinem peccatorum . . . . Dilectio delet & abluit univerſa
„ peccata.

Cæſarius Arel. *quodam in ſermone, qui ipſi nunc tribuitur, qui olim erat inter Auguſtinianos ſeptimus de tempore.* " Pœnitentiam certam non facit niſi
„ odium peccati & amor Dei.

Gregorius Magnus *in cap.* 27. *Job.* " Sancta Eccleſia, inquit, ſim-
„ plicitatis ſuæ, & rectitudinis regulas timore inchoat, ſed charitate
„ conſummat: cui tunc eſt funditus a malo recedere, cum ex amore
„ Dei cœperit jam nolle peccare. " *lib.* autem 6. *in* 1. *Reg. cap.* 15
" Salubriter, inquit, confiteri volentibus Scriptura inſinuat dicens
Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Quid
„ enim eſt corde credere ad juſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad fi-
„ dem per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem
„ ad juſtitiam per amorem dirigit, ... hic certe jam ad ſalutem con-
„ fitetur.

Iſidorus Hiſpalenſis *ſentent. lib.* 2. *cap.* 3. " Sine amore charitatis, quamvis
„ quiſque recte credat, ad beatitudinem pervenire non poteſt, quia tanta
„ eſt charitatis virtus, ut etiam martyrium (atque adeo ipſa Sacramenta)
„ ſine illa nihil eſſe credantur.

Beda *in cap.* 13. 1. *Cor.* exponens illa verba Apoſtoli de neceſſitate
charitatis " *Et ſi ſciero omnia Sacramenta & omnem ſcientiam, & ſi ha-*
„ *buero omnem prophetiam, & omnem fidem, ita ut montes transferam,*
„ *charitatem autem non habeam, nihil ſum.* " Poſtquam dixerat abſque
„ dilectione Dei ne ipſum quidem Baptiſmum prodeſſe; ſic habet:
" Si dixit (Apoſtolus,) inquit, nihil eſſe, ſi non habeat charita-

 „ tem,

„ tem , non Sacramenta, & ſcientiam, & prophetiam, & fidem; illa „ enim magna ſunt; etiamſi ille nihil ſit, qui ea ſine charitate habuerit, & eorum veritatem in ſua iniquitate tenuerit. “ Nullum itaque judicio Bedæ Sacramentum, quod abſque charitate non ſit inutile & infructuoſum.

Burchardus Wormatienſis *lib.* 19. *decreti* , *cap.* 32. Propter nudum „ gemitum , inquit , & propter nudum nomen Pœnitentiæ nullus ſalvabitur ; ſed per veram confeſſionem , ſed per Sacerdotis intelligen„ tis conſilium , & per charitatis affectum .... peccatorum moles ob„ ruitur.

Sanctus Bernardus *ſupra* , *epiſt.* 11. “ Sola quæ in filio eſt charitas , in„ quit, non quærit quæ ſua ſunt: quamobrem puto de illa dictum *Lex* „ *Domini immaculata convertens animas* , quod ſola videlicet ſit, quæ ab „ amore ſui , & mundi convertere poſſit animam, & in Deum dirigere. „ Nec timor quippe, nec amor privatus convertunt animam : mutant in„ terdum vultum vel actus ; affectum nunquam. “ Huc adjice *ſerm.* 5. *de S. Andrea*.

Petrus Bleſenſis *de confeſſione Sacramentali* : “ Nemo , inquit , de momentanea “Contritione vel affluentia lacrymarum præſumat .... nul„ la affectio pia meritoria ad ſalutem , niſi ex Chriſti dilectione pro„ cedat.

Sic illi Patres in ſententiam noſtram diſertiſſime. Id autem ita manifeſtum eſt , ut ne ab adverſariis quidem noſtris negetur : quod nuper referebamus.

Deinde vero hoc ipſum poſtulat Lazari exemplum, apud veteres illos Eccleſiæ doctores in hoc argumento adeo pervulgatum . Ut enim Sanctus Auguſtinus ait *in Pſal.* 54. “ Vita animæ dilectio Dei eſt , “ quod etiam philoſophi notant: imo & ipſi diaboli ſciunt, eodem teſte, nullam aliam eſſe animæ vitam quam charitatem.

Si ergo, Lazari ad inſtar, oportet ut prius Deo Pœnitens vivat quam a Sacerdotibus ſolvatur, nullum dubium eſſe poteſt , quin charitate debeat animari.

Atqui quod Pœnitens vivere Deo debeat antequam ab Eccleſia ſolvatur, omnes, ut ita dicam, antiqui ſentiunt; v. g. Irenæus ; Ambroſius; Auguſtinus *in Pſal.* 102. *ſerm.* 2. *&* *tract.* 22. *in Joann. nu.* 7. Auctor libri *de vera* , *&* *falſa Pœnitentia* , *cap.* 10. Eucherius Lugdunenſis, Gregorius Magnus *hom.* 26. *in Joan.* Eligius Noviomenſis; Beda ; Nicolaus I. Hincmarus; Synodus Aquiſgran. Chriſtianus Druthmarus *in cap.* 10. *Matth.* Radulphus Flaviacenſis *lib.* 12. *in Leviticum cap.* 1. Ivo Carnotenſis ; Patricius ; Odo Cluniacenſis *ſerm. de Maria Magdalene* ; Gerardus Cameracenſis ; Brunus Sygnienſis *in Joann. par.* 2. *cap.* 9. Rupertus *lib.* 10. *in Joannem* , *cap.* 11. Goffridus Vindocinenſis *ſerm.* 5. Radulphus Ardens *homil. in Dominicam primam poſt Paſcha*: de quibus conſule quæ diximus *quæſt.* 1. *artic.* 3. *aſſert.* 4.

Qua-

Quapropter jure nemo ambigat quin hanc in partem patres inclinent. Unde auctor *Pentalogi diaphorici* inter laxioris diſciplinæ magiſtros nobilis ſcriptor, " Exemplum reſurrectionis Lazari, inquit, quo
„ Patres ſæpius utuntur, ſatis ſignificat non dari tum temporis abſo-
„ lutionem, niſi illis qui credebantur perfecte contriti: & propterea
„ emendationem vitæ exigebant, quaſi perfectæ Contritionis ſignum;
„ ut ſic Sacerdos non abſolveret niſi eum quem prius Deus abſolviſſet. "
In quo ille plus juſto liberalior eſt. Illud enim largitur quod ne ipſi quidem poſtulamus.

Argumentum tertium ex veteribus Theologis ante Concilium Tridentinum.

Quam de divinæ ad reconciliationem charitatis neceſſitate doctrinam a majoribus acceperant veteres Theologi, hanc eandem ut depoſitum ſibi creditum non ſolum fideliter cuſtodierunt, ſed & tranſmiſerunt ad poſteros.

Atque in iſtud quidem de amore Dei dogma conſenſerunt, in eo tantum a ſe invicem diſtracti, quod propter varia & ambigua Patrum dicta, alii actualem amorem ſufficere, alii habitualem etiam Sacramento præire oportere putarent. De his poſtremis jampridem locuti ſumus ubi de Contritionis perfectæ defenſoribus.

Amorem igitur Dei ad Sacramentum requiri inprimis cenſuerunt,

Primo Ricardus Vict. *lib.* enim *de poteſtate ſolvendi ac ligandi*, " Qui ve-
„ raciter de ſuis criminibus pœnitent, inquit, pro certo jam charitatem
„ habent.

Secundo Hugo Vict. *lib.* 4. *Miſcellaneorum*, *cap.* 77. ubi, " Trifor-
„ mis eſt, inquit, odor vitæ; non delinquere, quod agit timor ſer-
„ vilis; nolle delinquere, quod operatur filialis: non poſſe delinque-
„ re, quod confert gloria perennis. Primi ſunt ſervi: ſecundi filii:
„ tertii beati.

Tertio Robertus Pullus *ſupra*, *cap.* 31. *par.* 5. " Quiſquis dum pœnitet,
„ inquit, ſolo timore angitur, nondum per Pœnitentiam veniam mere-
„ tur. Verum qui largitur timorem, ut ex timore pœnitendi neceſſitatem
„ incutiat, is cum Pœnitentia largietur amorem, ut ſit Pœnitens venia
„ dignus.

Quarto Hugo Lotharienſis.

Quinto Magiſter Sententiarum *lib.* 4. *diſt.* 17.

Sexto Bandinus, de quo Dentius *n.* 93. *in* 4. *diſt.* 20.

Septimo Innocentius III. *in* 2. *Pſal. Pœnit.*

Octavo Cæſarius Heiſterbacenſis *lib.* 3. *de confeſſ. cap.* 1.

Nono Guillelmus Altiſſ. *lib.* 4. *ſumm. tract.* 6. *cap.* 8. *qu.* 1. *art.* 1. & *diſt.* 8. *art.* 3.

Sex enim iſti, ut *ſupra*, *pag.* 89. & *ſequ.* docuimus, a pecca-

to immunem, & gratia ſanctificante exornatum eum] eſſe debere pronuntiant, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ ſeſe offert. Sola porro charitas eſt quæ peccata deleat, & hominem faciat gratum Deo.

Decimo Guillelmus Pariſienſis quem *ſupra* vindicavimus: ait enim 1. Attritionem non ſpecie, ſed duntaxat gradu differre a Contritione: 2. Attritioni conjunctum eſſe amorem præparatorium, quo Deus ametur ſecundum quod Deus: 3. peccatorem, ut indulgentiam ſcelerum etiam in Sacramento conſequatur, moveri oportere non ſolum motu timoris, ſed etiam fidei ac ſpei, ac denique in Deum dilectionis. *Tract. de Pœnit. fol.* 31. " Neceſſe eſt ut moveatur, qui atteritur vel „ conteritur, motu fidei, ſpei: .... neceſſe eſt etiam ut moveatur „ motu dilectionis alicujus, ſive illa ſit charitas ſive non. " *Paulo an-* „ *te*, " Amore præparatorio amatur Deus ſecundum quod Deus, & „ propter id quod eſt Deus; quemadmodum amore qui charitas dici- „ tur. Quare erunt ejuſdem ſpeciei amor præparatorius, & amor qui „ charitas dicitur. Et ſi quis quærat quæ ſit differentia inter Attri- „ tionem & Contritionem, dico quod Attritio ad Contritionem ſic „ eſt, ſicut vulneratio non lethalis ad occiſionem; .... ſicut calefa- „ ctio ad arſionem; & ſicut illuminatio ad irradiationem; hoc eſt, „ ſicut lumen crepuſculi ad radium ſeu meridiem. " *Et infra* " Amor „ quo quis amat Deum ſcilicet præparatorie, & amor quem quærit, „ & quo nondum amat (charitas ſcilicet) ſunt unius & ejuſdem, „ videlicet Dei, & ſecundum idem & propter idem. Sunt igitur unius „ & ejuſdem ſpeciei: & ita non differunt, niſi ſecundum magis, & „ minus.

Undecimo Albertus Magnus, cujus mentem de Contritione perfecta, & de Attritionis a Contritione, penes gradum duntaxat, & juxta eandem ſpeciem, diſtinctione, non uno in loco patefecimus.

Duodecimo Alexander Alenſis. Præter illa enim quæ ex ipſo olim adduximus, *par.* 4. *qu.* 17. *memb.* 3. *art.* 1. §. 5. ſtatuit, " Dolorem qui eſt in „ diſplicentia voluntatis debere eſſe maximum; debet enim maxime & ſumme diſplicere Pœnitenti quod offenderit Deum & illo peccato ſuo amiſeſerit. " Qui certe dolor ex ipſo Dei ut optimi parentis & ultimi omnium finis amore proficiſcitur.

Decimotertio Sanctus Bonaventura *in* 4. *diſt.* 17. *parte* 2. *quæſt.* 4. " Dicendum, inquit, quod nemo recipit effectum Sacramenti, niſi „ charitatem habeat.

Decimoquarto B. Raimundus a Pennaforti, de quo ſat multa quondam retulimus *pag.* 92.

Decimoquinto Vincentius Bellovacenſis, qui ſua ex illo & Alenſi tum ſenſa tum verba expreſſit.

Decimoſexto Robertus de Sorbona, qui *in itinere paradiſi* tres diætas diſtinguit, quas percurrere debet quicunque ad veniam peccatorum in Sa-

Sacramento contendit, antequam eo perveniat ; primam timoris gehennæ, ſecundam ſpei, tertiam charitatis, quæ Deum, ſine ullo aut pœnæ aut mercedis intuitu diligat. " Quantumcunque (enim, inquit,) de peccato doleas finaliter propter hoc quod ſcis te damnandum, ... etſi rogaveris Deum ut tui miſereatur ; non exaudiet, licet bona infinita propter hoc facias : ſed poterit tibi dicere, Vade in infernum, ut accipias ibi mercedem tuam.

Decimoſeptimo S. Thomas, quo nullus eſt aut eſſe poteſt in hanc ſententiam teſtis luculentior, idque in multis locis ;

1. 2. *quæſt.* 113. poſtquam enim *art.* 3. affirmavit ad juſtificationem neceſſarium eſſe liberi arbitrii motum, quo a peccato ad juſtitiam accedat ; *art.* 4. explicat quotuplex motus ad id requiratur ; aitque eſſe quadruplicem, primum fidei, ſecundum dilectionis in Deum, tertium humilitatis, & timoris filialis, &c. " Prima autem converſio in Deum, inquit, fit per fidem : .... (ſed) motus fidei non eſt perfectus, niſi ſit charitate informatus. Unde ſimul in juſtificatione impii, cum motu fidei eſt etiam motus charitatis : movetur autem liberum arbitrium in Deum adhoc ut ei ſe ſubjiciat ; unde etiam concurrit actus timoris filialis, & actus humilitatis.

Ibid. art. 5. " Dicendum, inquit, quod juſtificatio impii eſt quidam motus quo humana mens movetur a Deo a ſtatu peccati in ſtatum juſtitiæ. Oportet igitur quod humana mens ſe habeat ad utrumque extremorum ſecundum motum liberi arbitrii, ſicut ſe habet corpus localiter motum ab aliquo movente ad duos terminos motus. Manifeſtum eſt autem in motu locali corporum, quod corpus motum recedit a termino a quo, & accedit ad terminum ad quem : unde oportet quod mens humana, dum juſtificatur, per motum liberi arbitrii recedat a peccato, & accedat ad juſtitiam. Receſſus autem & acceſſus in motu liberi arbitrii accipitur ſecundum deteſtationem & deſiderium. Dicit enim Auguſtinus *ſuper Joannem* exponens illud, *Mercenarius autem fugit*. Affectiones noſtræ motus animorum ſunt ; lætitia, animi diffuſio ; timor, animi fuga eſt ; progrederis animo cum appetis, fugis animo cum metuis. Oportet igitur quod in juſtificatione impii ſit motus liberi arbitrii duplex ; unus quo per deſiderium tendat in Dei juſtitiam : & alius quo deteſtetur peccatum.

3. *parte*, *quæſt.* 85. *art.* 2. *in corpore & ad* 1. ubi quærit an Pœnitentia ſit ſpecialis virtus ; duo ſecernit in Pœnitentia, odium peccati, & actum ex hoc odio manans, quo Pœnitens peccatum in ſe deſtruit, & honorem Dei læſum reparat : tum addit, odium & diſplicentiam de peccato immediate ad charitatem pertinere, ut actum ab ea elicitum ; ipſam vero peccati deſtructionem & reparationem honoris divini, ad aliam virtutem, quæ charitatis imperio obnoxia ſit, & ejus juſſa faceſſat. Unde liquet Pœnitentiam utraque ex parte non poſſe ſine charitate conſiſtere.

Ibid. art. 3. ubi diſputat an Pœnitentia ſit ſpecies juſtitiæ : *in corpore*; " Dicendum , inquit , quod Pœnitentia non habet quod ſit vir-
„ tus ſpecialis ex hoc ſolo quod dolet de malo perpetrato ; ad hoc enim
„ ſufficeret charitas : ſed ex eo quod Pœnitens dolet de peccato com-
„ miſſo, in quantum eſt offenſa Dei. " *Ibid.* ſubjungit *ad* 4. " Quod
„ odium vitiorum pertineat ad charitatem.

Ibid. art. 3. differens de timore qui vulgo ſtatuitur principium Pœnitentiæ , " De Pœnitentia poſſumus loqui quantum ad actus, quibus
„ Deo operanti in Pœnitentia cooperamur , quorum actuum primum
„ principium eſt Dei operatio convertentis cor : . . . 2. actus eſt mo-
„ tus fidei : 3. eſt motus timoris ſervilis , quo quis timore ſupplicio-
„ rum a peccatis retrahitur : 4. actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe
„ veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi : 5. actus eſt mo-
„ tus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum & non
„ jam propter ſupplicia : 6. actus eſt motus timoris filialis, quo pro-
„ pter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert . Sic
„ igitur patet quod actus Pœnitentiæ a timore ſervili procedit , ſicut
„ a primo motu affectus ad hoc ordinato; a timore autem filiali ſicut
„ ab immediato ac proximo principio.

Ibid. art. 6. " Sicut in 2. parte habitum eſt (1. 2. *q.* 113. *art.* 3. *&*
„ 8.) in juſtificatione impii ſimul eſt motus liberi arbitrii in Deum
„ (qui eſt actus fidei per charitatem formatus,) & motus liberi arbi-
„ trii in peccatum , qui eſt actus Pœnitentiæ . Horum tamen duorum
„ actuum primus naturaliter præcedit ſecundum . Nam actus virtutis
„ Pœnitentiæ eſt contra peccatum ex amore Dei ; unde primus actus,
„ id eſt actus fidei charitate formatus, eſt ratio ac cauſa ſecundi.

Ibid. q. 86. *art.* 3. expendens an unum peccatum poſſit ſine alio remitti , " Impoſſibile eſt per Pœnitentiam unum peccatum (mortale)
„ ſine alio remitti : 1. quidem quia peccatum remittitur in quantum tol-
„ litur offenſa Dei per gratiam ; . . . omne autem peccatum mortale con-
„ trariatur gratiæ & excludit eam : . . . 2. quia, ſicut oſtenſum eſt , pec-
„ catum mortale non poteſt ſine vera Pœnitentia remitti, ad quam per-
„ tinet deſerere peccatum in quantum eſt contra Deum ; quod quidem
„ eſt commune omnibus peccatis mortalibus : ubi autem eſt eadem ratio ;
„ & idem effectus. Unde non poteſt eſſe vere Pœnitens qui de uno pec-
„ cato pœnitet, & non de alio : ſi enim diſpliceret ei illud peccatum ,
„ quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum (quod requiritur ad ratio-
„ nem veræ Pœnitentiæ,) ſequeretur quod de omnibus peccatis pœnite-
„ ret. Unde ſequitur quod impoſſibile ſit unum peccatum per Pœniten-
„ tiam remitti ſine alio. "

In ſupplemento q. 3. *art.* 1. oſtendens eum qui de peccatis concipitur dolorem debere eſſe maximum , " In Contritione, inquit, eſt duplex
„ dolor : unus eſt in ipſa voluntate, qui eſt eſſentialiter ipſa Contri-
„ tio, qui nihil aliud eſt quam diſplicentia præteriti peccati ; & talis
„ dolor

„ dolor in Contritione excedit omnes alios dolores : quia quantum ali-
„ quid placet, tantum contrarium ejus diſplicet : finis autem ultimus
„ ſuper omnia placet, cum omnia propter ipſum deſiderentur; & ideo
„ peccatum, quod a fine ultimo avertit, ſuper omnia diſplicere de-
„ bet. „

Ibid. q. 5. art. 3. ubi quærit an parva Contritio ſufficiat ad deletionem magnorum peccatorum : „ Contritio habet duplicem dolorem :
„ unum rationis, qui eſt diſplicentia peccati commiſſi; & hic poteſt
„ eſſe adeo parvus quod non ſufficiet ad rationem Contritionis, ut ſi
„ minus ei diſpliceret, quam debeat diſplicere ſeparatio a fine : ſicut
„ etiam amor poteſt eſſe adeo remiſſus, quod non ſufficiat ad rationem
„ charitatis.

Mitto quod ait *art. 1. ſupra*, nimirum quod omnis dolor in amore fundetur. Cum ergo amor charitatis, in quo fundatur dolor Contritionis, ſit maximus; inde colligit dolorem Contritionis debere eſſe omnium maximum.

Hæc ex S. Thoma paulo fuſius propter ingentem qua pollet merito apud omnes auctoritatem.

Decimo octavo Scotus, alterius ſcholæ princeps; ita ut omnes ſcholæ in eam ſententiam conſpiraſſe comperiantur, *in 4. diſt. 20. q. unica*, ut oſtendat difficile eſſe ut quis in extremo vitæ diſcrimine veram & legitimam Pœnitentiam concipiat, quæ ad ſalutem ſit ſatis, atque adeo rariſſimam eſſe eo in caſu hominis ad Deum converſionem : „ Ad hoc
„ enim, inquit, quod diſplicentia valeat, & ſit ordinata, oportet quod
„ ſit debite circumſtantionata, & maxime circumſtantia finis, & prin-
„ cipii activi principalis; ut ſcilicet ſit voluntaria propter Deum . . .
„ ſed difficile eſt (inquit *ibid.*) tunc habere actum ſic circumſtantio-
„ natum; quia qui uſque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc a
„ ſe ipſo impetrare diſplicentiam novam, niſi timore pœnæ imminen-
„ tis : præſumitur enim quod ſi remotus eſſet a pœna, ſicut prius,
„ non extorqueret a ſe ipſo iſtam diſplicentiam, ſicut nec prius; tum
„ quia ſaltem aliquid ſimpliciter involuntarium videtur cauſa iſtius diſ-
„ plicentiæ : nam expectatio mortis videtur cauſa iſtius diſplicentiæ :
„ illa autem eſt involuntaria . . . . Saltem quod non eſt, niſi ſic vo-
„ luntarium non eſt multum acceptum alii; nec multum videtur pro-
„ pter amorem ejus factum. Hanc rationem tangit Auguſtinus *in litte-*
„ *ra :* Oportet non ſolum timere judicem, ſed diligere : arbitrii enim
„ libertatem quærit, ut delere poſſit commiſſa, non neceſſitatem; cha-
„ ritatem, non timorem. Non igitur timeat pœnam, ſed anxietur pro
„ gloria.

Idem affirmat *in 4. ſent. diſt. 18. report. q. 3.* & cum rara ſit hujuſmodi converſio cauſam hanc affert, quod nempe Contritio „ Ad hoc
„ ut ſit diſpoſitio ex congruo ad receptionem gratiæ, oportet quod ſit
„ voluntaria deteſtatio, & debita circumſtantia finis; quod homo pœ-
„ niteat

„ niteat non ſolum propter timorem pœnæ, ſed timore filiali. Sed dif-
„ ficile eſt tunc dolere niſi ex timore ſolum; &, ſi non ſit cum amo-
„ re, non diſponit ex congruo. “

Decimo nono Paludanus *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. “ Secun-
„ da concluſio eſt quod ad veram Contritionem concurrunt illa qua-
„ tuor, quæ requirit juſtificatio impii, ſcilicet, motus liberi arbitrii in
„ peccatum deteſtando : 2. motus liberi arbitrii in Deum, ſuper om-
„ nia diligendo : 3. gratiæ infuſio : 4. peccati remiſſio.

Vigeſimo Joannes Bromiardus, de quo ubi de Contritione perfecta, *pag.* 186.

Vigeſimo primo Okamus *ibid.*

Vigeſimo ſecundo Joannes Bacho *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 2. “ Dicen-
„ dum inquit, quod homo debet conteri, quia Deum offendit. Ad
„ quod intelligendum, nota quod Deus principaliter eſt diligendus pro-
„ pter ſe; conſequenter Dei beneficia ſunt diligenda propter Deum :
„ & ſimiliter, per contrarium, propter Deum ſunt 1. odienda omnia
„ quæ fiunt contra honorem Dei, . . . Sequitur quod Contritio debet
„ fieri non ex timore, ſed ex charitate.

Vigeſimo tertio Thomas Argentinenſis *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 3. *con-cluſione* 1. “ Quanto tenemur, inquit, aliquid magis diligere, tanto de
„ ejus amiſſione tenemur magis dolere : ſed Deum tenemur diligere
„ ſuper omnia : ergo de peccato . . . . tenemur maxime dolere. Major
„ patet quia, ſecundum B. Auguſtinum, omnis dolor in amore funda-
„ tur; & ideo, ſicut ibidem ait, Neceſſe eſt ut tantum urat dolor,
„ quantum læſerat amor.

Vigeſimo quarto Marſilius ab Inghen *ſupra*, *pag.* 187.

Vigeſimo quinto Joannes Gerſon *ſerm. in cœna Domini de Pœnit.* “ A-
„ qua Contritionis ſit calida : hoc fiet per converſionem in Deum, fi-
„ de, ſpe & charitate ſubnixam : . . . hoc eſt quod dicitur a doctori-
„ bus, quia quatuor requiſita ſunt in Contritione; converſio ad Deum,
„ averſio a creatura, infuſio gratiæ, & expulſio pœnæ. Hunc calorem
„ non habet aqua illorum qui dolent de peccatis ſolo timore pœnæ,
„ . . . ſicut communiter evenit in morte. “ *Et infra* ; “ Confeſſio fiat
„ vere, non ficte, hoc eſt in Contritione & charitate, ſecundum pro-
„ babilem conjecturam. Utrum autem confeſſio quæ fit ſine charitate
„ liberet ne iterum dicantur peccata, eſt difficultas vix inter ſcholaſti-
„ cos diſſolubilis . . . . Dicit autem Dominus Guillelmus Pariſienſis,
„ & alii communiter, quod Contritio quæ alias non eſſet ſufficiens,
„ ſit ſufficiens virtute Sacramenti. Ponendum eſt igitur & dicendum
„ . . . . Pœnitentiario . . . . *Adjuva impœnitentiam meam.* An autem dan-
„ da ſit Pœnitentia tali ? tenendum quod ſic, non tamen abſolvendo,
„ ſed ad præſervationem in futuris.

Vigeſimo ſexto Joannes Nider, *præcepto* 3. *c.* 8. ubi recenſet quæ ad veram Pœnitentiam requiruntur : “ Sextum requiſitum eſt motus liberi

„ arbi-

„ arbitrii in Deum, inquit, qui videtur eſſe maxime dilectio Dei ſu-
„ per omnia : ratio eſt, ſecundum Thomam *in* 3. *parte q.* 85. quia ta-
„ lis dilectio Dei eſt cauſa deteſtationis peccatorum finaliter propter
„ Deum, & in quantum ſunt Dei offenſiva, & contra honorem ipſius
„ facta, quod eſt ſeptimum requiſitum. Ad veram enim Pœnitentiam
„ requiritur, dicit Thomas *ibid.* quod homo deſerat peccatum in quan-
„ tum eſt contra Deum .... Quando igitur homo per illa ſeptem ſu-
„ pra dicta ſe præparavit, & devenit ad iſtam unam generalem om-
„ nium ſuorum mortalium deteſtationem bene circumſtantionatam, ma-
„ xime circumſtantia debiti finis, & quando deteſtatio ejuſmodi eſt ſa-
„ tis magna pro tot & tantis peccatis; hinc mox informatur charita-
„ te, & fit Contritio .... Ex quo patet quod ſi homo peccata ſuà
„ deteſtetur ſolum quia ſunt oppoſita virtuti morali, aut ſi ſolum de-
„ teſtaretur ea propter timorem pęnæ & amiſſionem vitæ æternæ, in
„ quantum illa eſſet ſibi ad incommodum, ibi ſiſtendo ſine ulteriori re-
„ latione in Deum, tunc homo ſolum quæreret ſuum commodum &
„ fugeret ſuum incommodum, & nullo modo quæreret Deum & illius
„ honorem; contra illud Apoſtoli 1. *Cor.* 10. *Sive manducatis*, &c. nec
„ talis deteſtatio eſſet actus virtutis, quia non circumſtantionata debi-
„ to fine & per conſequens non formaretur gratia nec fieret Contri-
„ tio : ... imo ipſa eſſet vitium & actuale peccatum; ... & per con-
„ ſequens etiam non eſſet Attritio vera.

Vigeſimo ſeptimo teſtatur *ſupra*, *pag.* 188.

Vigeſimo octavo Bernardinus Senenſis, cujus hæc verba ſunt *ſerm. in feriam* 3. *poſt Dom.* 1. *Quadrag. cap.* 2. " Secundum Bonaventuram diſ-
„ plicentia rationis in vera Contritione menſuratur ſecundum quanti-
„ tatem charitatis .... Ad hoc quod aliquis habeat charitatem, neceſſe
„ eſt quod ſuper omnia diligat Deum ...... Ex his aperte elici poteſt
„ quod qui conteritur principaliter propter timorem inferni, & non
„ propter amorem Dei, non eſt in ſtatu ſalutis: quia non dolet amo-
„ re Dei, ſed amore ſui; ut ſi ceſſaret damnatio ex perpetrata culpa,
„ ceſſaret & Contritio illa .... Sed ſecundum Scotum *in* 4. *diſt.* 20. li-
„ cet ad veram Contritionem concurrat timor humilians, debet tamen
„ concurrere amor inflammans. Unde etſi in peccatore initiet timor pę-
„ næ, ſuperveniens tamen amor talem timorem debet repellere.

Vigeſimo nono Guillel. Vorillonius *ad diſt.* 20. *a.* 1. " Contritio eſt dolor voluntarie aſſumptus pro peccatis .... Dicitur pro peccatis, hoc
„ eſt finis & Contritionis complementum. Ergo cauſa finalis ſeu moti-
„ vum & finis Contritionis in genere eſſe debent peccata ipſa, ac proinde
„ non ſola pœna peccatis debita. " *& infra*, " Ut confeſſio, Contritio &
„ ſatisfactio valeant infirmis, oportet quod diſplicentia ſit circum-
„ ſtantionata, & maxime ut peccatum diſpliceat propter Deum, quod
„ valde difficile eſt tunc; ideoque raro ad ſalutem ſufficiunt.

Trigeſimo Joannes Baſſolius *in* 4. *diſt.* 20. *qu.* 1. *art.* 1. " Ad hoc

„ ut

„ ut Pœnitentia valeat, oportet neceſſario quod ſit debite circum-
„ ſtantionata, & maxime circumſtantia finis, quod ſit propter
„ Deum.

Trigeſimo primo Gabriel Biel *in 4. diſt.* 14. *q.* 2. *pag.* 250. *col.* 2.
„ Non eſt poſſibile aliquem a peccatis liberari ſine actu amoris præ-
„ vio: Nam ſicut in omni peccato fit averſio a Deo ad creaturam plus
„ Deo dilectam, propter cujus dilectionem divinum præceptum con-
„ temnitur; ita in converſione neceſſe eſt ſe avertere a creatura pro-
„ pter Deum pro cujus amore creatura contemnitur, ut converſio ex
„ oppoſito correſpondeat averſioni.

Trigeſimo ſecundo Carlerius, Tarviſinus, Joannes Major, Pepinus, Ferrarienſis, Cajetanus, Adrianus VI. Celaja, Petrus Sutor, Verratus, Guillaudus, Spineus, *ſupra*, *pag.* 95. & *ſeq.*

Trigeſimo tertio Eckius Eccleſiæ adverſus Lutherum vindex fortiſſimus. Cum enim Lutherus ſub initia defectionis ſuæ hoc Eccleſiæ falſo imponeret, quod Attritionem ſervilem vi Sacramenti fieri Contritionem poſſe ſentiret; & contra ipſe aſſereret timorem hujuſmodi malum eſſe: adverſus utrumque Catholici reclamaverunt, inprimis Eckius: *hom.* enim 39.
„ Metum pœnæ, inquit, conſiderare quis poteſt oculo dextro, tanquam
„ præcipuum illud quod eum movet: & qui aliquid facit ex hujuſmodi ti-
„ more, peccator eſt; uſque adeo ut, quandiu manet in illo, gratiam
„ Dei non acquirat .... Quod ſi vero oculo dextro præcipue ſuſpiciat
„ ad divinam bonitatem, ſiniſtro tamen deorſum videat ..... evitatio-
„ nem pœnæ tanquam accidentaliter .... & non præcipue, ... non hoc
„ adverſatur charitati. " *Hom.* 40. " Profecto ſervilis timor, inquit,
„ initium Pœnitentiæ eſt: quamvis enim timor non ipſa quidem pœ-
„ nitentia eſt, bonum tamen magnum exordium eſt ejus.... Quicunque
„ ad charitatem uſque pervenit; huic timor initium ſuæ efficitur Pœ-
„ nitentiæ: Unde recte dicit Auguſtinus timorem hunc bonum eſſe &
„ utilem, ſed inſufficientem.

Trigeſimo quarto Vivaldus *de Contritione c. ult.* ubi ipſa Nideri verba uſurpat, quæ modo laudavimus, in opinionem noſtram ſane diſertiſſima. Idem *cap.* 118. " Vera, inquit, ... ſancta, catholica Contritio
„ eſt hæc, quoniam expedit Deum omnium creatorem ſuper omnia di-
„ ligere, non quidem verbo neque lingua, ſed opere & veritate: ideo
„ oportet deſerere peccata, non propter vanos reſpectus, ſed quia
„ peccata ſunt offenſa Dei, vel ſunt contra Deum ſuper omnia dili-
„ gendum.

Trigeſimo quinto Joannes a Daventria *ad art.* 12. *confeſſionis Auguſtanæ*: refellens enim Lutheranorum errorem de fidei ad juſtificationem ſufficientia, " Catholici, inquit, ... tradunt non ſufficere ad peccato-
„ rum remiſſionem, ſi (peccator) tantum timeat, & peccatorum re-
„ miſſionem ſperet; ſed quod oporteat eum ex toto corde dolere
„ & converti ad Deum, ita ut non tantum timeat, ſed & diligat Deum.

Tri-

Trigeſimo ſexto Liber Ritualis Eccleſiæ Condomenſis anno 1520. ad Sacramentum exigens Contritionem de peccato propter Deum.

Trigeſimo Septimo Concilium Senonenſe; ubi dicitur " bonum ac „ laudabilem eſſe timorem gehennæ, quia inducit ad Pœnitentiam ve„ ram. " Ab eo ergo diſtinguitur Pęnitentia.

Trigeſimo octavo Concilium Colonienſe anno 1536. *in Enchiridio*, „ Fides, inquit, cum timore filiali conjuncta veram Pęnitentiam a fal„ ſa ſeparat, & diſcrimen facit inter Contritionem impii & vere pęni„ tentis.... Impius enim concepto timore ſervili ex metu ſupplicii, at„ que ibi conſiſtens, in deſperationem adigitur....ſed quos in hoc do„ lore conſtitutos Deus clementer reſpicit, hi cum ex timore per fidu„ ciam miſericordiæ filialem gradum fecerint, tum demum ad veram „ Pęnitentiam contriſtantur.... Vides ergo quemadmodum conſideratio „ juſtitiæ & divini judicii ... Pęnitentiam inchoet; conſideratio tamen „ bonitatis divinæ, ex amoris affectu procedens .... Pœnitentiam „ formet.

Trigeſimo nono Albertus Pighius. *Controverſia enim 9.* in eoſdem Lutheranos diſputans, " Hæc eſt, inquit, catholicæ Eccleſiæ & noſtra „ doctrina de Pœnitentia. " Tum poſtquam aſſignavit tres illius partes, Contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem: " Contritionem, „ inquit, intelligimus diſplicentiam vehementem & dolorem de pecca„ tis, ... eo reſpectu, quod divinam illis majeſtatem offendimus .... „ Non omnem cordis pęnitudinem .....Contritionem intelligimus, qua„ lis in Pęnitentia ſalutari requiritur.... Qui enim ex ſui tantum amo„ re, ſui commodi reſpectu, nempe ob gehennæ metum, de peccatis „ dolor procedit, etiam quantumvis vehemens & immenſus ſit, non eſt „ qui cor contritum facit, aut veniam impetrat ..... Contritio ergo „ quam Deus in nobis reſpicit, eſt dolor divinæ offenſæ, non noſtri „ tantum, imo illius præcipue cauſa, quem offendimus: .... cujuſmodi „ ut ſit, neceſſario Dei amorem requirit.

Quadrageſimo Beatus Thomas de Villa-nova *in dominicam Paſſionis ſerm.* 1. " Contritio, inquit, ... eſt dolor voluntarie aſſumptus pro „ peccatis " .... Tum explicans ſingulas voces, " Non de damno (ad„ dit) vel de pęna, vel de infamia; .... ſed dolendum eſt de peccato „ prout eſt offenſa Dei, ſic ut, etiamſi nullum incommodum de pec„ cato proveniret, neque eſſet infernus aut judicium,.... etiam diſpli„ ceret peccatum, quia Deus fuit offenſus..... Vera Contritio ex amo„ re Dei debet procedere, non ex timore aut ex amore ſui. Unde Au„ guſtinus, Oportet pęnitentem non ſolum Deum timere judicem, ſed „ & juſtum diligere . . . . Unde Attritio & Contritio non tam „ differunt, quia Contritio eſt dolor intenſus, & Attritio eſt do„ lor remiſſus; ſed magis quia Contritio eſt dolor perfectus propter „ Deum, & Attritio eſt dolor imperfectus & mixtus cum aliis reſpe„ ctibus.

Quadrageſimo primo ſynodus Pictav. idem poſtulans ad veram Pœnitentiam anno 1544.

Quadrageſimo ſecundo Academia Lovan. *in confeſſione catholica art.* 4. „ Contritio, inquit, eſt dolor de peccatis propter Dei offenſam ſuſceptus, ... non autem, ut quidam hoc ſæculo pernicioſe docent, „ terror conſcientiæ propter apprehenſum gehennæ ſupplicium peccatis „ debitum. Præparat tamen hic terror ac metus ad veram animi Contritionem.

Quadrageſimo tertio Concilium Moguntiacum anno 1549. cujus juſſu edita eſt *inſtitutio ad pietatem chriſtianam juxta doctrinam catholicam*. Ibi quippe poſt multa in hoc argumentum præclara, " Poſt hæc omnia, „ inquit auctor, jam non eſt difficile quæ ad plenam ac veram cordis „ Contritionem requirantur diſpicere. Principio enim invalida...... eſt „ Contritio, quæ in ſolo timore ſubſiſtit; quæ ut vera reddatur, eo „ uſque progredi debet; donec jam fide, ſpe & charitate fulciatur, ut „ jam non tam doleat peccator, quod pœnam meruit, quam quod Deum „ offendit &c.

Quadrageſimo quarto Joannes Beetz *expoſitione in* 3. *præceptum decal.* „ *c.* 5. " Confeſſio debet eſſe voluntaria.... Ex hac conditione ſequitur, „ quod debeat fieri cum vera Contritione & in charitate, ſive ex ti- „ more filiali, & non ſervili.

Quadrageſimo quinto Godeſchalcus Roſemundus *in confeſſionali*, *art.* 2. " Attritio eſt diſplicentia & dolor de peccatis, etiam propter Dei „ offenſam, non tamen ſufficiens ad delenda peccata: & differt a Con- „ tritione, 1. ex parte liberi arbitrii, quod .... imperfecte & remiſſe „ dolet; 2. ex parte Dei, quia dolor gratia informatus dicitur ſemper „ Contritio, licet non ſit multum intenſus.

Quadrageſimoſexto Driedo *lib. de captiv. & redempt. generis humani tr.* 4. *parte* 3. " Nobis tradidit Patrum antiquitas in juſtificatione impii neceſ- „ ſarios eſſe actus liberi arbitrii erga Deum ipſum, ſimul & in pecca- „ tum. Erga Deum quidem per actum fidei in intellectu, & per a- „ ctum amoris ſeu deſiderii in voluntate.

Quadrageſimoſeptimo Alphonſus Virveſius *Philippica* 7. *adverſus Melanchtonem*, " Juſtificatio & reconciliatio ſunt idem: reconciliatio non „ poteſt eſſe ſine dilectione: ergo nec juſtificatio ...... Dilectio & cha- „ ritas ſunt idem: non ergo poteſt eſſe ſine charitate. " & *Philip.* 9. „ Non eſt vera Pœnitentia, quando illum non pœnitet offendiſſe Deum, „ ſed ſeipſum reatus incommodo læſiſſe; & hæc eſt Pœnitentia, quæ „ proprie ex timore ſervili oritur.

Quadrageſimooctavo Latomus *lib. de Confeſſ. ſecreta*, " Inter gratias „ gratis datas reperitur .... habitus ſpei & ejus actus informis, qui eſt „ dolor de peccatis recte circumſtantionatus. Hunc actum Doctores re- „ centiores Attritionem vocant, ut diſtinguatur a Contritione, quæ eſt „ actus Pœnitentiæ formatus.

Qua-

Quadrageſimonono Chryſoſt. Javellus *ſupra*, *p.* 304.

Atque hæc ſufficiant ad tempus uſque ſeſſionis 14. concilii Tridentini, quæ habita eſt anno 1551.

Argumentum quartum ex ſynodo Tridentina.

Duplici in loco concilium Trid. agit de via reconciliationis peccatorum cum Deo: primò quidem *ſeſſ.* 6. *capit.* 6. deinde *ſeſſ.* 14. *cap.* 4.

Seſſ. 6. *cap.* 6. Synodus explicans qua ratione juſtificatio peragatur in Baptiſmate, in quo venia eſt quam in cæteris Sacramentis parabilior, ſic habet: " Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divi-
" na gratia & adjuti, ac fidem ex auditu concipientes, libere moven-
" tur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa
" ſunt; atque illud inprimis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus,
" per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu: & dum peccatores ſe eſſe in-
" telligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad
" conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fi-
" dentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, ILLUMQUE TAN-
" QUAM OMNIS JUSTITIÆ FONTEM DILIGERE INCIPIUNT, ac
" propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſta-
" tionem, hoc eſt per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi
" oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam
" vitam, & ſervare divina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt,
" *Accedentem ad Deum credere oportet quia eſt, & quod inquirentibus ſe re-*
" *munerator ſit*: & *Confide fili*", &c. *Cap.* autem 7. ſic pergit: " Hanc
" diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur .... Hujus
" juſtificationis cauſæ ſunt; finalis quidem, gloria Dei: .... efficiens: ....
" Deus: .... meritoria, ... Ieſus Chriſtus: .... inſtrumentalis, ... ſa-
" cramentum Baptiſmi: .... formalis, ... juſtitia Dei: ... dum ... chari-
" tas Dei diffunditur in cordibus eorum qui juſtificantur.

Quod idem fere paucioribus verbis definit *can.* 3. ubi, " Si quis dixerit,
" inquit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione atque ejus adjuto-
" rio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut o-
" portet ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.

Ex his porro omnibus multa momenta eruuntur.

Primum eſt, quod, ut ait Auguſtinus, eadem ſit Pœnitentiæ quæ Baptiſmatis ratio, in eo quod ad reconciliationem pertinet; niſi quod illam in hoc Sacramento faciliorem quam in illo eſſe oportet. Atqui ſynodus Trid. ad juſtificationem etiam in Baptiſmate adipiſcendam præter fidem, timorem, ac ſpem, requirit inſuper dilectionem & charitatem Dei. Ergo multo potiori jure eadem hæc dilectio neceſſaria erit ad Pœnitentiam. Hoc argumento preſſi ac pene oppreſſi adverſarii duplici via effugere nituntur.

Reſ-

Reſpondent itaque 1. non illic agi de charitate; ſed de amore Dei qui *concupiſcentiæ* nominatur.

Sed hoc fruſtra.

Hic enim jam ſolum inquirimus an dilectio Dei neceſſaria ſit; nondum autem inveſtigamus an hic amor ſit charitatis.

Conſtat vero ibi verba eſſe de charitate.

Primo enim cum tria hæc continenter recenſentur fides, ſpes & amor, quis neſcit enumerationem fieri virtutum Theologicarum, quarum ultima ac maxima ſit charitas? Dei certe amor, de quo hic queſtio, poſtponitur fidei ac ſpei: amor autem qui *concupiſcentiæ* dicitur, ſpe prior eſt, quandoquidem ſpes in eo fundatur.

Secundo Vera ac ſincera charitas eſt, quando quis non tam conſectatur dona a Deo derivata, quam diligit ipſum Deum illorum omnium fontem; ut per ſe patet, & videre eſt apud S. Auguſtinum *de catech. rudibus cap.* 27. *& in Pſ. 61.* nec non apud Patres Concilii 2. Arauſic. *cap.* 22. qui non aliter definiunt charitatem. Atqui hoc loci ſermo fit de dilectione Dei, ut omnis juſtitiæ fontis. Ergo de dilectione Dei ut in ſe eſt, de dilectione Dei propter ſe, non propter aliud.

Tertio id poſtulat Synodi Trid. in his de dilectione Dei verbis ſcopus. Cum enim de dilectione illa nihil dictum eſſet in delineatione decreti, viſum eſt, nonnullis nequicquam obſtantibus, de ea mutationem fieri maxime oportere, ne ſuæ charitati partes in juſtificationis negotio deeſſent. Hiſtoriam narrat Palavicinus *lib.* 8. *cap.* 13. *&* 14. " Quod „ attinet, inquit, ad id quod dicitur de dilectione Dei, advertendum „ eſt, per tenorem decreti prius delineati nullam fieri dilectionis men- „ tionem; ſed Salvatorem Alepium archiepiſcopum Turritanum, Clau- „ dium Jaium Societatis Jeſu, Lipomanum Veronenſis adjutorem, & „ Pium Franciſcanorum præſidem monuiſſe ut aliquis charitatis actus „ infereretur. Cumque id ad omnium Patrum judicium relatum eſſet, „ . . . . viginti tres diſerte illud comprobaſſe, adeoque inſertum decre- „ to: . . . . ſed poſtea aliis non probatum: verum a Theologis ſtre- „ nue oppugnatum, & per hæc verba retentum: NON EST SERMO „ EO IN LOCO DE HABITU CHARITATIS; SED CUM IN PARTICU- „ LA, QUÆ LOQUITUR DE POENITENTIA, NULLA FIAT MENTIO „ AMORIS, VISUM EST CUM FIDE ET SPE JUNGERE ALIQUEM „ DILECTIONIS ACTUM; QUIA SI POENITENTIA TOTA ESSET „ EX TIMORE SINE AMORE JUSTITIÆ, ET DOLOR ESSET PRO- „ PTER POENAM TANTUM ET NON PROPTER DEI OFFENSAM, „ INFRUCTUOSA ESSET: " Quo quidem, ſive rem ipſam, ſive ra- „ tionem adjunctam ſpectes, nihil poteſt eſſe expreſſius.

Quarto idem indicat alia quorumdam interceſſio ad ſequens caput, & Synodi ad id dubium reſponſio. Cum enim aliqui capiti 7. contradixiſſent, eo quod *capite 6.* charitas ſtatuitur quaſi præparatio ad juſtificationem, cum *capite* 7. contra dicatur eſſe juſtificationis cauſa formalis,

malis, quæ duo ſibi non conſtant; repoſuit Synodus, ut id ſolveret, *cap. 6.* ſe loqui de charitatis actu, *cap.* autem 7. de charitatis habitu; atque adeo hæc non pugnare inter ſe. Hoc etiam refert Palavicinus *ibid.* " Quibuſdam pariter animadvertentibus charitatem ſuperiori capi-
" te memoratam, recenſeri ſub illius initium inter ea quæ præparant
" animum ad juſtitiam ſuſcipiendam; poſtea vero tanquam juſtitiæ
" formam poni: reſponderunt decreti formatores, in primo loco ſer-
" monem eſſe DE QUODAM ACTU CHARITATIS; ... at in ſecundo
" ſignificari HABITUM CHARITATIS. " Quocirca manifeſtiſſimum eſt hanc Patrum mentem ibi fuiſſe ut de charitate mentio fieret.

Quinto hoc ipſum teſtantur qui Synodo interfuerunt,

Dominicus Soto *de natura & gratia cap.* 12. *&* 13. explicans hunc concilii Trid. locum, de quo etiam coram Patribus dixerat; " Nos,
" inquit, agnoſcimus fidei motum primum eſſe neceſſarium. At quo-
" niam probabile eſt ut qui credit non diligat, adjicimus neceſſarium
" eſſe cum illo actus præterea ſpei & charitatis: " *& cap.* 13. *in fine*,
" Quemadmodum actus fidei informis ſaltem natura antecedit gratiam;
" ita & neceſſe eſt antecedant actus ſpei & charitatis. " Tum addit verba ſynodi Trid. Adde Vegam *lib. 6. in conc. Trid. cap.* 28. ubi aſſeverat Patres verba ſua retuliſſe ad dilectionem Dei ſuper omnia, " Quia
" communiter credunt Scholaſtici dilectionem iſtam diſponere ad juſti-
" tiam; & illud veriſſimum apparet.

Sexto id non diffitentur vel ipſi qui pro Attritione ſervili militant, quod declarat Tannerus *tom.* 4. *diſp.* 4. *q.* 2. *dubio* 4. *num.* 74. " Com-
" munis mens ac ſententia Doctorum eſt, inquit, quod Tridentinum
" non agat de amore concupiſcentiæ; quia videlicet amor concupiſcen-
" tiæ ſpem antecedit, eam autem ſequitur amor ille de quo Synodus: "
quod etiam Suarez notat *in 3. partem S. Thomæ diſp.* 4. *ſect.* 8. " Dili-
" gere Deum, ut omnis juſtitiæ fontem, inquit, non eſt diligere amo-
" re concupiſcentiæ, ſed eſt diligere Deum ut autorem gratiæ, quo-
" modo charitas diligit ipſum: ... nam amor concupiſcentiæ non ſe-
" quitur proprie ex ſpe, ſed ad illam potius ſupponitur.

Septimo Catechiſmus Romanus *parte 2. num.* 11. *de ſacramento Pœnitentiæ*, rem iſtam confirmat. Juſtificationis enim modum exponens, fidem, timorem & ſpem enumerat. Tum loco dilectionis quam expreſſit Concilium, diſerte ponit charitatem, ſatis indicans dilectionem illam non aliud eſſe a charirate.

Octavo id etiam conſtat ex cardine ipſo controverſiæ, quæ Eccleſiam inter & Lutheranos erat. In eo enim vertebatur, non an charitas juſtificationis comes aut appendix eſſet (iſtud enim apud omnes erat in confeſſo,) ſed utrum eam charitas præcederet. Hoc negabant Hæretici, vim omnem juſtificationis in fide collocantes. Contra decreverunt Patres Tridentini.

Nono denique quod de charitate ſermo eſſet, id iidem etiam Hære-

tici agnoverunt. " Quartum vitium, inquit de decreto illo Kemnitius
" *in* 1. *parte examinis*, *tit. de præparatione ad juſtificationem*, eſt quod of-
" ficium proprium fidei .... tribuunt Patres Tridentini noſtræ chari-
" tati, non fidei : .... unde quintum vitium eſt, quod fingunt dile-
" ctionem Dei in nobis debere præcedere reconciliationem cum Deo.
" Quocirca pro certo habendum eſt ibi mentionem fieri de charitate.
Quod cum apertum & conſtans eſſe adverſarii ſentiant : eam ob
rem

RESPONDENT 2. de charitate quidem locutos eſſe Patres ſynodi Tridentinæ; ſed quod tunc temporis explanarent juſtificationis modum non intra ſed extra Sacramentum : ut porro quis extra Sacramentum gratiam conſequatur, ſine dubio opus eſſe charitate.

VERUM hæc reſponſio eſt etiam altera deſperatior. Quis enim perſpicue non videt tota illa ſeſſione eam juſtificationis rationem etiam ac potiſſimam tradi, quæ in Sacramento peragatur?

Primo enim ipſa Synodus *in præfatione* declarat quod " Exponere intendit .... veram ſanamque doctrinam juſtificationis, quam .... Chriſtus Jeſus .... docuit, ... Apoſtoli tradiderunt, & catholica Eccleſia .... perpetuo uſu retinuit. " An non vero Chriſtus docuit Sacramentis gratiam dari? an iſtud juſtificationis genus Apoſtoli omiſerunt? an non vulgaris hic eſt uſus, ut peccatores intra Sacramenta duntaxat juſtificentur? an non is juſtificationis uſus proprie ad Chriſtianos pertinet, quibus ſolis attributa ſunt Sacramenta, quæ juſtitiam pariant? an non ipſa Synodus alibi docet raro contingere, ut quis ante Sacramentorum ſuſceptionem Deo reconcilietur? Ergone pervulgatum uſum juſtificationis ſiluerit Synodus, ut inſolentem conſectetur?

Secundo Hæretici, quos impetebat Concilium, litem etiam movebant de ea juſtificatione quæ fit in Sacramentis, ad quam illi contendebant ſolam fidem ſufficere, ut ex Calvino, Kemnitio &c. dum de hoc capite diſputant, liquet. Ergo eandem decreto ſuo Patres aſſeruerunt.

Tertio manifeſtum eſt, ibi Synodum ſpectare ad Baptiſmum, cujus non ſemel etiam conceptis verbis meminit. Profitetur enim ſe agere " De ea Pœnitentia quam ante Baptiſmum agi oportet, & de iis qui proponunt ſuſcipere Baptiſmum. " Illic adducit Chriſti verba Baptiſmum commendantis : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Eodem refert & illud Apoſtoli dictum; *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Ergo.

Quarto Ut omnis dubitandi locus auferatur, Patres Tridentini ejuſmodi juſtificationis multiplicem cauſam aſſignant *cap.* 7. pro inſtrumentali autem cauſa illius *ibidem* ſtatuunt Baptiſmi ſacramentum. Quid expreſſius?

Sed hæc ſufficiant de primo momento & variis adverſariorum circa illud cavillationibus.

Secun-

Secundum momentum eſt : Non poteſt ſperari venia peccati abſque illius odio & deteſtatione. Atqui, ut legitimum ſit illud odium ac ſufficiens deteſtatio, eadem Synodus definit illam ex dilectione Dei debere proficiſci. “ Deum, inquit, ut omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt ; AC PROPTEREA moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem. “ Ergo ſine ea dilectione Dei nulla peccatorum condonatio eſt.

Tertium : Ad juſtificationem Synodus poſtulat, ut quis peccatum deſerat, & novam vitam inchoet. Atqui non poteſt extingui vetus peccatum niſi charitate, ut ait S. Auguſtinus *ſerm.* 33. *de tempore* : “ Quiſquis, inquit, vetus peccatum vis extinguere, mandato novo extingue cupiditatem, & amplectere charitatem.

Quartum : Eadem Synodus exigit ut quis proponat ſibi omnia Chriſti mandata ſervare, atque præſertim de diligendo Deo ex toto corde & ex tota anima. Atqui non poteſt quis eſſe ita comparatus ut Deum diligat ex toto corde totaque anima, quin eum diligat ſtatim; imo vero non poteſt eſſe in univerſum ita præparatus ut omnia Chriſti præcepta impleat ſine dilectione Dei ſuper omnia : “ Hoc propoſitum ſervandi divina mandata, inquit Vega *cap.* 32. dilectio Dei ſuper omnia videtur eſſe, aut certe non eſſe ſine illa. “ Cujus rei invictam hanc rationem attulerat *capit.* 30. “ Quia, inquit, qui omnia ipſius mandata ſervare proponit, ... Deum ſuper omnia æſtimat & illum omnibus antefert.

Hactenus e ſeſſione 6. Jam vero e 14. quæ de Pœnitentiæ ſacramento eſt, plura adhuc ejuſdem ſententiæ argumenta eruuntur.

Primum eſt, Quod *cap.* 1. Pœnitentia dicatur fuiſſe quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria. Atqui, ut ex S. Thoma nuper demonſtravimus, ad rationem veræ Pœnitentiæ pertinet, ut homini diſpliceat peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum. Ergo.

Secundum, Quod *ibid.* ad Pœnitentiam neceſſarium eſſe ſanciatur, ut peccator, perverſitate abjecta & emendata, Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtetur ; quod etiam pronuntiat S. Thomas *q.* 85. *art.* 3. & 4. Atqui dolor de peccato ut eſt offenſa Dei, ſolius eſt charitatis, ex omnium, etiam adverſariorum, conſenſu : “ Omnes, inquit Vaſquez *in* 3. *partem*, *quæſt.* 86. *art.* 2. præter Alexandrum, fatentur quod impoſſibile ſit, ut actus odii peccati, prout eſt offenſa Dei, ſit alterius virtutis quam charitatis, “ Becanus *de ſacram. Pœnit. cap.* 30. “ Deteſtatio peccati, inquit, ut eſt offenſa Dei, eſt actus charitatis, ut omnes concedunt ; “ cujus dicti cauſam hanc illico ſubdit, “ Quod ejuſdem virtutis ſit diligere bonum proprium & odio habere malum contrarium ; ac proinde charitatis etiam ſit, ut diligere Deum eique bonum velle, ſic & triſtari ſeu dolere de peccato, ut eſt illius offenſa.

Tertium eſt, Quod *ibid.* ad Pœnitentiam flagitet, juxta Prophetarum oracula, cordis ad Deum converſionem. Atqui, ut multis evincimus, nulla eſt vera cordis ad Deum ſine amore converſio. Ergo.

Quartum: Quotieſcunque aut de materia aut de partibus Pœnitentiæ in Synodo ſermo fit, toties ſola Contritio ibi recenſetur, non vero Attritio; aut ſi Attritio, adjunguntur alia quæ amorem neceſſarium eſſe ſignificent: de quo lege *caput* 3. *&* *can.* 4. Atqui licet multitudine & tricis adverſariorum effectum ſit, ut Contritionis notio jam videatur generalior ac ſuſpenſa; eo tempore *Contritionis* nomen de ſolo de peccatis dolore propter Deum uſurpabatur, ut videre eſt apud Dominicum Soto *lib.* 2. *de natura & gratia cap.* 14. *& in* 4. *diſt.* 18. Vegam *lib.* 13. *in conc. Trid. cap.* 17. Petrum Soto *in ſcholiis catholicis ad confeſſ. Vittemberg.* & alibi ſæpe; Vivaldum *de Contritione cap.* 118. alioſque innumerabiles: imo & apud Bellarminum *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 10.

Quod quidem adeo verum eſt ut, cum illud *Contritionis* nomen in decreto Florentino ac pleriſque ritualibus libris poſitum graviter incommodaret primis Attritionis ſervilis defenſoribus, non illi dixerint, quod paſſim nunc jactatur, *Contritionis* nomen eſſe ambiguum, quod Attritioni aptari queat; ſed cum id ita non eſſe ſentirent, nodum duplici alia ratione expedire conati ſint. Ac 1. quidem ad Concilia, quorum non audebant convellere auctoritatem, repoſuerunt hanc vocem fuiſſe ab ipſis uſurpatam, etſi minime neceſſariam; quia nimirum, cum Attritio non ſatis tuta eſſet, tenebant certum & dimittebant incertum: 2. vero quod attinet ad libros rituales, quos non ita reverebantur, reſponderunt vocabulum ex iis eſſe expungendum utpote ridiculum nec ſatis accuratum ac inſuper periculoſum. De utraque reſponſione conſule Melchiorem Canum *ſupra*, Ricardum, Tapperum *ibid.* Toletum cardinalem *inſtructionis Sacerdotum lib.* 3. *cap.* 12. Henricum *lib.* 4. *ſummæ cap.* 12. *num.* 4. & alios plures. Ergo.

Quintum: Contritio eſt deteſtatio & odium peccati, deque eo intimus animi dolor. Atqui, ut ex Auguſtino nuper animadvertimus, "Tantum quiſque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit:" & "Qui „ gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere;" quod & egregie aſtruit S. Thomas 3. *parte*, *q.* 85. *art.* 3. *ad* 4. ubi docet, verum peccati odium ex amore Dei & charitate debere proficiſci. "Pœniten„ tia, inquit, eſt cum fide paſſionis Chriſti, per quam juſtificamur a „ peccatis, & cum ſpe veniæ & cum odio vitiorum, quod pertinet ad „ charitatem." Nempe ut idem ait 1. 2. *q.* 25. *art.* 2. "Quia bonum „ quæritur, ideo refutatur oppoſitum malum .... Omnis ergo de ma„ lo aliquo dolor in amore boni contrarii fundatur: peccatum autem „ per ſe juſtitiæ adverſatur." Ergo non poteſt vere odium peccati niſi ex amore juſtitiæ concipi.

Sextum: Non poteſt ulla Contritio eſſe legitima ad Sacramentum juxta Patres Trid. *ibid. cap.* 4. niſi excludat voluntatem peccandi. At-

qui

qui voluntatem peccandi non excludit timor pœnæ, ſed ſolus juſtitiæ amor, ut dudum demonſtravimus. Ergo.

Septimum & ultimum petitur ex ſupradictis, & hiſtoria ipſa concilii Trid. Nempe Synodus illa non potuit inclinare niſi in eam ſententiam quæ antiquitatis & traditionis auctoritate firmabatur, ac majori Patrum, qui ibi congregati erant, ſuffragiorum numero nitebatur. Atqui non ſolum veteres univerſi in amoris neceſſitatem conſpiraverant hactenus, ut oſtenſum eſt; ſed etiam tunc temporis plerique omnes in eadem ſententia ibi verſabantur, adeo ut vix unus reperiri potuerit, qui ab aliis diſſideret. Audiendus Palavicinus, qui omnia Concilii acta etiam maxime arcana verſaverat, cum ea de re diſſerit *lib.* 12. *cap.* 10. " Didacus Laynius, inquit, qui primo loco inter minores Theologos „ ſermonem habebat, (utpote tum ſummi Pontificis theologus; poſtea „ autem fuit Societatis Jeſu Præpoſitus generalis) damnans poſteriorem „ 2. articuli partem, dixit Sacramento eſſe neceſſaria Pœnitentiam, ti„ morem, dilectionem, Contritionem, abſolutionem. Dilectionem pa„ riter tanquam neceſſariam enumeravit Jacobus Ferruſius, Hiſpanus, „ Segovienſis Epiſcopi theologus; & per hoc eundem articulum impro„ bavit, cauſatus ſolis terroribus minime contineri dilectionem, quæ „ abſolute neceſſaria eſt: cum Chriſtus pronunciaverit, *Remittuntur ei* „ *peccata multa, quoniam dilexit multum; & dilexit*, inquit, per præte„ ritum, quia dilectio remiſſionem antevertit: Et Apoſtolus: *Triſti*„ *tia quæ eſt ſecundum Deum* (hoc eſt, interpretabatur Ferruſius, ſecun„ dum Deum dilectum) *operatur Pœnitentiam in ſalutem*: & cap. 2. ad „ Rom. *Benignitas Dei vos adducit ad Pœnitentiam*: Unde S. Auguſtinus „ ait, Abſque amore gratia non datur. Idcirco exigebat is ante om„ nia primam quamdam, ut vocant, motionem in Deum, ad quam ſi„ gnificandam ea Scripturæ verba dicerentur, *Converte nos, Domine, ad* „ *te*: &; *Ego ſto ad januam & pulſo*: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſti*„ *tis*: &; *Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*, Poſtea vero „ actum fidei, unde ſcriptum erat, *Accedentem ad Deum oportet credere*; „ &, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Hinc oritur, ajebat ille, in „ homine peccatorum deteſtatio, aſſurgitque in ſpem animus, & amo„ ris initium habetur. Inde vero primam gratiam Deus infundit, qui „ tamen amor naturalis non eſt, ſed a divina gratia efficitur: tametſi „ naturalis amor ad id etiam conferat. At Melchior Avoſmedianus, „ tunc Pacenſis Epiſcopi theologus, poſtea vero, reverſus ad Pii Con„ cilium, Guadicenſis epiſcopus, dixit prius nos propter pœnæ metum „ dolere, deinde propter Deum .... Et Bernardus Colloredus Domi„ nicanus, Forojulienſis Epiſcopi theologus, tanquam neceſſaria nume„ ravit timorem, deteſtationem, ac fidem, ex qua ſpes oriatur, & ab „ hac dilectio. Ejuſdem ſententiæ fuit Franciſcus Contreia ex Ordine „ Minorum Obſervantium. Et revera, quantum ex actis conjicio, „ Theologorum mens erat ut error Hæreticorum damnaretur, tanquam

„ inhoneſtum improbantium pœnæ timorem; non item ut ferrent ſen-
„ tentiam de ſcholaſtica quæſtione, an hujuſmodi timor non ſolum abſ-
„ que Contritione animi perfecta, ... ſed etiam abſque eo quod ul-
„ lus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem
„ in Sacramento ..... In Patrum conventu id pauci attigerunt : ali-
„ quod duntaxat veſtigium comperio opinionis negantis neceſſitatem
„ amoris in iis quæ Granatenſis diſputavit. At vero Joannes Æmilia-
„ nus, Tudetanus antiſtes extremum oppoſitæ ſententiæ tenuit.

Qui porro his non contentus, plura cupierit, is adeat Launoium *in libello de mente concilii Tridentini circa Contritionem*, & Queraſſium *tota* potiſſimum *parte* 5. ubi ſententiæ noſtræ firmamenta multo latius diffuſa non ſine animi voluptate & operæ pretio leget.

Argumentum quintum ex Theologis a concilio Tridentino ad annum uſque 1600.

Iis quæ hactenus protulimus deinceps annectendi ſunt alii nonnulli ſaltem, ſed ii inter paucos clari Præſules ac Theologi, qui ejuſdem amoris Dei propugnarunt neceſſitatem; ut liqueat quam laudabili ac non interrupta ſerie hæc ſententia ad nos uſque pervenerit. Quo autem certius conſtet de Patrum concilii Tridentini, & omnium paſſim tunc temporis ea de re conſenſu, illos præſertim memorabimus qui ei interſuerunt, aut ad illud operam ſuam contulerunt, aut arctiorem habent cum eo neceſſitudinem.

Primo itaque Fredericus Nauſea epiſcopus Viennenſis, qui magna in illa Synodo doctrinæ laude floruit, ſtatim poſt ſeſſionem 14. an. 1552. *in Catechiſmo*, Contritionem ad Sacramentum poſtulat, quæ hominem vere convertat in Deum, & etiam extra Sacramentum ſatis eſſe poſſit. *Lib.* enim 3. *cap.* 45. “ Eſt autem, inquit, Pœnitentia, voluntaria, & „ ex charitate erga Deum, pro peccato commiſſo punitio aſſumpta. “ *cap.* 47. “ Eſt autem Contritio dolor voluntarie aſſumptus pro pecca-
„ tis, cum propoſito & intentione ea confitendi, & pro ipſis ſatisfa-
„ ciendi, atque illa iterum non admittendi. Sine hac quidem Contri-
„ tione non eſt ut quiſpiam vere pœniteat, aut ſuorum peccatorum
„ veniam ſperet. Nam cum ...... in peccato mortali ſit aver-
„ ſio voluntaria a Deo per peccatum, & ipſa quoque contraria
„ contrariis curentur; conſequens eſt ut e diverſo in remiſſione
„ peccati mortalis, actualis ſit converſio a peccato ad Deum: quæ qui-
„ dem converſio, ſi vera fuerit ac perfecta, dici cœpit Contritio .....
„ Nec eſt ut abſque ejuſmodi Contritione Sacerdos quemquam vere
„ poſſit abſolvere. “ Et *cap.* 66. “ Si voluerimus tam a culpa quam a
„ pœna peccati liberari, ...oportet inprimis ut ....voluntarie pro no-
„ ſtris peccatis amore Dei doleamus, & tempore quoque primo confi-
„ teamur ea Sacerdoti.

Secun-

Secundo Viguerius eodem anno *in Inſtitutionibus ſuis adverſus hæreſes,* a ſacra Facultate probatis: " Contritio, inquit, dupliciter poteſt con-
„ ſiderari: 1. ut eſt actus virtutis Pœnitentiæ, ...& hæc Contritio eſt
„ de jure naturæ, & prærequiritur ad Contritionem ſacramentalem: 2.
„ ut eſt pars Sacramenti....Contritio, ut eſt pars integralis Sacramen-
„ ti, ſic definitur: Eſt dolor de peccatis propriis voluntarie aſſumptus
„ propter Deum ſumme dilectum, cum propoſito a talibus & aliis om-
„ nibus cavendi; & ſe ſubjiciendi clavibus Eccleſiæ, & ſatisfaciendi,
„ ac Dei mandata implendi, cum ſpe veniæ conſequendæ. Ex hac de-
„ finitione apparet quod Contritio, quæ eſt pars ſacramenti Pœniten-
„ tiæ, includit Contritionem quæ eſt actus Pęnitentiæ virtutis, & mul-
„ ta ſupra eam addit: quia actus Pęnitentiæ virtutis eſt dolor ......de
„ peccatis in quantum ſunt contra rationem & bonum honeſtum &c.
„ ſed Contritio, quæ eſt pars ſacramenti Pęnitentiæ eſt dolor .... pro-
„ pter Deum ſumme dilectum. Et ideo oportet quod ſit maximus,...
„ non quidem intenſive, ſed appretiative; ita quod ſicut Deus debet
„ diligi ſupra omne diligibile, ita peccatum diſpliceat ſuper omne vi-
„ tabile, ſic quod peccator ſit (ſaltem in diſpoſitione animi) taliter
„ diſpoſitus, quod mallet privari omnibus bonis mundi temporalibus,
„ & mallet ſuſtinere omnia tormenta etiam inferni, ac mortem ipſam,
„ quam offendere Deum....Et quia incertum eſt nobis an talem ſum-
„ mam dilectionem Dei .... habeamus, ideo incerti ſumus an Contri-
„ tionem, quæ eſt pars Sacramenti, habeamus.

Tertio Stephanus Paris Abellonenſis epiſcopus *Homil. in feriam 6. poſt Dom. 4. Quadrag.* Contritionem pariter exigit quæ, etiam extra Sacramentum, ſi caſus ita foret, ſufficiat.

Quarto Medina *codice de Pœnitentiâ quæſt.* 4. idem aſſerit: " Videtur
„ tenendum, inquit, quod Pęnitentia, neque cum Sacramento, neque
„ ſine illo, poſſit de lege ordinaria ad ſalutem animæ valere, niſi in
„ Deum ſumme dilectum ſit relata. " *Et codice de Confeſſione tract.* 11. tres facit propoſitiones, quarum 1. " Quod non poſſit quis gratiam &
„ juſtificationem conſequi niſi pęniteat eum veteris vitæ: " 2. " Quod
„ hujuſmodi Pœnitentia cordis debeat eſſe propter Deum ſumme dile-
„ ctum, 3. & ex amore Dei procedere, & non ex ſolo timore.

Quinto Ludovicus Granatenſis *concione* 1. *de Pœnitentia*, " Contri-
„ tionem, inquit, ſancti Patres peccati deteſtationem atque odium eſſe
„ definiunt ſupra omne quod odio haberi poteſt; idque propter Deum
„ ſumme dilectum.... Itaque peccatorum deteſtatio, non ex ea ſolum
„ cauſa manare debet, quod per illud cęleſtem hæreditatem tanquam
„ rebelles amiſimus, & gehennæ ſupplicium commeruimus; ſed quia per
„ illud piiſſimum parentem Deum.... offendimus. Recte enim D. Au-
„ guſtinus, Qui gehennam metuit, non peccare metuit ſed ardere. Hoc
„ ergo modo & hac de cauſa, peccati virus deteſtandum eſt; hoc enim
„ Deo gratum eſt, quod eum diligas & propter illum doleas: quod

„ vero te ipſum ames, ſoloque tui amore inductus vel ſupplicia tua
„ timeas, vel damna defleas, ...non eſt cur hoc gratum Chriſtus Do-
„ minus habere debeat.

Sexto Tapperus Lovanienſis Academiæ decanus & Tridentum miſſus ob eruditionem, fatetur opinionem de Attritionis ſervilis ſufficientia non ita certam eſſe nec vetuſtiorem. *In Catechiſmo* autem *lib.* 5. decernit, " Si quis de peccato commiſſo doleat, non ex amore Dei,
„ ſed ex ſolo timore pęnarum, ...non vere eum Pęnitentiam agere.

Septimo Thomas Herentalinus *in ſpeculo vitæ Chriſtianæ c.* 5. " Præ-
„ parationem requiſitam ad ſuſcipiendum ſacramentum Pęnitentiæ .....
„ non eſſe metum gehennæ, ... ſed amorem Dei; .... & ultro ne-
„ ceſſariam Dei dilectionem, ... citra quam..... nulla a Deo condo-
„ nantur commiſſa.

Octavo Petrus Soto, quo nullum urbs Tridentina inſigniorem Theologum vidit, *in aſſertione fidei catholicæ adverſus Confeſſionem Vittembergicam anno* 1557. recenſitis quæ ad legitimam Contritionem principio
„ neceſſaria ſunt, " Adde, inquit, & ex vera Dei dilectione ipſum ſu-
„ per omnia bona æſtimante: ſine hac vero, de qua dictum eſt Luc. 7.
„ *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum*; Contritio non eſt
„ vera. " *Ibidem* ſubdit hanc dilectionem eſſe charitatem. Idem tradit alibi ſæpe: totus enim in eo ſemper fuit.

Nono Otho Auguſtanus epiſcopus ac cardinalis *in inſtructione Sacerdotum, lectione* 14. " Conſtituamus in hac materia confeſſionis hoc fun-
„ damentum: ....Ad integram & perfectam Pęnitentiam ſive Contri-
„ tionem (id eſt ſufficientem, ut poſtea exponit) requiritur & ſuf-
„ ficit ut ex vera Dei charitate & dilectione ejus ſuper omnia ema-
„ net: ....cum Pęnitentiam conſtet quemdam motum eſſe animi con-
„ trarium peccato. Peccatum vero lethale.... ideo peccatum eſt, quia
„ contrarium veræ charitati & dilectioni Dei ſuper omnia. Donec igi-
„ tur in animo ſit motus illi contrarius, nondum eſt plena converſio,
„ nondum vera remiſſio; quia nondum receſſum eſt animo a peccato
„ ..... Multis enim modis odio haberi poteſt peccatum; videlicet ....
„ quod propter ipſum damnatione æterna efficiatur dignus peccans.
„ Cæterum quandiu non deteſtatur peccatum, quia contrarium bonita-
„ ti divinæ, ...nondum eſt vera Pęnitentia; quia nondum ibi chari-
„ tas eſt: .... ſine illa enim nihil Deo gratum aut perfectum eſſe va-
„ let. " *Et lect.* 7. " Ex his intelligamus..... quam neceſſaria ſit per-
„ fecta Contritio ad remiſſionem peccati, etiam cum ipſo Sacra-
„ mento, vel Pœnitentiæ, vel quocumque alio. " Sic ille ad an-
„ num 1558.

Decimo Martinus Rithovius primus Iprenſis epiſcopus, qui ſynodo Tridentinæ affuit, *in* 4. *diſt.* 14. " Non eſt, inquit, timor ....
„ vera Pœnitentia, ſed utilis; & ad Contritionem vicinum gradum
„ ſternit.

Unde-

Undecimo Hoſius cardinalis & ejuſdem Synodi præſes *in explicatione confeſſionis Polonicæ* nullum omnino præceptum Chriſti aut Eccleſiæ impleri legitime ſine charitate poſſe.

Duodecimo Dominicus Soto, qui poſtquam Tridenti magna ingenii ſui documenta dediſſet mortuus eſſe fertur anno 1560. teſtatur ſæpius, ſententiam quæ aſtruit ſervilem Attritionem, eſſe novam: Patres enim ſolam agnoviſſe Contritionem. Deinde *in* 4. *diſt.* 16. *quæſt.* 1. *art.* 7. nunquam ſibi ſumpturum ut eum abſolvere auderet, qui diceret ſe non propter Deum pœnitere. *Et lib.* 2. *de natura & gratia*, ſtatuit quod "
„ Si quis non doleret propter Deum, ſed propter timorem inferni,...
„ & taliter affectus accederet ad ſacramentum Pœnitentiæ, neutiquam
„ abſolvendus eſſet.

Decimotertio Melchior Canus qui, poſtquam magnum aliquando Patribus Concilii lumen accendiſſet, e vita exceſſit anno 1560. etſi Attritionis ſervilis parens a pleriſque eſſe perhibetur, non diſſimulat tamen *ſupra p.*135. *&* 136. aliam opinionem fuiſſe tum in ſcholis communem ac pervulgatam, ac ſua tutiorem.

Decimoquarto Michael Merſpurgenſis præſul, & ſtrenuus Eccleſiæ tum adverſus Hæreticos vindex *in Catechiſmo*, *conc.* 58. " Timor, in-
„ quit, qui ex peccatorum ac ſupplicii conſideratione hauritur, nec-
„ dum eſt vera illa Contritio, quæ Deo accepta eſt; nihilominus
„ tamen eſt inſtar miniſtri veræ Contritionis, utpote ad veram Pœ-
„ nitentiam perducens. Quod tunc contingit, quando ex ſervili ti-
„ more tranſit ad amorem; nec jam ea ſolum de cauſa dolet, quod
„ pœnam peccando commeruerit, ſed multo magis eo nomine, quod
„ Deum offenderit . . . Atque hic eſt verus & caſtus timor; cum
„ ex amore Deum timere incipimus; exoriturque hinc vera illa Con-
„ tritio, quam Deus vult valere ad obtinendam peccatorum veniam."
Concione autem 59. " Sola, inquit, formidine terreri ob peccata,
„ furum flagitioſorumque eſt Pœnitentia, nec meretur gratiam aut
„ remiſſionem a Deo.

Decimoquinto Pantuſa epiſcopus Litterienſis, qui Synodo interfuit, ibidem defunctus vita anno 1562. *tom.* 3. *opuſculorum*, *cap.* 11. ait
" Contritionem, quæ eſt neceſſaria Sacramento, eſſe odium peccati
„ ſuper omne odibile, quia pendet a dilectione Dei ſuper omne dili-
„ gibile.

Decimoſexto Marianus Victor. *de ſacramento Confeſſ. cap.* 11. eam enim requirit ad Sacramentum Contritionem, quæ, etiam extra illud, peccatorum ſit expultrix.

Decimoſeptimo Gaſpar Caſalius unus ex Synodi Patribus *in opere de quadripartita juſtitia lib.*2. *cap.* 13. *&* 23. ad omnem adultorum juſtificationem adeſſe oportere dilectionem Dei ſuper omnia. " Dicimus,
„ inquit *cap.* 13. non ſufficere homini ad juſtificationem a peccatis, ſi
„ media accedat illa ſola fides aut confidentia (quam Hæretici poſtu-
„ labant,

„ labant ,) ſed oportere quod intercedat fides totius Evangelii, dile-
„ ctio Dei ſuper omnia , obedientia erga Deum ex toto corde , &
„ Pœnitentia ſeu odium peccatorum. “ Sanctus enim Dionyſius *lib. de*
„ *Eccleſ. Hierarch. cap.* 2. docet , quod per dilectionem Dei regeneramur , ponimurque in ſtatu & eſſe divino . *Et cap.* 23. “ Satis oſten-
„ ſum eſt per divinas Scripturas non ſufficere ſi accedat ſola fides aut
„ ſola confidentia ; ſed oportere intercedere fidem totius Evangelii ,
„ converſionemque hominis ad Deum , dilectionem &c. *Et poſtea* , “
„ NULLUS FUIT DOCTOR HACTENUS SANCTUS ET CATHOLICUS,
„ qui negaret in adultis hominibus juſtis hanc juſtitiam aut juſtifica-
„ tionem , quam credimus & confitemur, fieri per fidem , ſpem & cha-
„ ritatem.

Decimo octavo B. Carolus Borromæus, propter ſanctimoniam ac dignitatem , & quod ſynodo Tridentinæ finem impoſuerit anno 1563. dignus qui primus omnium prodiret , *Actuum parte* 4. “ Antequam Sa-
„ cerdos, inquit, Pœnitentiam imponat, & abſolutionem tribuat pœni-
„ tenti, videbit an propter Deum veram peccatorum ſuorum Contritio-
„ nem habeat.

Decimonono Catechiſmus Romanus, eodem promovente , editus in lucem , & a plurimis tum ſummis Pontificibus tum Synodis probatus, *par.* 2. *num.* 11. ad efformandam veram Pœnitentiam , poſt fidem , timorem ac ſpem , poſtulat ut poſtremo charitate corda accendantur . *num.* 35. “ Contritionem eſſe ſummum dolorem, quod ea ſit charitatis
„ actio . Eundem eſſe adeo Contritionis & charitatis modum. “Et“ Quam
„ ob rem Deum ſumme diligendum eſſe confitemur, ob eandem rurſus pec-
„ cati ſummum odium nos capiat neceſſe eſt.

Vigeſimo Ederus , qui Catechiſmum hunc in epitomem coegit , idem omnino docet.

Vigeſimoprimo Simon Vigor Narbonenſis archiepiſcopus , & olim e Tridentinis præſulibus , *Dominica decimaquarta poſt Trinitatem* ad Sacramentum requiri Contritionem , quæ etiam in mortis caſu ſatis eſſe queat.

Vigeſimoſecundo Andreas Vega *lib.* 6. *cap.* 28. dilectionem Dei ſuper omnia , ex communi opinione ſcholarum , eſſe neceſſariam ad juſtificationem , id eſſe “ Doctrinam Chriſti , Apoſtolorum , & ſan-
„ ctorum Eccleſiæ Doctorum . “ Denique *capite* 30. id eſſe etiam
“ Apud omnes Theologicos tractatores , quos unquam legiſſet , rece-
„ ptiſſimum.

Vigeſimotertio Gentianus Hervetus ingentis olim in eadem Synodo , ut & Vega , nominis theologus *in Catechiſmo* , “ Pœnitentia, inquit ,
„ eſt dolor a peccatore propter Dei offenſam elicitus. “Subjungit“ Hunc
„ dolorem talem eſſe oportere ut in extremo vitæ diſcrimine ſolus juſtitiam
„ parere queat.

Vigeſimoquarto Sonnius primus Antuerpienſium epiſcopus , qui ſy-
nodum

nodum quoque Tridentinam illuſtravit, *tract.* 4. *de Pœnitentia*, *cap.* 6. *de Contritione*, " Contritio pœnitentis, inquit, eſt ipſa triſtitia cor-
" dis ſecundum Deum de peccatis commiſſis, eo quod divinæ maje-
" ſtatis offenſiva ſint. " *Et infra*, " Conteritur, attériturque pecca-
" tor, quando incipit ſibi ex corde diſplicere ſuper turpitudine, &
" pravitate commiſſorum, atque ſerio odiſſe malam vitam ſuam,
" commemorando ſecum quod fontem bonitatis perdiderit, quod mor-
" tem invenerit, &c. quæ ſane ſi faciat prorſus ex amore ad bonum
" Deum, cum fiducia inveniendæ reconciliationis per Chriſtum, eſt
" Contritio: ſin autem remiſſe, vel ſolo metu pœnæ evadendæ, eſt
" Attritio non ſufficiens ad veram Pœnitentiam; attamen ad illam
" parans . . . . . Hæc & ſimilia docuit nos antiquitas Patrum vene-
" randa, non utique per excogitationem de cerebro ſuo, ſed ex
" fundamento Scripturæ ſanctæ, quæ ſic habet: *Recogitabo tibi an-*
" *nos meos in amaritudine animæ meæ*. Quorſum cogitare facta præte-
" rita, & hoc in amaritudine, ſi Contritio indiſtincta, & qualiſcun-
" que ſufficiat?

Vigeſimoquinto Richardotus Atrebatenſis præſul, alterum Synodi ac Belgii lumen, *in inſtructione Sacerdotum*, *cap.* 42. " Contritio, in-
" quit, ... eſt ſincerus, & verus dolor offenſæ Dei propter ejus
" honorem & amorem, potius quam propter ſolum pœnæ timorem. "
. . . . Addit Contritionis tres eſſe dotes: " prima eſt, Quod orta ſit
" potius ex caſta Dei dilectione, quam ex ſervili timore. Nam ſi il-
" li, qui ex metu gehennæ non peccant, interrogentur cur ſeipſos
" a peccatis cohibeant, reſponderent ſe a peccatis abſtinere, quia
" peccantibus infernus eſt paratus, qui ſi non eſſet, peccandi vo-
" luntas ipſis non deeſſet. Iſtius modi ergo dolor non eſt Con-
" tritio; ſed is ſolus qui ex vero Dei amore procedit, quamvis
" gehennæ timor ad eum introducendum juverit. Ad hoc enim ti-
" mor iſte aptus eſt, TAMETSI AD PECCATORUM REMISSIONEM
" NON SUFFICIAT, niſi veræ perfectæque Contritioni locum fecerit:
" ſecunda, Quod ſit adeo vehemens, ut aliquo modo æquet illum li-
" bidinis æſtum, quo flagitium perpetratum eſt: tertia, Quod tantum
" ſit peccati odium, quam ardens amor quo diligit Deum: quod
" tunc fit, quando pœnitens ſuper omnia peccatum deteſtatur, quemad-
" modum Deum ſuper omnia amare tenetur.

Vigeſimoſexto Caſſadorus Barcinonenſis, qui eidem Synodo affuit, *in Rituali*, *de Pœnitentia*, *cap.* 7. Contritionem eſſe " Dolorem de
" peccato quatenus offenſa Dei eſt: Attritionem vero propter ſup-
" plicia inferni . . . . . (quæ) ad remiſſionem peccatorum non ſuf-
" ficit.

Vigeſimoſeptimo Samarinus *in ſuo*, *juxta concilii Tridentini ſanctiones*, *ſacerdotali*, *prima parte*, " Contritio, inquit, eſt dolor pro pec-
" catis voluntarie aſſumptus &c. .... Dolor peccatorum debet eſſe propter
" De-

„ Deum, non propter timorem pœnarum, aut propter quodvis aliud; ſed „ quia ſunt offenſa Dei.

Vigeſimooctavo Didacus Stella *in cap.6. Lucæ*, "Si dolorem, inquit, habueris ſolum vel præcipue id cavens ne in infernum eas, certiſſime ſcias te „ hac ſola ratione damnandum.

Vigeſimonono Cornelius Janſenius Gandavenſis, qui unum e Concilii ornamentis fuit, *in concordia cap.39.* requiri dolorem de peccatis. "Eo quod ſint offenſiva Dei.

Trigeſimo Petrus e Motta *lib. 3. Catholicæ profeſſionis cap.9.* "Contritionem generatim eſſe dolorem voluntarie aſſumptum pro peccatis propter Deum . . . . . In qua definitione oſtenditur diſcrimen inter Contritionem & Attritionem : 1. quia Contritio propter Deum tanquam finem ſuſcipitur ; Attritio autem propter timorem damnationis .... 3. quod Contritio juncta cæteris Pœnitentiæ partibus vim habet remittendi peccata, Attritio non habet.

Trigeſimoprimo Jodocus Raveſteinus, qui ſynodi Tridentinæ, ad quam ierat, *apologiam* ſcripſit, *ibi* ait, " Veram & ſinceram Pœnitentiam peccatoris non ex pœnæ, & damnationis tantum timore; „ ſed ex vero & ſincero Dei amore, ac bona erga Deum voluntate pro- „ ficiſci.

Trigeſimoſecundo Jacobus Pavva Andradius, Luſitaniæ Regis in Synodo eadem theologus *lib.6. adverſus Kemnitium c.2.* "Niſi charitas præcedat, ... „ peccata deleri nullo modo poſſunt.

Trigeſimotertio Nicolaus Thuanus Carnotenſis epiſcopus *in Rituali*: " Contritionem eſſe intimum dolorem propter Deum : ... hanc habere ſua „ præambula; .... incipit enim a timore ſervili. Si hic conſiſtit peccator, in „ deſperationem adigitur: perficitur autem a timore filiali, cum peccator „ deteſtatur peccata ex amore Dei.

Trigeſimoquarto Bonius epiſcopus Engoliſmenſis *itidem in Rituali*; " Pœnitentia virtus, quæ eſt materia ſacramenti Pœnitentiæ, tunc eſt, cum „ peccata nobis diſplicent ex amore Dei, non ſolum ob pœnarum metu, vel „ ex amore noſtri.

Trigeſimoquinto Navarrus *in Manual.cap.1.n.1.* " Contritionem eſſe pœnitudinem .... cum dolore .... peccati .... quatenus eſt offenſa Dei ſuper „ omnia dilecti. " .... *ibid. n.33.* " Attritio propter metum pœnæ temporalis vel æternæ, non ſufficit ut per ipſam ſolam remittatur peccatum ; imo neque per eam & abſolutionem ſacramentalem ſimul ; „ quin imo peccat qui cum ea petit aut accipit abſolutionem . " *Et in fine capitis* : " Negamus ſufficere ad abſolutionem ſacramentalem „ Attritionem ſive pœnitudinem, qua peccator ceſſat a peccato pro- „ pter ſolam pœnam inferni, ſi nullus actualis vel virtualis Dei „ amor, vel odium peccati, quatenus eſt ipſius offenſa, eam co- „ mitetur.

Trigeſimoſexto Petrus de Villars archiepiſcopus Viennenſis *in Rituali*,

„ Pœ-

“ Pœnitentiam oportere non ſolum ex timore pœnæ, verum etiam ex amo-
„ re Dei concipi.

Trigeſimoſeptimo Lopez aliam opinionem, quam tamen amplectitur, recens in ſcholas invectam confitetur auctore Cano, & Henrico Salmanticenſi.

Trigeſimooctavo Synodus Atrebatenſis anno 1590. Contritionem requirit quæ in caſu neceſſitatis ſufficiat: “ Docere debent Sacerdotes,
„ inquit, ſuos Parochianos, quod vera Pœnitentia regulariter conſi-
„ ſtit & habet tres partes; ſcilicet Contritionem, confeſſionem, & ſa-
„ tisfactionem. Dico regulariter; quia ubi neceſſitas, non contem-
„ ptus, excluderet confeſſionem & ſatisfactionem, in via ſufficeret
„ ſola Contritio ad expiationem peccati: unde verum eſt quod ſola
„ Contritio in tali caſu, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi
„ tollit peccatum, & reddit hominem vivum, qui per peccatum fue-
„ rat mortuus.

Trigeſimonono Elector Trevirenſis *in catecheſibus* eodem tempore editis, ad hanc quæſtionem, Quanta debeat eſſe Contritio ut ad peccati remiſſionem ſufficiat? ita reſpondet, “Requiritur & ſufficit, ut ex ve-
„ ra Dei charitate ſuper omnia emanet, ipſamque habeat conjunctam.
„ Si enim ille animi motus ex aliis quam Dei amore procedat: non ad
„ Deum, ſed ad aliud bonum ducit. “ Et ad quæſtionem: Qualis eſſe debeat dolor de peccatis? Reſpondet: “ Integer & verus: ſicut verus
„ Dei amor, ut excedat in Dei oculis omnem alium affectum volun-
„ tatis: ita ſcilicet .... ut .... quidquid boni aut mali occurrerit, id
„ minus quam Deus ametur, minus quam peccatum odio habeatur.

Quadrageſimo. Erneſtus Leodienſis *in Parrochiali*, “ Contritio, inquit,
„ eſt vehemens animi dolor, quo Pœnitens deteſtatur & dolet de omni-
„ bus peccatis commiſſis, propter Dei ſupremi boni offenſam. “ Unde poſtmodum colligit Attritionem non ſufficere ad Sacramentum. “ Do-
„ lor, inquit, debet eſſe vehemens: nam Attritio non ſufficit .... 4.
„ debet iſte dolor concipi propter Deum offenſum: nam dolere pro-
„ pter creaturas vel propter damnum vel infirmitatem, non eſt Contri-
„ tio.

Sic ad finem uſque ſuperioris ſæculi in hac quam a majoribus acceperant de amoris Dei neceſſitate doctrina, omnes, pauciſſimis exceptis, immoti ſteterunt.

His omnibus adjungere juvat ipſos Societatis Jeſu principes, qui ingens abſque dubio huic ſententiæ robur, magnamque lucem addiderunt: in eam enim univerſi paſſim, ſpreta novitate, conceſſerunt.

Primus eſt Didacus Lainez alter poſt Beatum Ignatium totius Sodalitii præpoſitus, de quo jam verba fecimus *pag.* 358.

Secundus Claudius Jaſus, ob vitæ ſanctimoniam *Angelus* olim dictus. Is enim, ut conſtat ex Palavicino, amoris Dei neceſſitatem in ſynodo Trident. quoque aſſeruit.

Tertius Salmeron *tomo 3. tract. 22. de cantico Zachariæ*, ubi etiam agnoſcit timore non purgari affectus internos, ſed externos tantum: „ Ejuſmodi affectio, inquit, purgat non affectus internos, ſed externos tantum; non immutat cor ipſum, ſed opera duntaxat: coercet „ quidem iniquitatem, non juſtificat voluntatem. „ Ipſe pariter ſynodo Tridentinæ affuit.

Quartus eſt Caniſius *in Catechiſmo* ubi definit Contritionem eſſe „ Animi dolorem .... de peccatis propter Deum offenſum. „ Quam in rem affert illud S. Auguſtini (ut putabat) „ Pœnitentiam certam non „ facit, niſi odium peccati & amor Dei.

Quintus Edmundus Augerius *in ſuo de Pœnitentia opere*; „ Plane certum eſt, inquit, quod ad obtinendam peccatorum remiſſionem neceſſe ſit dolere de peccati enormitate, non ſolum ex intuitu pœnæ, ſed „ etiam quia opponitur ſummo bono, quod eſt ipſe Deus: .... cujus „ reformidare debemus offenſam: ex quo ſuper omnia ipſum diligere tenemur.

Sextus eſt Maldonatus *de Pœnitentia cap.* 2. ubi illud ex profeſſo aſtruit; „ Quod ſit pars Pœnitentiæ Contritio, Scriptura docet; & quemadmodum præcipit ut Deum diligamus ex toto corde, ita jubet ut „ ad eum convertamur in toto corde. Nam eadem via neceſſe eſt ad „ Deum convertamur, qua ab eo diſceſſimus: diſceſſimus autem ab eo, „ quia illi antepoſuimus res creatas: ergo debemus ad illum redire dolendo quod ipſum offenderimus, pluſquam doluimus propter res creatas omnes. „ *ibid. cap.* 5. ait „ Charitatis præcepto homines obligari, „ cum teneantur ad confeſſionem &c. Et iſta, inquit, communis opinio „ eſt.

Septimus Joannes Theodorus Macherentinus *in catechiſmo Trevirenſi c.* 4. non ſolum enim affirmat, ſed etiam ex Scripturis probat, Pœnitentiam, ut ſalutaris ſit, charitate inſtructam eſſe oportere. „ Quanta debet „ eſſe Contritio ut ad peccati remiſſionem ſufficiat? Reſp. Requiritur & „ ſufficit, ut ex vera Dei charitate ſuper omnia emanet.

Octavus Bernardinus Roſignolius *in lib.* 1. *de diſciplina Chriſtianæ perfect. cap.* 8. non enim putat ſufficere timorem gehennæ; imo nec amorem Dei, qui dicitur *concupiſcentiæ*, ſed neceſſariam eſſe veram ac minime fucatam charitatem. „ Compunctionis apud S. Gregorium, inquit, duo „ ſunt genera, ... cui addi debet tertium ex .... S. Bernardo .... De duobus primis ita ſcribit ſanctus Pontifex: Duo compunctionis genera „ ſunt, quia Deum ſitiens anima prius timore compungitur, poſt amore ..... Primum compunctionis genus illud eſt quod a Theologis appellatur *Attritio*, nec alio nomine dignum eſt, eo quod adhuc longe „ diſtat ab altiſſimo illo mœrore ..... qui *Contritio* nominatur. Secundum etiam mœroris genus, licet cum amore conjunctum ſit, eſt nihilominus Attritio, licet priore excellentius, ut quod ex amore profici ſcitur, non autem adhuc Contritio: quia nititur non amori Dei,

per-

„ perfecto, qualem exigit Contritio, ſed amori cęleſtium gaudiorum,
„ qui non inepte appellatus eſt *amor concupiſcentiæ*. Neceſſe igitur eſt,
„ ut altiorem gradum de peccatis commiſſis dolor teneat, itaque affi-
„ ciat animum, ut non amore aliquo ſui peccata ſua defleat, ſed præ-
„ cipue ipſo amore ſolius Dei, in quem ſolum graviſſime injurioſus
„ fuit, ſanctiſſimam ejus legem violando: .... & hic eſt tertius com-
„ punctionis altiſſimuſque gradus. HUNC proinde NECESSARIUM cen-
„ ſet (S. Bernardus) cum ait: Neceſſe eſt igitur &c.

Nonus eſt Galterius; *in tabula enim chronographica ſtatus Eccleſiæ catholicæ ad ſæculum Quintum*, poſtulat, exemplo Auguſtini, ut peccator " Vere conteratur; hoc eſt præcipue propter Deum oderit peccatum: "
„ ſeu, quod eodem redit, " Peccatum eo potiſſimum nomine deteſte-
„ tur, quod Deo injurioſum eſt.

Decimus eſt Franciſcus Toletus primus ex illa eadem Societate cardinalis. *Lib.* enim 3. *de inſtructione Sacerdotum c.* 4. *n.* 2. " Contritio,
„ inquit, eſt peccati præteriti, ut eſt Dei offenſa, voluntaria ſupra
„ omnia deteſtatio. " Tum explicans ſingulas definitionis voces: " Ut
„ eſt, inquit, Dei offenſa; quia non ſufficit nolle peccaſſe, quia ma-
„ lum aliquod peccatum ſecum affert; ſed oportet hac ratione, quia of-
„ fenſa Dei eſt, peccatum deteſtari. " cujus rei rationem ſtatim ſubdit *num.* 4. " Eſſentialiter enim, inquit, Contritio eſt actus quo homo
„ nollet peccaſſe, quatenus eſt offenſa Dei. " *Num. autem* 8. " Attri-
„ tio, inquit, ſi talis ſit ut cognoſcat pęnitens ſe non deteſtari pecca-
„ tum, ut eſt Dei offenſa, ſed tantum ut eſt alicujus mali cauſa & pę-
„ næ inferni; quamvis bonus ſit actus iſte, tamen non ſufficit ad Sa-
„ cramentum: imo qui ſic accederet, peccaret denuo & non impleret
„ præceptum, ſed eſſet repetendum Sacramentum.

Hæc ille in veris ac genuinis operibus, qualiter Romæ, Antuerpiæ, & Coloniæ ex ipſo manuſcripto auctoris anno 1599. 1600. & 1601, prodierunt. Iſta enim poſtmodum turpiter adulterata & interpolata ſunt: de quo poſt alios Farvaquius *in ſuis de Contritione opuſculis*; & Queraſſius *in* 2. *parte diſſertationis ſuæ*, graviter conqueruntur.

Argumentum ſextum ex Theologis ab anno 1600.
ad hanc uſque ætatem.

Etſi Attritio ſervilis ſæculo proxime elapſo nata, deinceps ad ſtuporem uſque invaluit; non ita tamen oppreſſa veritas eſt, ut non ſæpe emicuerit, donec tandem ab injectis vinculis expedita ſenſim & aſſerta, ſeſe priſtinæ dignitati ac celebritati, quam hodie feliciter conſpicimus, reſtituit. Illius vindices duntaxat notabimus.

Amoris igitur Dei neceſſitatem hoc ævo docuerunt.

Primo Anno 1603. plurimi aut potius fere omnes. Teſtatur enim Suarez *ſupra*, *pagina* 135. opinionem de Attritionis ſervilis ſufficien-

ficientia, ut novam, ſic non admodum fuiſſe communem hoc anno.

Secundo Anno circiter 1610. plures magnique Theologi; ita enim Comitolus *lib.* 1. *q.* 32. licet ipſe in adverſam ſententiam propendeat: " Non uſque adeo certum, Attritionem pęnitenti eſſe ſatis; quippe „ plures magnoſque Theologos requirere Contritionem perfectam: quo- „ circa Sacerdotis partes eſſe debent veræ Contritionis motum in cor- „ de pęnitentis auxiliante Deo elicere; .... eundemque hoc modo af- „ fectum tunc demum abſolvere, cum proſpexerit ipſum propter Deum „ dolere de peccatis.

Tertio Anno 1612. Eſtius *in* 4. *diſt.* 16. §. 9. " Quamvis timor ge- „ hennæ, inquit, donum Dei ſit, non tamen ſufficienter hominem „ præparat ad peccati remiſſionem per ſacramentum Pęnitentiæ conſe- „ quendam: quia per ſe non ſufficit ad excludendam omnino volunta- „ tem peccandi.... Quare niſi acceſſerit amor juſtitiæ, & dilectio Dei „ ſuper omnia, ac deteſtatio peccati ſuſcepta propter Dei offenſam, „ non poterit timor ille hominem perducere ad amicitiam Dei.

Quarto B. Franciſcus Saleſius an. 1622. mortuus: *in lib.* enim *de amore Dei c.* 19. Pęnitentiam nihil prodeſſe aſſerit, quandiu in timore conſiſtit: tunc vero ſalutarem eſſe, quando amore Dei jam cępit exornari. " Pęnitentia, inquit, quæ divinum amorem non excludit, quamvis „ adhuc ſine eo ſit, bona eſt, & optanda Pęnitentia; ſed imperfecta, „ quæ ſalutem nobis dare non poteſt, donec ad amorem provecta ſit, „ cumque ipſo commixta: ita ut, ſicut magnus Apoſtolus dixit, ſi „ corpus ſuum traderet, & diſtribueret pauperibus omnes facultates „ ſuas, non haberet autem charitatem, id ſibi nihil prodeſſet: ita ve- „ re affirmare poſſumus, tametſi Pęnitentia noſtra tanta eſſet ut in la- „ crymas oculi noſtri reſolverentur, & dolore corda noſtra colliques- „ ſcerent; niſi ſanctum Dei amorem habeamus, id totum nobis ad „ ſalutem ſempiternam nihil proficeret.

Quinto Sylvius anno circiter 1630. *in* 3. *partem S. Thomæ ad q.* 1. *ſupplementi art.* 3. expendens utrum Attritio fieri poſſit Contritio, quatuor ſpecies diſtinguit Attritionis, quarum 1. ſit „ Dolor de peccato pro- „ pter naturalia duntaxat motiva: .... 2. quando quis dolet propter me- „ tum æternæ damnationis, quæ lumine fidei cognoſcitur, ſed.... conjun- „ ctam non habeat dilectionem Dei ut autoris gratiæ, nequidem imper- „ fectam: 3. cum dolet propter offenſam Dei, ... ſed ſuſpenſa & opta- „ tiva voluntate, quæ vocatur velleitas: 4. cum dolet quis propter pœ- „ nas inferni fide cognitas, ... inde accipiens occaſionem deteſtandi „ peccata præterita, & firmum propoſitum non peccandi; .... nullum „ autem eorum (trium priorum dolorum) ſufficit etiam cum Sacramen- „ to ad reconciliationem. Nam quæ primi generis eſt (Attritio) ſolis „ naturæ viribus haberi poteſt. Quæ ſecundi, licet ſit donum Dei, ... „ non importat Dei ut autoris gratiæ amorem, neque excludit volun-

„ tatem

„ tatem Deum offendendi: .... ac proinde niſi acceſſerit aliquis amor „ juſtitiæ, & quædam dilectio Dei ſaltem imperfecta; non poterit eſſe „ diſpoſitio ſufficiens. Quæ tertii eſt generis non continet abſolutum „ propoſitum non peccandi. Attritio autem quam quarto loco recenſui- „ mus .... ſufficit cum Sacramento..... Conſequens eſt eam omnem At- „ tritionem, quæ ſic naſcitur ex ſolo timore.....æterni ſupplicii, ut nul- „ latenus conjunctam habeat aliquam dilectionem Dei aliquo modo ſuper „ omnia, ... non eſſe annumerandam Attritioni illi, quæ cum Sacra- „ mento ſufficit.

Sexto Jacobus Boonen archiepiſcopus Mechlinienſis an. 1637. *in quadam ea de re conſtitutione*, quam Queraſſius refert 2. *parte*; pauca inde ſeligamus. " Cum, ex omnium Theologorum ſententia, inquit, in Sa- „ cramentorum adminiſtratione adhiberi ſemper debeant materiæ & for- „ mæ determinatæ, ac quantum fieri poteſt ſecuriſſimæ; .... intelliga- „ mus vero inter catholicos doctores adhuc diſputari, an inter actus pœ- „ nitentis, quos ſacrum concilium Tridentinum definit eſſe quaſi mate- „ riam ſacramenti Pœnitentiæ, ſufficiens cenſeri debeat illa contritio „ imperfecta, ſeu Attritio, qua tantum propter pœnas peccata deteſta- „ mur:.... vobis, qui ad ſacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem eſtis „ admiſſi & approbati, mandamus quatenus omnem veſtram induſtriam „ eo conferatis, ut ad dicti Sacramenti perceptionem accedentes induca- „ tis & diſponatis ad dolorem ſuorum peccatorum, non tam ex timo- „ re pœnarum quam ex Dei amore, quo ipſum velut ſummum bonum, „ quod maxima impietate peccando contempſerunt, perfecte diligant, „ vel ſaltem ut fontem juſtitiæ, qua ſcilicet juſtificamur, diligere in- „ cipiant. Si enim populus ille rudis ſub veteri lege, qui acceperat tan- „ tum ſpiritum ſervitutis in timore, in tanta gratiæ penuria, non po- „ terat juſtificari niſi per dilectionem Dei ſuper omnia; meritiſſime „ nos filii novi teſtamenti, ... non tanquam ſervi timore pœnarum, „ ſed tanquam filii, ex amore ejus qui dilexit nos & lavit nos a pec- „ catis noſtris in ſanguine ſuo, ipſa peccata ſuper omnia mala deteſtari „ debemus.

Septimo Octavius de Bellegarde archiepiſcopus Senonenſis anno 1645. *in Synodo*, " Prohibemus, inquit, Concionatoribus, prædicare, quod ad „ juſtificationem in ſacramento Pœnitentiæ neceſſarius non ſit peccato- „ ribus amor Dei ſupernaturalis; ipſiſque mandamus ut populis ſollici- „ te exponant diſpoſitiones a Tridentino requiſitas *ſeſſ. 6. cap. 6.* & *ſeſſ.* „ 14. *cap.* 4. " relatiſque verbis ſeſſionis 6. cap. 6. *Deumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, addit: "Quod ſi verba iſta Con- „ cilii perſpicue oſtendunt, adultis neceſſariam eſſe Dei dilectionem ad „ juſtificationem, etiam in ſacramento Baptiſmi; a fortiori poſt amiſ- „ ſam Baptiſmatis gratiam .... eadem dilectio neceſſaria eſt ad juſtifica- „ tionem in ſacramento Pœnitentiæ. " Et poſt laudata verba ſeſſionis 14. cap. 4. " Juxta hoc decretum, inquit, ipſamet Attritio inclu-

„ dere debet voluntatem amplius non peccandi, cum ſpe veniæ a
„ Deo conſequendæ: quæ duæ conditiones eſſe nequeunt abſque amo-
„ re Dei.

Octavo Joannes Morinus *in lib.* 8. *de Pœnitentia* paſſim, an. 1651.

Nono Joannes Launojus in libro *de mente concilii Tridentini circa Contritionem*, edito ad ann. 1653.

Decimo Hugo Matholdus anno 1655. *in ſuis ad Pullum obſervationibus*.

Undecimo Namurcenſis præſul Joannes Wachtendonck anno 1659. *in Synodo*, " Cum nihil magis cordi eſſe debeat, quam ut ſanctiſſima
„ Sacramenta .... abſque ullo invaliditatis periculo adminiſtrentur; &
„ in his adhibeantur materiæ & formæ certæ & determinatæ, ac quan-
„ tum fieri poteſt ſecuriſſimæ, qualis eſt in ſacramento Pęnitentiæ Con-
„ tritio ex amore Dei ſuper omnia: .... mandamus omnibus & ſingu-
„ lis ad ſacramenti Pęnitentiæ adminiſtrationem admiſſis, quatenus om-
„ nem ſuam induſtriam eo conferant, ut pęnitentes ..... per actus ſu-
„ pernaturales fidei, ſpei, & charitatis .... moveant ad veram & cor-
„ dialem deteſtationem, & dolorem ſuorum peccatorum, non tam ex
„ timore pęnarum quam ex dilectione Dei.

Duodecimo facultas Lovanienſis *in judicio ſuo an.* 1662. *ſuper controverſia quæ tunc curiones Gandavenſes inter & quoſdam religioſos viros agitabatur:* " Die ultima Maii anni 1662. in curia academica ſub jura-
„ mento convocata & congregata Facultas theologica Lovanienſis a
„ RR. DD. Paſtoribus civitatis Gandavenſis, per litteras hiſce junctas,
„ rogata proferre judicium ſuum ſuper hoc articulo (Attritionem quæ
„ ex ſolo gehennæ aut pęnarum a Deo infligendarum metu concipi-
„ tur, ſine interventu alicujus ſaltem imperfecti amoris benevolentiæ
„ erga Deum, non ſufficere ad juſtificationis gratiam in Sacramento
„ impetrandam,) & ſimul ſuper hoc ſcripto eidem epiſtolæ per eoſdem
„ adjuncto, per quod doctrina iſta probatur: unanimi conſenſu cen-
„ ſuit, doctrinam dicti articuli eſſe ſanam, ſecuram, veram, nulli re-
„ prehenſioni obnoxiam, & merito fidelibus eſſe prædicandam & in-
„ culcandam: & inſuper fundamenta quibus doctrina iſta per idem ſcri-
„ ptum confirmatur ſolida eſſe. Actum Lovanii anno, menſe & loco
„ quibus ſupra.

Decimotertio R. P. Franciſcus Farvaquius ex Auguſtinianorum familia an. 1665. & ſequenti, in plurimis ſuper eo argumento opuſculis. Satis erit ſingulorum titulos recenſere.

Appendix ad quæſt. quodlib. de Attritionis inſufficientia edita Lovanii anno 1661.

Xenium Theologicum, in quo dilectionis Dei in Sacramento Pęnitentiæ neceſſitas per quæſtionem quodlibeticam aſſerta ſtabilitur & confirmatur; editum Lovanii anno 1668.

Apologia pro Xenio dilectionis edita ibidem anno 1668.

Diſce-

Diſceptationes apologeticæ pro veritate & charitate, ac *theſes* ſeu *vindiciæ veritatis & charitatis* eodem præſide propugnatæ Lovanii, illæ die 18. Martii anno 1670. & iſtæ die 26. per fratrem Gregorium Van-Goorlaccken.

Decimoquarto Chriſtianus Lupus, librorum & eruditionis copia toti orbi notiſſimus, in ſuo *de Contritione* libello an. *1666.* & *in epiſtola ad Henricum Noris*.

Decimoquinto Ludovicus Henricus de Gondrin *in Catechiſmo anni 1669. lect. 26.*

„ Quale, inquit, eſſe debet Contritionis noſtræ motivum? Reſp. „ Amor Dei innixus bonitate ipſius, gratiiſque omnibus quas nobis immeritis contulit.

„ Quare divinus amor eſſe debet motivum noſtri de Deo offenſo doloris? Reſp. Quia ſicut peccatum, cum ſit aliquod Dei odium, a Deo nos ſeparat; ſolus Dei amor nos Deo reconciliare „ poteſt.

„ Ergone verus Dei amor neceſſarius eſt ad reconciliandum nos Deo „ per Pęnitentiæ ſacramentum? Reſp. Ita omnino, ſecundum ſpiritum „ & regulas Evangelii.

„ Solus ne pęnarum timor ſufficit cum Sacramento? Reſp. Prorſus „ inſufficiens eſt, niſi ei jungatur amor.

Decimoſexto an. 1675. Macarius Havermans *in Tirocinio Theologiæ moralis*, & *in peculiari diſquiſitione Theologica*. " Dico ergo, inquit, „ mihi inprimis certum videtur cum Sacramento requiri prædominan- „ tem Dei propter ſe amorem. Sit ergo & hoc fixum, requiri ad „ Attritionem ſufficientem cum Sacramento ad juſtificationem, amo- „ rem Dei prædominantem.

Decimoſeptimo Pater Gabrielis eodem anno *in ſpecimine moralis chriſtianæ* §. 5. *pag.* 193. " Dubium eſt ad minimum, utrum talis Attritio „ ſufficiat cum Sacramento; cum ſanior pars Theologorum ſuſtineat il- „ lam non ſufficere, & Patrum teſtimonia ſuperius allata hoc evincere „ videantur.

Decimooctavo anno *1676.* illuſtriſſimus Remenſis archiepiſcopus Mauritius le Tellier *in rituali*, *de ſacramento Pænitentiæ*, ubi de Contritione: " Motivum principale Contritionis eſt Dei amor ſuper omnia; ta- „ metſi enim timor qui ordinarie concipitur ex conſideratione enormi- „ tatis peccati vel pęnarum inferni, Dei donum ſit & Spiritus ſancti „ impulſus, utiliter concutiens peccatorem, ipſumque diſponens ad ju- „ ſtificationem; nihilominus timor iſte non avellit ex toto peccatorem „ a creatura, niſi excludat voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ, ini- „ tialique amore, quo peccator convertatur & feratur in Deum tan- „ quam omnis juſtitiæ fontem.

Decimonono eodem anno Colbertus abbas, poſtea illuſtriſſimus archiepiſcopus Rothomagenſis, cum tunc licentiæ Theologicæ ſtadium de-

curreret: " Contrariam vero opinionem recentem eſſe & a paucis in-
„ ventam: " de quo Queraſſius 2. *parte*, *c.* 23. *ſect.* 4.

Vigeſimo Illuſtriſſimus ad eundem annum epiſcopus Tornacenſis *in Catechiſmo*, ac poſtmodum in alio *de Pœnitentia* eleganti libro. Hanc quæſtionem proponit *in Catechiſmo*: " Quodnam eſſe debet præcipuum „ Contritionis motivum? Reſp. Amor Dei innixus bonitate ejus & gra- „ tiis omnibus quas nobis immeritis contulit.

„ Solusne timor cum Sacramento ſufficit: Reſp. Non ſufficit; ſed „ junctus eſſe debet cum amore.

Vigeſimoprimo eodem quoque anno illuſtriſſimi eccleſiæ Rupellenſis ac Lucidonenſis Principes *in eo* quem junctis operis ediderunt *Catechiſmo*, *parte* 6. *lect.* 8. *art.* 3. " Eſtne neceſſe, inquiunt, ut ex amore Dei „ doleamus de peccatis noſtris, ad eorum in ſacramento Pœnitentiæ „ remiſſionem conſequendam? Reſp. Requiritur ſaltem initium amoris „ Dei: tum quia unum eſt ex primis principiis ethices chriſtia- „ næ, quod Deus peccata non condonet, niſi iis qui ſe conver- „ tunt ad ipſum; quod non fit, niſi dum quis incipit vere amare „ Deum.

Vigeſimoſecundo Eminentiſſimus Cardinalis idemque illuſtriſſimus Gratianopoleos epiſcopus *in ea* quæ ſub ejus auſpiciis prodiit an. 1678. *Theologia morali tract.* 6. *c.* 5. *interrogat.* 9. & 10.

Vigeſimotertio an. 1681. idem qui ſupra illuſtriſſimus Archiepiſcopus Remenſis theſim refigi juſſit, quæ amoris Dei neceſſitatem excluſerat: de quo etiam Queraſſius 3. *part. cap.* 21.

Vigeſimoquarto an. 1685. Joannes epiſcopus Caſtorienſis in pio ac erudito ſuo *de amore Pœnitente* libro 1.

Vigeſimoquinto eodem anno Queraſſius in grandi diſſertatione *de concilii Tridentini circa Attritionem ſenſu*.

Vigeſimoſexto anno 1688. Joannes Opſtraetus S. Theologiæ in Academia Lovanienſi licentiatus, *in diſſertatione Theologica de converſione peccatoris*.

Vigeſimoſeptimo Illuſtriſſimus Pontiſpoleos Epiſcopus in omnibus quos de hoc argumento ſcripſit exinde libris, *ſupra*, *pagina* 125.

Vigeſimooctavo ut reliquos prætercam minus inſignes, eminentiſſimus cardinalis Noallius. Non ſolum enim ille in Theologiæ curriculo hoc propugnavit, imperfectam nempe Contritionem, quæ *Attritio* dicitur, niſi adjunctum habeat Dei amorem ſuper omnia, ſaltem inchoatum & initialem, nequidem ad remiſſionem peccatorum etiam cum Sacramento conſequendam ſufficere, (de quo Queraſſius 2. *parte cap.* 23. *ſect.* 4.) ſed etiam nuper * cum damnaret famoſum *de gratia* opus, *parte* 2. *opuſculi* docet ſuppliciorum metum eo referri

ut amo-

* *anno* 1696.

ut amori Dei viam paret: hunc vero " ſolum eſſe demum amorem, „ qui converſionem cordis inchoet & perficere poſſit.

Decimonono ut totum hoc agmen nobili coronide concludamus, Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700. *in cenſura propoſitionum* 127. *art*. 17. hanc confixit propoſitionem: " Attritio ex gehennæ metu ſufficit, etiam ſine ulla Dei dilectione, ſine ullo ad Deum offenſum „ reſpectu: quia talis honeſta & ſupernaturalis eſt. " *In declaratione* vero *ſua de dilectione Dei in Pœnitentiæ ſacramento requiſita*, " Poſt abſolutas, inquit, propoſitionum cenſuras, ſuperſunt quædam pro rei „ gravitate enucleatius exponenda, & ab ipſis principiis in apertam lu- „ cem deducenda.

„ Et quidem de dilectione Dei ſicut ad ſacramentum Baptiſmi in „ adultis, ita ad ſacramentum Pœnitentiæ, quæ eſt laborioſus Baptiſ- „ mus, requiſita, ne neceſſariam doctrinam omittamus; hæc duo inpri- „ mis ex ſacro-ſancta ſynodo Tridentina monenda & docenda eſſe du- „ ximus: primum, nequis putet in utroque Sacramento requiri ut præ- „ viam Contritionem eam, quæ ſit charitate perfecta, & quæ cum vo- „ to Sacramenti, antequam actu ſuſcipiatur, hominem Deo reconci- „ liet: alterum, ne quis putet in utroque Sacramento ſecurum ſe eſſe, „ ſi præter fidei ac ſpei actus, non incipiat diligere Deum, tanquam „ omnis juſtitiæ fontem.

„ Neque vero ſatis adimpleri poteſt utrique Sacramento neceſſarium „ vitæ novæ inchoandæ ac ſervandi mandata divina propoſitum, ſi pœ- „ nitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, „ nullam curam gerat; nec ſit ſaltem animo ita præparato, ut ad il- „ lud exequendum divina opitulante gratia ſeſe excitet ac provocet.

„ Placet etiam caveri a ſacramenti Pœnitentiæ adminiſtris, ne in hoc „ Pœnitentiæ ſacramento aliiſque Sacramentis conferendis, ſequantur „ opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; neve „ pœnitentes ipſorum fidei animam ſuam committentes admonere ceſ- „ ſent, ut in pœnitendo inchoatæ ſaltem dilectionis Dei ineant viam, „ quæ ſola ſecura ſit, graviter peccaturi in hoc ſalutis diſcrimine, vel „ eo ſolo quod certis incerta præponant.

Quocirca, ſi rationes ac calculos bene ſubducas, reperies hoc ipſo ſæculo plurimos extitiſſe pietate ac doctrina commendabiles, qui amoris Dei neceſſitatem defenderint: ſuperiori ad finem, quinquaginta & amplius ſcriptores, aut potius univerſos, pauciſſimis demptis, in eandem ſententiam iviſſe: in Concilio Tridentino omnes, præter unum, in ea pariter acquieviſſe: ante Concilium vero cunctos nullo excepto, ſive Theologos, ſive Patres: ut omittam Scripturas, quæ quam evidenter nobis faveant, multis oſtendimus.

Argumentum ſeptimum e ratione.

Ad hæc omnia quæ jam adduximus, multiplex etiam ratio accedit.

Prima: Homo non peccat niſi eo quod Deo creaturam præfert: ergo ut peccatum deleatur, oportet ut creaturæ Deus pro ſuo jure anteponatur: hoc autem non fit niſi per amorem. Ergo.

Secunda: Ut quis veniam obtineat criminum a Deo, neceſſe eſt ut rectus & legitimus ordo rerum, qui peccato perverſus & everſus fuerat, in integrum reſtituatur; atque adeo ut homo diligat quod diligendum eſt, & plus diligat quod plus diligendum eſt, & ſuper omnia amet quod ſuper omnia eſt amandum: Tunc enim vere rectum eſt cor hominis, ut affirmat Auguſtinus. Atqui amandus eſt Deus ſuper omnia. Ergo.

Certe offenſio Dei, ut ait Chryſoſtomus *ſupra*, *pag*. 258. nullo non ſupplicio gravior eſt: ea igitur ſi recti ſumus, longe magis timenda eſt, quam pœna quælibet: non poteſt autem illa timeri, niſi amor Dei adſit. Ergo.

Tertia: Non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum: atqui homo dum peccat, eripit, quantum in ſe eſt, Deo rationem ac titulum finis ultimi, quem in creatura collocat, ad eamque transfert: ergo non poteſt ab eo abſolvi, quin finem ſuum ultimum in Deo rurſus reponat. Id autem ſine amore Dei ſuper omnia peragi nequit. Ergo.

Et vero eſt ſemper aliquis in amando finis ultimus, quem nobis in vita inſtituenda figimus. Si enim nullus foret ultimus finis qui voluntatem moveret, nuſquam illa moveretur. Duplex autem tantum eſſe poteſt hujuſmodi finis, mundus nempe aut Deus: ergo aut in corde regnat Deus, qui omnes ejus affectus ad ſe convertit per charitatem; aut regnat mundus, qui per cupiditatem omnia ſimiliter ad ſe detorquet.

Quarta: In hominis cum Deo reconciliatione par eſt, ut illud ſaltem interveniat, quod in omni reconciliatione jus ipſum naturale poſtulat. Atqui illud ante omnia exigitur ab eo qui alteri reconciliari cupit, ut eum culpæ & offenſæ pœniteat. Ergo multo magis ubi de Deo agitur. At neminem pœnitere poteſt quod offenderit Deum eique diſplicuerit, niſi ei placere prius amaverit. Ergo.

Quinta: Is profecto veniæ nondum aptus eſt, in quo dominatur adhuc prava cupiditas. Atqui ubi nullus eſt amor Dei, ibi ſemper dominatur prava cupiditas: cor enim amore, eoque dominante, vacuum eſſe non poteſt. Duplex autem eſt duntaxat amor, creaturæ ſcilicet & Dei: ac proinde ubi principatum non obtinet amor Dei, ibi per conſequens, aut aperte aut latenter, regnat amor creaturæ. Hoc vero diſertiſſime tradunt Patres:

S. Au-

S. Auguſtinus *Enchir. cap.* 117. " Regnat, inquit, carnalis cupiditas,
„ ubi non eſt Dei charitas.

S. Leo *ſerm.* 5. *de jejunio ſeptimi menſis :* " Duo, inquit, amores
„ ſunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diverſæ qualitatibus,
„ ſicut dividuntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui ſine dilectio-
„ ne eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt aut mundi. In dilectione
„ Dei nulla nimia : in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia.

Fulgentius *lib.* 1. *ad Monimum cap.* 18. " Voluntas, inquit, creatu-
„ ræ rationalis ſine qualicunque amore eſſe non poteſt ; nec ſic poteſt
„ diligere ut amorem ſuum ad aliquid non velit religare ; quæ inter
„ ſummum bonum a quo creata eſt, & infimum bonum cui prælata
„ eſt, medio quodam loco poſita, profecto aut infimo bono neceſſe
„ eſt miſerabiliter jaceat, aut in ſummo bono veraciter feliciterque
„ conquieſcat.

Gregorius Magnus *lib.* 18. *Moral. cap.* 8. " Eſſe, inquit, ſine dile-
„ ctione anima non poteſt ; nam aut infimis delectatur aut ſummis :
„ & quanto altiori ſtudio exercetur ad ſumma, tanto majori ſtudio tor-
„ peſcit ad infima : quantoque acriori cura inardeſcit ad infima, tan-
„ to, tepore damnabili, frigeſcit a ſummis.

Sane non poteſt ita cor conſiſtere, ut nulli rei ſe addicat : eſt enim in eo grave quoddam pondus, quo verſus aliquam partem ſemper inclinatur. Vel ergo ſe totum creatori impendit, vel totum creaturæ : vel Deum inter & creaturam ſe ex æquo partitur : vel plus creaturæ tribuit, minus autem creatori : vel denique plus creatori, minus autem creaturæ. Jam vero malum abſque dubio eſt & perverſum, ſi totum ſe tradat creaturæ, aut plus creaturæ quam Deo tribuat; imo & dignum morte eſt, ſi ſe creaturam inter & Deum partiatur : apud Oſee enim cap. 10. 2. *Diviſum eſt cor eorum*, inquit Deus, *nunc interibunt*. Ergo ut acceptus homo ſit Deo, oportet unum omnino diligat Deum, aut Deo ſaltem cætera poſthabeat.

Sexta : Ad peccatorum remiſſionem requiritur, ut voluntas mala non perſeveret, ſed bona ſaltem eſſe incipiat. Atqui voluntas ex Auguſtino ſemper mala eſt, quandiu non amat juſtitiam : " Voluntas, inquit *lib.*
„ 2. *de peccat. meritis cap.* 18. mirum ſi poteſt in medio quodam ita
„ conſiſtere, ut nec bona nec mala ſit. Aut enim juſtitiam diligimus,
„ & bona eſt; & ſi magis diligimus, magis bona ; ſi minus, minus bo-
„ na eſt; aut ſi omnino non diligimus, non bona eſt. Quis vero du-
„ bitet dicere voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem, non modo
„ eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem.

Septima : SS. Patres, Cyprianus *epiſt. ad Antonianum*; Auguſtinus *hom.* 41. *inter* 50. *ſerm.* 57. *de tempore ;* Auctor libri *de vera & falſa Pœnitentia*; Bernardus *ſerm.* 75. *de diverſis ;* Hugo Victorinus *lib.* 2. *de Sacramentis parte* 14. *cap.* 5. & cæteri vulgo Theologi agnoſcunt difficillimam eſſe in articulo mortis, & rariſſimam hominis ad Deum ex in-

timo corde converſionem. Atqui hujus difficultatis ratio ex eo oritur quod, ut ait S. Thomas, " Non eſt facile ut affectus, quem homo toto tempore vitæ ſuæ inclinavit in aliquid, ſubito ad contrarium retrahatur. " Ergo ad veram ac ſinceram Pœnitentiam, neceſſarium eſt ut homo affectum, quem rebus creatis affixerat, transferat ad Deum. Nam ſi ad Pœnitentiam ſatis eſſet timor, nuſquam illa firmior eſſet, quam in extremo vitæ diſcrimine: nuſquam enim ita viget judicii & gehennæ metus.

Octava: Cum Deum omni tempore, tum certe eo maxime diligere debemus, quo nos inſignibus beneficiis afficit. Atqui in ſacramento Pœnitentiæ ſummis nos beneficiis afficit: ex inimicis enim amicos, ex filiis iræ filios regni nos facit. Ergo.

Ecquis enimvero exiſtimet poſſe tum peccata condonari, cum ea immemoris animi vitio cumulantur? an enim, ubi ingrata mens eſt, gratiæ locus erit? Atqui tum præſertim commendat erga nos charitatem ſuam Deus, cum ad ſacramentum Pœnitentiæ accedimus. Ergo; niſi tunc ejus benignitatem amplectamur & exoſculemur, nova ingrati animi labe inquinamur, nedum veteres maculæ eluantur.

Dicant nempe adverſarii, quandonam alias Deum magis diligere debeamus? Quod ſi nullum aliud opportunius tempus figere poſſunt, quo ea lex arctius obliget: ergo ſenſim eo delabentur, ut primum ac maximum de Deo amando præceptum non enervent tantum, ſed etiam indigne proculcent. An non vero id doctrinæ aut impietatis potius monſtrum ex illorum placitis natum vidimus ac doluimus? Quis ad hoc conſectarium non exhorreſcat? Quis eam, quam Eccleſiæ catholicæ apud Hæreticos conflant, invidiam patienter ferat?

Nona: Quod ex hac adverſariorum opinione conſequens ſit, ut quis poſſit aliquando, etiam in adulta ac provecta ætate, in cœlos recipi ad amandum in omni æternitate Deum, qui eum ne ſemel quidem per vitam prius amaverit. Sit enim aliquis qui de amando Deo nunquam cogitaverit: in extremo autem vitæ diſcrimine poſt innumera, quibus coopertus eſt, flagitia, ſacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiat ex ſolo gehennæ metu, ac ſtatim animam efflet: illico certe convolabit ad Deum, ſi adverſariis credimus. An non autem id abſurdum videtur? cum hoc ſit apud Theologos ratum & fixum, alteram vitam prioris eſſe tantum perfectionem. Ergo.

An amor Dei ad ſacramentum Pœnitentiæ neceſſarius, debeat eſſe prævalidus & cordi dominari.

ASSERTIO.

Ejusmodi amor debet eſſe prævalidus & in corde dominari.

Probatur I. ex Scripturis jam adductis.

Ad

Ad veniam enim neceſſariam eſſe ſtatuunt totius cordis ad Deum converſionem. Atqui, niſi Dei amor reliquis in corde ſaltem præponderet, non poteſt eſſe cor totum ad Deum converſum. Et vero indignus Chriſto is eſſe dicitur qui non amat Deum plus omnibus rebus. Ergo.

Probatur 2. ex Patribus.

Primo enim Cyprianus *lib. de lapſis*, *ſupra*, *pag.* 162. Auguſtinus *ſupra & mox*, Fulgentius & Bernardus *ſupra*, *pag.* 117. Gregorius Magnus cum aliis, ad remiſſionem peccatorum poſtulant veram totius cordis ad Deum converſionem. Hoc autem niſi amore Dei ſuper omnia confici non poteſt. Unde Gregorius *lib.* 2. *in cap.* 3. *lib.* 1. *Regum*, " „ Vis autem converſionis, inquit, eſt affectio charitatis cordi infuſa „ viſitatione Sancti-Spiritus.

Secundo Auguſtinus etiam *ſupra*, *p.* 317. aſſerit cum diabolo futurum qui cum Chriſto non erit: cum Chriſto autem eſſe non poſſe, ſed eo indignum eſſe, qui Deum plus omnibus ſeque ipſo non amaverit.

Tertio viginti & amplius ſunt Eccleſiæ Doctores (*ſupra*, *pag.* 165.) qui id flagitant antequam peccator a Sacerdote ſolvatur, ut ante vivat per dilectionem & charitatem. At non poteſt cenſeri vivere per dilectionem & charitatem, ſi in eo cupiditas, quæ vera animæ mors eſt, adhuc dominetur: dominatur autem quandiu non regnat charitas.

Probatur 3. ex veteribus Theologis uſque ad concilium Tridentinum.

Alexander Alenſis, S. Thomas, Paludanus, Bacho, Thomas Argentinenſis, Joannes Nider, Bernardinus Senenſis, Vorillonius, de Baſſolis, Biel, Eckius, Vivaldus, Joannes a Daventria, B. Thomas a Villanova *ſupra*, *pag.* 329. *& ſequentibus* diſerte requirunt ad Sacramentum dilectionem Dei ſuper omnia.

Probatur 4. ex ſynodo Tridentina.

Primo enim ad juſtificationem in Baptiſmo peragendam *ſeſſ. 6. cap. 6.* agnovit neceſſitatem charitatis & dilectionis Dei tanquam omnis juſtitiæ fontis.

Secundo eandem eſſe dilectionem ſuper omnia ſonant omnia Scripturæ teſtimonia quæ *ſeſſ. 6. &* 14. ad Pœnitentiæ & Contritionis naturam aperiendam uſurpat.

Probatur 5. ex Theologis qui ad annum uſque 1600. floruerunt.

In ea enim ſententia verſati ſunt 1. Viguerius, 2. Andreas Vega, 3. Medina, 4. Ludovicus Granatenſis, 5. Petrus Soto, 6. Pantuſa, 7. Caſalius, 8. Auctores Catechiſmi Romani, 9. Ederus, 10. Palantherius *in* 4. *lect.* 84. 11. Richardotus, 12. Petrus e Motta, 13. Navarrus, 14. Elector Trevirenſis, 15. Erneſtus Leodienſis, &c. *ſupra*, *pag.* 183. *& ſeq.*

Probatur 6. ex Theologis quos ad noſtram uſque ætatem *ſupra*, *pag.* 91. *& ſeq.* allegavimus.

Ex

Ex profeſſo enim docent iſtud, 1. Eſtius, 2. Sylvius, 3. Jacobus Boonen archiepiſcopus Mechlinienſis, 4. Joannes Morinus, 5. Launoius, 6. Matholdus, 7. Wachtendonck, 8. Farvaquius, 9. Lupus, 10. Macharius Havermans, 11. Epiſcopus Caſtorienſis, 12. Queraſſius, 13. Opſtraetus, 14. denique eminentiſſimus cardinalis Noallius.

Probatur 7. ratione.

Quibus enim rationibus firmatur amoris Dei ad Sacramentum neceſſitas, iiſdem nititur ejuſdem amoris Dei ſuper omnia neceſſitas; adeo ut qui primum admiſerit, alterum quoque admittere debeat, & admittere reipſa cenſendus ſit, niſi aliud moneat. Quo fit ut ad idem placitum adhæſiſſe exiſtimandi ſint ii omnes quos in amoris Dei gratiam enumeravimus; quamvis ex iis plurimi gradum iſtum amoris ſuper omnia notare omiſerint.

Et vero novem rationes ad aſtruendam amoris Dei neceſſitatem modo protulimus: ſi autem accurate excutiantur, omnes etiam ad amorem Dei ſuper omnia ſpectant. Ex iis ſaltem quatuor ſunt, 1. nimirum, 2. 3. & 5. quæ id aperte demonſtrant.

Qualis eſſe debeat ejuſmodi amor prævalidus.

An amor æternæ beatitudinis ſufficiat ad veniam peccatorum in Sacramento conſequendam.

Triplici modo beatitudo, etiam æterna, ſpectari poteſt.

Primo quidem craſſius: ut enim animadvertit ex Auguſtino eminentiſſimus cardinalis Noallius *in inſtitutione paſtorali de amore Dei*: non pauci ſunt Chriſtiani rudes & ſenſibus addicti, qui beatitudinem etiam æternam animo fingunt ſenſibus ſuis congruam. His ſedes beatorum videtur locus deliciis affluens, unde exulat omne malum; ubi eſt omnis boni poſſeſſio: nec ſapiunt illi quidquam altius.

Secundo purius, ſed tamen confuſe; cum felicitas nempe cæleſtis ſub imagine ſummi cujuſdam boni a Deo quidem proficiſcentis, ſed ab eo etiam veluti diſtincti cogitatur: quod frequenter accidit.

Tertio diſtincte & explicate, ita ut felicitas in uno Deo videndo & amando poſita eſſe intelligatur.

Rurſus qui hoc ultimo modo in beatitudinem æternam fertur, vel id facit propter eam quæ ex Deo ad ſe redundat utilitatem; vel propter ſummam Dei ipſius amabilitatem, qua fit ut in eo inardeſcat, ei cupiat inhærere, & ab ipſo timeat ſeparari; cum etiam menti obverſatur Deus, tanquam ſupremum omnium bonum, recti cujuslibet ac boni fons, & ultimus omnium finis; ipſa, quæ in Deo relucet, amabilitas ſtatim animum hominis ita rapit aut rapere ſaltem poteſt, ut de proprio commodo nihil omnino cogitans totus in eum illico tendat, um videat nihil eſſe pulchrius, nihil amabilius, quam ipſum ſemper con-

contemplari & amare : hanc æternam Dei poſſeſſionem ſummo ſtudio quærit, & id cavet metuitque ne eam amittat, ejuſque amiſſione incidat in odium Dei tam amabilis.

Quibus poſitis ſit.

ASSERTIO I.

Amor quo quis in Deum fertur ut beatitudinem ſuam, propter ſummam ipſius qua allicitur amabilitatem, ad Pœnitentiæ ſacramentum ſufficit.

PROBATUR. Amor enim caſtus ad Pœnitentiæ ſacramentum ſufficit. Atqui ejuſmodi amor eſt amor caſtus, amor gratuitus, amor charitatis, qua Deus non propter quidquam aliud a ſe diſtinctum, ſed propter ſe & quidem ſuper omnia diligitur; ut affirmat ſæpe Auguſtinus v. g. *in Pſ.* 53. "Quid eſt gratuitum? ipſe propter ſe, non propter „ aliud. Si enim laudas Deum ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis „ amas Deum.

ASSERTIO II.

Amor quo quis in æterna beatitudine proſequenda commodo ſuo duntaxat, aut ſaltem præcipue afficitur, is veniæ peccatorum nondum eſt aptus.

PROBATUR 1. ex iis Scripturæ locis quæ poſtulant charitatem; ejuſmodi enim amor charitas non eſt.

PROBATUR ex Patribus.

Primo enim plerique Patres ad id exigunt charitatem, ut infra videbimus.

Secundo S. Auguſtinus *ſupra*, *pag.* 127. obſervat hujuſmodi motum animi ex eo proficiſci, quod aliquid in creatura diligatur, requies nempe corporalis aut aliquid tale poſt mortem. Adde ejuſdem *Enarrationem in Pſ.* 43.

Tertio S. Proſper *in Sententiis propoſ.* 2. " Qui Deum, inquit, ideo „ colit ut aliud magis quam ipſum promereatur, non Deum colit, ſed „ illud, quod aſſequi concupiſcit. " Ante illum S. Auguſtinus *lib.* 83. *quæſt. q.* 34. "Si propter alia, quæ amanda ſunt, amor amatur, non recte „ amor dicitur: nihil enim aliud eſt amare, quam propter ſeipſam rem „ aliquam appetere. " Et *ſoliloq. lib.* 1. *cap.* 13. " Quod non propter ſe amatur, non amatur.

Quarto S. Bernardus idem fere pronuntiat *ſupra*, *pag.* 127. *&* 160. & inſuper *libro de diligendo Deo* aſſerit, *ut & ſerm.* 3. *&* 8. *de diverſis*, ſolam eſſe charitatem quæ hominem ad Deum convertere queat: id enim non præſtari poſſe, neque timore ſervi, neque mercenarii privato amore, aut cupiditate; " Qui timet, inquit *ſerm.* 3. *de di-*

„ *ver-*

„ *verſis* , ire ad portas inferi , & qui Deum cupit videre propter
„ quietem ſui , uterque profecto quærit quæ ſua ſunt , &c. Sola quæ
„ in filio eſt charitas , inquit *lib. de diligendo Deo* , *cap.* 12. non
„ quærit quæ ſua ſunt . Quamobrem puto de illa dictum , *Lex Domi-*
„ *ni immaculata* , *convertens animas* . Quod ſola videlicet ſit quæ ab
„ amore ſui, & mundi convertere poſſit animum, & in Deum dirigere.
„ Nec timor quippe, nec amor privatus convertunt animam: mutant in-
„ terdum vultum vel actum; affectum nunquam.

Quinto B. Saleſius *in lib. de amore Dei* : " Anima, inquit, quæ De-
„ um non amaret niſi propter amorem ſui ipſius, figens amoris, quem
„ Deo impendit, finem in proprio commodo; heu! maximum ſacrile-
„ gium admitteret.

Probatur 3. ex ſynodo Trid. quæ ad juſtificationem *ſeſſ.6. cap. 6.* non tantum poſtulat amorem illum quem vocant *concupiſcentiæ* , quo , ut aiunt, innititur ſpes; ſed veram quæ, juxta illam, ſpem ſequitur, charitatem.

Probatur 4. ex Theologis, qui hunc amorem ſatis non eſſe conceptis verbis decernunt.

Primo Bacho *in* 4. *diſt. quæſt.* 1. *art.* 2. " Deus principaliter eſt di-
„ ligendus propter ſe ; conſequenter Dei beneficia ſunt diligenda pro-
„ pter Deum: & per contrarium , propter Deum ſunt primo odienda
„ omnia quæ fiunt contra honorem Dei . . . Sequitur quod Contritio
„ debet fieri non ex timore, ſed ex charitate: quia aliter non eſt accepta-
„ bilis Deo.

Secundo Joannes Nider ad *tertium præcept. cap.* 8. " Si homo ſua
„ peccata deteſtetur ſolum . . . . propter timorem pœnæ , & amiſſio-
„ nem vitæ æternæ , in quantum illa eſſet ſibi ad incommodum , ibi
„ ſiſtendo , ſine ulteriori relatione in Deum ; tunc homo ſolum quæ-
„ reret ſuum commodum & fugeret ſuum incommodum, & nullo modo
„ quæreret Deum: . . . . nec talis deteſtatio eſſet actus virtutis ; quia
„ non circumſtationata debito fine: & per conſequens non formaretur gra-
„ tia, nec fieret Contritio.

Tertio Bernardinus Senenſis *ſerm. in feriam quartam poſt Dominicam primam Quadrag.* " Duodecimum periculum peccatori in extremis im-
„ minet quod eſt charitatis ſive dilectionis privatio . Ad hoc enim ut
„ diſplicentia ſit grata Deo, neceſſe eſt quod ſit debite circumſtantio-
„ nata, & maxime circumſtantia principii & finis. " *Et feria 6. ſerm.* 13.
". Dolor in quantum eſt diſplicentia rationis, in vera Contritione menſu-
„ ratur ſecundum quantitatem charitatis.

Quarto Biel *in* 4. *diſt.* 14. *qu.* 2. " Diſplicentia peccatorum ex amo-
„ re ſui , præciſe quia ſunt ſibi mala , non ſufficit ad peccati remiſ-
„ ſionem . . . . . . Conſiderato quod peccata ſunt divinæ majeſtatis of-
„ fenſiva , incipit (peccator) elicere peccati odium , & nolle peccaſſe
„ propter Deum finaliter ſuper omnia dilectum ... Et illa Pœnitentia ne-

„ ceſ-

„ ceſſaria eſt ad peccati deletionem, ... quæ non poteſt eſſe ſine dilectione
„ Dei ſuper omnia.

Quinto Vivaldus *de veritate Contritionis*, *cap. ult.* " Quidam vero
" cuſtodiunt ſe ipſos a vitiis, & peccatis, ... timentes exulare
„ a gaudiis æternæ vitæ. Idcirco omnes, qui propter ſimiles reſpe-
„ ctus retrahuntur a peccatis, non ſunt dicendi contriti nec ve-
„ re pœnitentes: ſed ſunt mercenarii quærentes commodum pro-
„ prium.

Sexto Albertus Pighius *controv.9.* " Contritio quam Deus in nobis reſpi-
„ cit, eſt dolor divinæ offenſæ, non noſtri tantum; imo illius præcipue
„ cauſa, quem offendimus: cujuſmodi ut ſit, neceſſario Dei amorem, ex
„ quo procedat, prærequirit.

Septimo B. Thomas a Villanova *ſerm.* 1. *in Dominicam Paſſionis*.
" Vera Contritio ex amore Dei debet procedere, non ex timore, aut
„ ex amore ſui.

Octavo Alphonſus a Caſtro *homil.* 3. *in Pſal.* 32. " Timor præſtare
„ poteſt Pœnitentiæ initium; ſed ſola charitas præſtare poteſt com-
„ plementum .... Si ad Pœnitentiam ſolus timor gehennæ .... impule-
„ rit peccatorem, nunquam ille juſtificabitur: etiamſi huic timori
„ conjungatur præmii æterni amor, & deſiderium, verum non ef-
„ ficiet pœnitentem; nec Pœnitentia, quæ ſolum ab his duabus ra-
„ dicibus oritur, valebit ad remiſſionem obtinendam. Nam illud de-
„ ſiderium ex ſui ipſius amore procedit, quo homo ſibi bonum op-
„ tat &c.

Nono Petrus Soto *de inſtructione Sacerdotum*, ubi de Sacramento Pœnitentiæ, *lect.* 14. ait ad Contritionem quæ remittendo peccato ſit ſufficiens, " Requiri & ſufficere ut ex vera Dei charitate, & dile-
„ ctione ejus ſuper omnia emanet.

Decimo Granatenſis *lib.* 3. *Catechiſmi*, ubi de Contritione, *cap.9.*

Decimoprimo Roſignolius *ſupra*, *pag.*140.

Decimoſecundo Macharius Havermans *diſquiſitionis Theologicæ ſect.*3. ubi poſtquam notavit novum eſſe ac recens hoc *amoris concupiſcentiæ* nomen; deinde probat " Si eo intelligatur amor propriæ commoditatis, id
„ non eſſe ad Sacramenti effectum ſufficiens: ſi autem amor Dei propter
„ ipſius amabilitatem, controverſiam eſſe de nomine; tunc enim amorem
„ illum a charitate non diſtingui.

Probatur 5. ex ratione. Qui enim Deo, quem amare ſe exiſtimat, ſe addicit propter conſequentem inde felicitatem ſuam, ita ut commodo ſuo tantum aut præſertim moveatur, is non videtur ad reconciliationem, ut par eſt, præparatus.

Primo quia is animi ſitus nondum rectus eſt ac legitimus. Ordo enim poſtulat ut, quod magis amabile eſt, illud idem magis ametur.

Secundo quia is amor, quomodocunque tandem vocetur, eſt pro-
prie

prie duntaxat amor ſui, amor privatus, amor nimirum propriæ quietis: ac proinde homo ſic affectus in ſe ſemper hæret, aut in ſe ſaltem recidit, nec ſupra ſe erigitur. Atqui cor hominis tandiu perverſum eſt quandiu ſuperiori bono, pro eo ac debet, addictum non eſt. Ergo is amor non eſt hujuſmodi ut hominem ad Deum vere convertere poſſit, quod etiam notat Bernardus *epiſt.* 11. *ſupra*, *pag.* 122. Nempe qui ſic Deum amat, non tam Deum amat quam ſeipſum. " Nam quidquid propter aliud amare videaris, ait idem *tract. de diligendo Deo*, *cap.*7. id plane amas quo amoris finis pertendit, non per ,, quod tendit.

An is amor Dei ſuper omnia, qui neceſſarius eſſe ſtatuitur, ſit amor charitatis.

ASSERTIO.

Is amor eſt charitatis.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Apoſtolus enim *epiſt.* 1. *ad Cor. cap.* 13. aſſerit ſine charitate nihil prodeſſe etiam ipſum martyrium. Ergo nec Sacramenta.

PROBATUR 2. ex Patribus multis, Clemente Alexandrino, Hilario, Ambroſio, Auguſtino, Chryſologo, Gregorio Magno, Beda, Iſidoro Hiſpalenſi, Burchardo, Bernardo, Petro Bleſenſi, qui omnes *ſupra*, *pag.* 161. *&* *ſequ.* charitatem poſtulant ad veniam peccatorum conſequendam.

PROBATUR 3. ex Theologis ante concilium Tridentinum, præſertim vero Ricardo Victorino, Roberto de Sorbona, Bonaventura, S. Thoma, Scoto, Bacone, Thoma Argentinenſi, Bernardino Senenſi &c. & ſynodo Moguntina ann. 1549. *in inſtitutione*; qui omnes *ſupra*, *pag.* 165. *&* *ſeq.* amorem in Sacramento neceſſarium nomine *charitatis* inſigniunt.

PROBATUR 4. ex ſynodo Tridentina quæ, ut oſtendimus *ſupra*, *pag.* 175. *&* *ſeq.* ad juſtificationem in Sacramento adipiſcendam charitatis neceſſitatem agnoſcit.

PROBATUR 5. ex Theologis qui poſt Concilium Tridentinum floruere. Hi enim charitatis neceſſitatem explicite reperiri oportere ſanciunt, nimirum Petrus Soto, Catechiſmus Romanus, Sonnius, Georgius Buſtius *lib. de Pœnitentia artic.* 11. *&c.* *ſupra*, *pag.* 185. *&* *ſequ.*

PROBATUR 6. ex Theologis qui ſuperiori ſæculo ſcripſerunt, *ſupra*, *pag.* 191. *&* *ſeq.* allegatis.

PROBATUR 7. ex Comitiis Cleri Gallicani an. 1700. dilectionem enim Dei flagitat, quæ non ſit inter fidei & ſpei actus, ſed poſt illos; proindeque charitatis.

OB-

Objicies 1. Charitas omne peccatum fugat. Atqui ut Sacramentum rite ſuſcipiatur, prævia ei eſſe non debet peccatorum remiſſio. Ergo.

Distinguo antecedens: charitas omne peccatum fugat quoad actum & affectum; concedo: quoad maculam & reatum; ſubdiſtinguo: habitualis; concedo: actualis; diſtinguo: charitas actualis perfecta; concedo: inchoata; ſubdiſtinguo: ſi adſit ſimul Sacramentum; concedo: ſecus; iterum ſubdiſtinguo: omne peccatum in caſu ſummæ neceſſitatis; concedo: vulgo; nego. Itaque

Dicimus 1. in eo qui peccavit quatuor diſtingui poſſe; actum, affectum, maculam, & reatum: ac duo priora quidem non poſſe cum charitate conſiſtere, ut patet; duo autem poſtrema poſſe eſſe cum charitate. Neque enim quia homo pœnitens actum & affectum peccati depoſuit, idcirco tenetur Deus ſtatim indulgentiam criminis dare. Hoc docet Auguſtinus *lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia c. 26.*; imo & ex profeſſo illud probat *adverſus Julianum lib. 6. cap. 19.* voluntate peccandi depoſita & ſubſtituta in ejus locum meliore, reatum tandiu manere quandiu non ſit per indulgentiam remiſſus. Diſtincta enim ſunt Dei beneficia, vera Pœnitentia, & indulgentia conſequens: " Innocentiæ „ enim, ut ait Auguſtinus idem contra Julianum *operis imperfecti lib.* „ *6. num.* 19. velut contrarium ejus, non injuſtitia, ſed reatus opponi„ tur; qui hominis voluntate non tollitur, etſi ejus voluntate ſit fa„ ctus: non enim verum videt, qui putat reatum ſibi ipſi tollere pœ„ nitentem; quanquam & ipſam Pœnitentiam Deus det: quod Apoſto„ lus confirmat dicens, *Ne forte illis Deus det Pœnitentiam:* ſed reatum „ apertiſſime Deus tollit, homini dando indulgentiam; non ſibi ipſe „ homo, agendo Pœnitentiam. Debemus quippe illum recolere, qui „ *locum Pœnitentiæ non invenit, quamvis cum lacrymis quæſierit eam:* ac „ per hoc & Pœnitentiam egit, & reus remanſit, quia veniam non „ accepit: & illi qui *dicent intra ſe, Pœnitentiam agentes*, ... rei uti„ que in æternum, non accepta venia, permanebunt. " Quod ad illius mentem optime explicat Eſtius *in 4. diſt.* 17. §. 1. " Adverſariorum o„ pinionis, inquit, fundamentum hoc fuiſſe videtur, veram Contritio„ nem ſeu Pœnitentiam non poſſe ſeparari a remiſſione peccatorum; „ ſed hanc illi per ſe & neceſſario conjunctam eſſe: ſed hoc funda„ mentum alio ſolidiore deſtruitur, hoc nimirum; nullius peccati fieri „ poſſe remiſſionem niſi virtute paſſionis Chriſti, quatenus eſt ſatisfa„ ctoria pro pœna illius peccati. Quocirca non ſufficit ad remiſſionem „ peccati Pœnitentia, ſed præterea opus eſt, ut meritum paſſionis „ Chriſti homini applicetur ad conſequendam remiſſionem peccati, cu„ jus jam accepit Pœnitentiam: ſunt enim diverſa & diſtincta beneſi„ cia paſſionis Chriſti, converſio ſeu Pœnitentia peccatoris, & pecca„ ti ejus condonatio; ita ut homini vere converſo & pœnitenti adhuc „ opus ſit peculiari quodam ex paſſione Chriſti beneficio .... Neque

„ enim

„ enim exigit lex naturæ, ut pœnitenti remittatur peccatum; quemad-
„ modum facile probari poteſt ex judiciis humanis juxta normam &
„ exemplar divini judicii inſtitutis, in quibus non eſt neceſſe iis qui
„ ex animo dolent ſe peccaſſe pœnas debitas remittere; ſed pertinet
„ hoc ad gratioſam Dei ordinationem, qua Chriſtum nobis dedit pro-
„ pitiationem per fidem in ſanguine ejus, ut ait Apoſtolus *Rom.* 3.
„ Unde Patres concilii Tridentini *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. docent ſacrificium
„ Miſſæ vere propitiatorium eſſe; quod per ipſum fiat ut, ſi cum ve-
„ ro corde contriti & pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam
„ conſequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Id ipſum
„ clare docet Auguſtinus tum alibi, tum *lib.* 1. *de ſermone Domini in*
„ *monte cap.* 14. Cujus, inquit, tanta miſericordia commemorari po-
„ teſt, quam ejus, qui omnia donat peccata converſis? Non dicit
„ peccatoribus aut lapſis aut averſis, ſed converſis. Nam averſis dona-
„ re peccata, non miſericordiæ eſt, ſed perverſi ordinis. Sentit ergo
„ magnam miſericordiam eſſe .... quod peccatoribus converſis Deus
„ peccata condonet.

Quod quidem ut clarius percipiatur, obſervandum eſt

Secundo, ut ait Apoſtolus Rom. 3. 24. *Homines juſtificari gratis per gratiam ipſius (Dei,) per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Ideo autem nos dici gratis juſtificatos, " Quia, ut notat ſynodus Tridenti-
„ na *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive
„ fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promerentur: *ſi enim*
„ *gratia (eſt,) jam non ex operibus; alioquin*, ut idem Apoſtolus
„ inquit; (ibid. cap. 11. v. 6.) *gratia jam non eſt gratia.*

Unde & Bellarminus *de Pœnitentia lib.* 1. *cap.* 5. *ad* 4. *Calvini calumniam*, (qui hoc affingebat Catholicis, quod docerent homines emereri remiſſionem peccatorum juſta & plena Contritione,) " Catholici,
„ inquit, non docent Contritione nos emereri remiſſionem peccatorum
„ .... Audiunt enim .... omnes Tridentinam ſynodum diſertis verbis
„ concionantem, nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt mereri
„ gratiam juſtificationis, & ideo gratis per Chriſtum homines juſtifica-
„ ri, *ſeſſ.* 6. *cap.* 8. Itaque Contritionem diſpoſitionem eſſe volunt Ca-
„ tholici, non meritum remiſſionis peccatorum. " Sic etiam *cap.* 6.
ad 5. *Chemnicii*, qui idem fere Eccleſiæ impoſuerat mendacium: " Pro-
„ feratur, inquit, in medium vel unus aliquis ſcriptor catholicus, ne
„ dicam Concilii œcumenici aut etiam particularis decretum, in quo
„ habeatur, juſtificationem in ſacramento Pœnitentiæ non donari gra-
„ tis per fidem ſine operum merito .... Neque enim, quia requirimus
„ Contritionem & confeſſionem .... ideo non gratis & per Chriſtum,
„ ſed ex operibus propriis juſtificamur: illa enim opera non merita ſunt
„ juſtificationis, ſed diſpoſitiones juſtificandi. " Denique *lib.* 2. *c.* 12.
„ aſſerit " Si Deus exinde gratiam conferat, id non ex juſtitia, ſed
„ ex mera Dei benignitate proficiſci.

In

In eandem ſententiam legantur Victoria *relect.* 1. *de poteſtate Eccleſiæ lect.* 3. Stapletonus *in Promptuario catholico in feſto S. Mariæ Magdalenæ ſect.* 1. Driedo *tom.* 2. *tract.* 4. *de captiv. & redempt. generis humani c.* 2. ubi diſerte pronuntiat de contritis ac vere diligentibus Deum, " Quod, ſi Deus negaret etiam ſic diſpoſitis gratiam ſuam, „ non foret injuſtus. " Fredericus Nauſea *in catechiſmo c.* 47. *de Contritione*, ubi affirmat pariter quod vera & perfecta etiam converſio gratioſe acceptetur a Deo. Ad hæc Cajetanus *in opuſculis*: Gaſpar Caſalius *de quadrip. juſtitia lib.* 3. *cap.* 23. Vega *in concilium Tridentinum lib.* 9. *cap.* 17. qui omnes fatentur, ut juſtificatio conſequatur, opus eſſe gratioſa acceptatione.

Quod cum ita ſit, ſingularis ergo gratiæ & beneficii eſt quando peccatoris converſionem ita gratam habet Deus, ut veniam concedat. Cum igitur id ab una Dei voluntate libera pendeat, videndum porro eſt an & quomodo id ei placuerit. Hic autem duplicem charitatem Dei diſtinguimus, unam habitualem, actualem alteram. Porro certum eſt

Tertio Charitatem habitualem, cum peccato ſtare non poſſe. Hæc enim charitas ipſa juſtitiæ forma eſt, ut definit concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. Et vero quid eſt charitas niſi Spiritus ſanctus in homine juſto habitans, & cum Patre & Filio apud eum manſionem faciens? *Quæ autem participatio juſtitiæ cum iniquitate*, inquit Apoſtolus 2. Cor. 6. 24. *aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial?*

Sed aliud eſt de charitate actuali judicium: grandis enim quæſtio quondam fuit, an ea aliquando ſine Sacramento juſtificare poſſet: nunc autem etiam controverſia eſt, quo in caſu juſtificet.

Quarto igitur nonnulli ex antiquis tantam eſſe, Deo ſic volente, ſacramentorum Pœnitentiæ & Baptiſmatis neceſſitatem cenſuerunt, ut ſine iis ſalus æterna comparari non poſſet, ac ne in extrema quidem neceſſitate, quæcunque tandem adeſſet Contritio.

Eo inclinaſſe Fulgentium *in regula fidei ad Petrum* & *de Baptiſmo Æthiopis ad Ferrandum*, ſunt qui exiſtiment: nec renuerem, niſi hujus acerbioris ſententiæ ſeveritatem *lib. de remiſſione peccatorum cap.* 11. mitigaſſet.

Quidquid ſit, id tenuiſſe crediderim Philibertum abbatem illum, de quo Mabillonius *ſæculo* 2. *Benedictino*. In ea quoque opinione verſabantur quos impetit Theobaldus Stampenſis *tom.* 3. *Spicilegii*.

Verum hæc doctrina jam dudum exolevit: ac pro certo habendum eſt, non martyrio tantum, ſed etiam charitate & Contritione perfecta ſuppleri Sacramenta illa poſſe in caſu neceſſitatis: ſed ambigitur an Sacramentorum illorum vices certo etiam tunc ſupplere poſſit charitas inchoata: deinde an charitas perfecta, quæ in caſu neceſſitatis remiſſionem peccatorum impetrat, extra hunc caſum cum ea ſemper etiam

conjuncta ſit: tandem an a venia peccatorum ſejungi queat vulgo charitas imperfecta; quod ut pergamus exponere: Eſtius *ſupra*, *in* 4. *diſt.* 17. §. 2. arbitratur.

Quinto Nullam eſſe Contritionem ac charitatem quæ extra caſum neceſſitatis gratiam ſtatim conferat; ita ut quantalibet quis flagret charitate, veniam non niſi in Sacramentis vulgo obtineat.

Ad id autem adductus eſt pluribus ſanctorum Patrum & Auguſtini præſertim teſtimoniis, in quibus nulla facta exceptione aſſeritur homines non reconciliari niſi in Sacramento.

Eſtio præiviſſe videri poteſt Molanus *tract.* 1. *Theologiæ practicæ cap.* 8. eum vero ſecutus eſt Sylvius.

Rem in incerto reliquerat Catechiſmus Romanus *de Pœnitentia numero* 46.

Nos autem id rejicimus præcipue ob auctoritatem concilii Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi Contritioni perfectæ reconciliatio ante Sacramentum, quaſi haud ſeparabilis comes adjungitur.

Tota ergo difficultas in charitatem imperfectam recidit; de qua, an, ſimul adeſt, reconciliationem operetur, cum variæ ſint Theologorum ſententiæ, eam nos amplectimur quæ ait

Sexto Charitatem illam imperfectam minuſque incenſam cum reatu peccatorum ſtare poſſe, nec niſi in Sacramentis vulgo juſtificari eos, etiam qui Deum diligunt.

Id autem primo Scripturæ ſignificant. Quis enim dubitet Paulum Chriſti voce ſtatim vere & ex animo fuiſſe converſum? quandoquidem in memoriam ejuſdem Converſionis Eccleſia feſtum inſtituit; & tanta eum reipſa illico inflammavit erga Deum charitas, ut ad omnia paratus exclamaret: *Domine quid me vis facere?* An idcirco autem eodem temporis puncto ab omnibus peccatis expurgatus fuit? minime: poſtmodum enim Ananias presbyter, ut legitur Actuum 22. 16. eum alloquens, *Exurge*, inquit, *& baptizare*, *& ablue peccata tua*. Quis ſimiliter non videt amariſſimam fuiſſe illius peccatricis in Evangelio Contritionem, quæ ſui oblita, tot ac tanta præſtitit, ut ab ore Salvatoris audire meruerit, quod multum diligeret. Atqui illa non niſi voce Chriſti demum conſecuta eſt remiſſionem peccatorum: " Acceſſit „ immunda, inquit Auguſtinus *ſerm.* 99. & *ſerm.* 23. *inter* 50. ut rediret munda. Ergo non illico eam reconciliaverat Deo amor ille, quo ardebat.

Accedunt Patres. Auguſtinus v. g. *tract.* 4. *in Joan.* de Catechumeno loquens ita perfecto, ut abſtinens ab omnibus illicitis voluptatibus, valefaceret ſæculo, renuntiaret omnibus quæ poſſidebat, eaque diſtribueret pauperibus. " Tamen, inquit, omnia peccata ſuper illum ſunt; „ & niſi venerit ad ſalutarem Baptiſmum, ubi peccata ſolvuntur, cum „ omni excellentia ſua non poteſt intrare in regnum cœlorum. " *Tract.* 13. *in Joan.* " Quantumcunque Catechumenus proficiat, inquit, adhuc

„ ſar-

„ ſarcinam ſuæ iniquitatis portat; non ei dimittitur, niſi cum venerit ad Baptiſmum &c. *lib.* autem 4. *de Baptiſmo c.* 21. *&* 25. idem pronuntiat de iis etiam Catechumenis, “ Qui charitate flagrant: “ cujus dicti hanc rationem affert *de ſymbolo ad Catechumenos c.* 7. quod “ Deus „ non dimittat peccata niſi baptizatis. “ Denique de ſe ipſo teſtatur *lib.* 8. *Confeſſ. cap.* 12., “ Quod fleret peccata præterita Contritione „ amariſſima. “ *Ibid. lib.* 9. *cap.* 2. “ Sagittaveras tu, inquit Deo, „ cor meum charitate tua. “ *Ibid.* Deum laudat quod ipſum inſigni fide ornaſſet, & tamen poſtea ſic habet: “ Sed ea fides, inquit, me „ ſecurum non faciebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Ba- „ ptiſmum tuum nondum remiſſa erant. “ Ergo judice Auguſtino, cui plures alii adjungi facile poſſent, charitas, ſtatim atque adeſt, non continuo omnem peccati labem abſtergit; ſed ad id oportet charitati ſociari Sacramentum.

Idem ſynodus Tridentina voluit: *ſeſſ.* enim 6. *cap.* 6. dilectionem Dei, quam oſtendimus eſſe charitatem, inter ea numerat quæ diſponunt ad juſtificationem. An illico autem conſequitur juſtificatio? Imo: niſi accedat inſuper Sacramentum. *Cap.* enim 7. juſtificationis illius “ Cauſam inſtrumentalem ait eſſe Sacramentum. “ In eundem ſenſum ſtatuit *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. reconciliationem ante Sacramentum effectum eſſe ſolius Contritionis charitate perfectæ.

Et vero, ut obſervat Palavicinus *lib.* 12. *Hiſtoriæ cap.* 2. “ Canon „ paratus fuerat ubi damnabatur quiſquis negaret Contritione, qua pœ- „ nitens, divina gratia per Chriſtum cooperante, dolet de peccatis „ propter Deum cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi, remitti „ peccata: ſed Baltazar Eredia Calaritanus archiepiſcopus admonuit, „ cum ea eſſet Cajetani & Adriani ſententia, damnandam non eſſe: „ cujus monitis Patres obſecuti ſunt.

Hinc profecto eſt, quod auctores Catechiſmi Romani definiant, quaſi omnibus notum, non cujuslibet charitatis eſſe peccata delere, ſed tantum perfectæ: “ Ut enim hoc concedamus, inquiunt *num.* 46. Con- „ tritione deleri peccata; quis ignorat illam adeo vehementem, acrem „ & incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magni- „ tudine æquari conferrique poſſit.

Quæ cum ita ſint, ſupervacaneum jam fuerit eos e Theologis recenſere, qui ita opinati ſint: cum ex dictis noti illi ſint. Quot ſunt enim qui Contritionis perfectæ neceſſitatem non admittant? Atqui iidem in Attritione, quæ ſine Sacramento non ſufficit, includunt charitatem. Ergo.

Taceo de Adriano VI. Cajetano, Eſtio, Sylvio, Morino, Lupo, Tarvaquio, quorum hanc fuiſſe mentem indubitatum eſt. Adde Merbeſium *in Summa Chriſtiana*.

Quapropter charitas remiſſa non ſtatim juſtitiam parit: an autem illa in caſu neceſſitatis Sacramenti locum obire poſſit, non parum intricatus eſt nodus.

Septimo enim Lupus de eo dubitat *cap.* 8. *Diſſertationis ſuæ de Contritione* : quod quidem dubium firmatur, tum eo quod nulla ſit hac de re certa lex ; tum quod non pauci ex antiquis, qui amoris neceſſitatem ad Sacramentum admittebant, dum Sacramentorum eorumdem neceſſitatem commendant, ita loquantur, quaſi qui Sacramentorum opera ſalutem erant adepturi, ab eadem excidant, aut ſaltem admodum periclitentur, ſi ſine iis e vita decedant. v. g.

Athanaſius *epiſt. ad Orthodoxos*, ubi ait eos in grave diſcrimen adduci.

Gregorius Nazianzenus *orat.* 3. eam ob cauſam Catechumenos exhortans ad Baptiſmum quam cito ſuſcipiendum.

Gregorius Nyſſenus ubi de Archia, qui in extremis poſitus, montes & ſilvas, arbores & rupes advocabat, ut ab ipſis baptizaretur.

Cyrillus Hieroſol. *Catecheſi 3.* quo in loco definit eos in regnum cœlorum intrare non poſſe.

Auguſtinus *epiſt.* 180. *ad Honoratum*, in qua deterrens Paſtores Eccleſiæ ne in perſecutione oves ſibi creditas deſerant, ait; " Si Miniſtri „ deſint, quantum exitium ſequitur eos qui de iſto ſæculo vel non re„ generati exeunt vel ligati ! " Conſule præterea *lib.* 1. *de adulterinis conjugiis cap. ultimo*.

Victor Uticenſis *lib.* 2. *de perſecutione Vandalorum*, innuens non poſſe aliter ſolvi peccatores.

Auctor libri 2. *de viſitatione infirmorum apud Auguſtinum*, ſtatuens peccatores eo ipſo a regno Dei eliminari.

Fulgentius *de baptiſmo Æthiopis*, non aliter poſſe hominem ſalvari decernens quam per Sacramenta.

Alcimus Avitus *epiſt.* 4. *ad Gondebaldum regem*, ubi idcirco ſancit impium eſſe moribundis abſolutionem denegare.

Adde his quorumdam e veteribus dicta de Catechumenis ac pœnitentibus ante Sacramentorum ſuſceptionem morientibus, pro quibus orari nolunt. Adi etiam jus canonicum *cauſa 26. q. 6.* ubi nonnulli memorantur, qui abſolutionem tantæ eſſe neceſſitatis putaverunt, ut qui eam non impertitur moribundis, hominum ſalutem adimere, mortem morti addere, animas occidere dicatur.

Sed iſta nos non morantur : quia, niſi temperentur, eo ducunt ut Sacramenta ſummæ & ineluctabilis neceſſitatis eſſe, nec ſuppleri ullatenus poſſe, exiſtimentur. Hæc ergo quæ nimis probant, ad juſtum modum reducenda ſunt, ut ita Patres locuti eſſe intelligantur : 1. quia certum non eſt, an quæ ad Sacramentum ſatis eſt charitas, eadem ſufficiat extra Sacramentum : 2. quia etiamſi hoc conſtaret, charitas illa non raro excitatur a Sacerdotibus in animis eorum qui accedunt ad Sacramenta. Quot enim ſunt qui cum tepentes ac frigidi adierint Sacerdotes, ab iis recedunt charitate inflammati, Deo id miniſtrorum precibus, verbis & hortationibus tribuente ? Quantum ergo in ipſis

eſt,

eſt, mortem conſciſcunt ovibus ſuis Paſtores, qui eas, ut fugiant, dimittunt.

Quocirca his non obſtantibus affirmamus, neminem eorum perire poſſe, qui Deum ſuper omnia diligentes, ſine Sacramentis forte moriuntur.

Primo quia Ambroſius non dubitat de æterna Valentiniani imperatoris ſalute, qui ſine Baptiſmate fato functus erat, *in oratione de ejus obitu*. " Si ſuo abluuntur ſanguine (Catechumeni martyres) & hunc " ſua pietas abluit & voluntas.

Secundo quia Auguſtinus *lib.* 4. *de Baptiſmo cap.* 22. ait, " Inviſibiliter impleri quod deerat, quando miniſterium Baptiſmi, non contemptus religionis, ſed articulus mortis excludit.

Tertio quia Fulgentius *lib.* 1. *de peccat. merit. cap.* 12. confitetur indulgentiam converſis Deum non poſſe denegare. Neceſſe eſt, inquit, " ut Deus peccatori miſertus ignoſcat, ſi tamen peccator iniquitatem " ſuam converſus agnoſcat.

Quarto plura Concilia jubent preces in Eccleſia fundi ad Deum pro iis, qui ſine Sacramentis vita forte defuncti ſunt.

Concilium ſcilicet Carthaginenſe IV. anno 398. *can.* 79. " Pœnitentes qui attente leges Pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu ... mortui fuerint, ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum & orationibus & " oblationibus commendetur.

Vaſenſe ad annum 442. *can.* 2. " Qui Pœnitentia accepta .... ſine " communione inopinato nonnunquam tranſitu præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam eccleſiaſtico affectu proſequendam.

Arelatenſe II. an. 452. *can.* 12. " De his qui in Pœnitentia poſiti " vita exceſſerunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quod honoravit Pœnitentiam, oblatio illius ſuſcipiatur.

Toletanum XI. " De his autem qui accepta Pœnitentia antequam " reconcilientur ab hac vita receſſerint, quanquam diverſitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nobis ſententia " placuit, qui .... decreverunt, ut & memoria talium in Eccleſiis " commendetur, & oblatio pro eorum delicto a Presbyteris recipiatur.

Quinto quia Theobaldus Stampenſis, Bernardus & Innocentius III. ita ut nos ſentiunt.

Et quidem Theobaldus Stampenſis *epiſt. ad Epiſcopum Lincolnienſem:* " Voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas ... Sola fides & mentis ad Deum converſio, ſine effuſione ſanguinis & ſine profuſione aquæ, SALUTEM SINE DUBIO OPERATUR VOLENTI, " SED NON VALENTI.

Bernardus *epiſt.* 77. *ad Hugonem* .... " Si ante exitum voluerit & " petierit baptizari, ſed mortis præoccupatus articulo, forte obtinere

„ nequiverit, dum non deſit fides recta, ſpes pia, charitas ſincera,
„ huic ego ob ſolam aquam, ſi defuerit, nequaquam omnino poſſum
„ deſperare ſalutem.

Innocentius III. *extra de ſent. excommun. c.* 28. " Presbyterum quem
„ ſine unda Baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in
„ ſanctæ matris Eccleſiæ fide & Chriſti nominis confeſſione perſevera-
„ vit, ab originali peccato ſolutum .... ASSERIMUS INCUNCTAN-
„ TER.

Sexto quia hæc etiam eſt opinio eorum e Belgio Theologorum, qui
„ præ cæteris amoris Dei dominantis neceſſitatem ad Sacramenta pro-
„ pugnarunt, Eſtii, Farvaquii, imo Lupi, qui omnium veluti nomi-
„ ne, " Quidquid ſit, inquit, pium hunc ſenſum paſſim omnes te-
„ nent.

INSTABIS 1. S. Facultas Pariſienſis anno 1560. cum ad ſe delata fuiſſet hæc propoſitio: " Homo exiſtens in peccato mortali ſive ejus
„ reatu ad æternam mortem, habet charitatem; " ei notam hæreſeos
„ inuſſit. Hæc propoſitio, inquit, eſt hæretica. Ergo.

DISTINGUO antecedens: ei notam hæreſeos inuſſit, de charitate habituali intellectæ; concedo: actuali; nego. Scilicet charitatis ut & gratiæ nomen de habituali vulgo intelligitur. De ea loquitur Facultas: alioqui non tantum cum Patribus & Theologis, ſed etiam cum ſynodo Tridentina pugnaſſet.

INSTABIS 2. Pius V. *in bulla* an. 1567. 1. Octobris damnavit plurimas propoſitiones, quas inter hæ erant:

30. " Charitas perfecta & ſincera quæ eſt ex corde puro & con-
„ ſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam pœ-
„ nitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

31. " Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjun-
„ cta cum remiſſione peccatorum.

67. " Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ dam-
„ nationis, poteſt habere veram charitatem: & charitas etiam perfe-
„ cta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.

68. " Per Contritionem etiam cum charitate perfecta cum voto ſu-
„ ſcipiendi Sacramentum conjuncta, non remittitur crimen extra ca-
„ ſum neceſſitatis aut martyrii ſine actuali receptione Sacramenti. "
Ergo charitas eſſe non poteſt ſine remiſſione peccatorum.

DISTINGUO conſequens: charitas perfecta aut habitualis; concedo: actualis aut imperfecta; nego. Spectabat autem ſummus Pontifex ad charitatem perfectam, ut verba ipſa ſatis aperte indicant. Et vero auctor illarum propoſitionum vulgatam in ſcholis diſtinctionem charitatis viſus erat exploſiſſe, nullamque aliam charitatem admiſiſſe, quam perfectam aut habitualem. Sic enim *propoſitione* 37. dixerat.
„ Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mun-
„ dus diligitur, ... aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum-
ſan-

„ ſanctum in corde diffuſa Deus amatur: "*Propoſitione* autem 63. " Il-
„ la diſtinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator,
„ dum ei pœnitenti & vitæ novæ propoſitum & inchoatio per gratiam
„ inſpiratur; alterius qua vivificatur qui vere juſtificatur, ... com-
„ mentitia eſt, & Scripturis minime conveniens judicatur. " Quod enim Pius pontifex noluerit perſtringere charitatem inchoatam, ex eo patet, 1. quod ejuſmodi diſtinctionem firmet: 2. quod vix abſolutum erat concilium Tridentinum, in quo charitas illa reconciliationi prævia & ab ea ſeparabilis aſtructa fuit: ab eo autem certe non diſſenſit: 3. quod anno proxime elapſo approbaſſet doctrinam Catechiſmi Romani, in quo illud luculenter exprimitur.

Instabis 3. Plurimi e Theologis veteribus ſentiunt hanc eſſe naturam cujuslibet charitatis ut peccato ſit inſociabilis. Robertus Pullus *parte* 1. *Sententiarum cap.* 1. Petrus Pictavienſis 3. *parte Sententiarum cap.* 22. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 24. *art.* 12. Ricardus de Media-villa *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 5. Durandus *in* 3. *diſt.* 21. *q.* 1. Stephanus Brulefer *de timore ſervili*, Nicolaus de Orbellis *in* 4. *diſt.* 14. *q.* 2. Gregorius Arimin. *in* 2. *diſt.* 17. *q.* 5. *art.* 2. Angelus a Clavaſio verbo *charitas*, Capreolus *lib.* 2. *Sententiarum diſt.* 43. Jacobus Almainus *diſt.* 14. *quæſt.* 1. & *tract. de charitate*. Ergo.

Respondeo non unam veterum Theologorum hac de re ſententiam extitiſſe: nos autem in eam, quæ utriuſque conſortium admittit, conceſſimus, ut juxta antiquiorum Patrum dicta major Sacramento dignitas & efficacia conſtaret; neque tamen confeſſi fuerimus, ſupra allegatos Theologos omnes nobis adverſari: plerique enim exponi queunt de charitate perfecta aut habituali.

Instabis 4. Charitas inchoata ejuſdem ſpeciei eſt cum perfecta. Atqui perfecta non poteſt cum peccato conſiſtere: Ergo.

Distinguo majorem: eſt ejuſdem ſpeciei, ſed non ejuſdem virtutis; concedo: ejuſdem ſpeciei & virtutis; nego. Ignis ſcintilla ejuſdem eſt ſpeciei cum incendio: an continuo idem præſtet? nequaquam certe. Sic igitur charitas perfecta, cujus ſymbolum ignis eſt, omnia peccata abſumet, licet id efficere non poſſit imperfecta.

Instabis 5. Nulla ratio eſt cur actum & affectum peccati tollat charitas inchoata, non item reatum; omnia autem ſimul expungat perfecta. Ergo.

Nego antecedens. Ideo enim charitas, etiam minus incenſa, tollit actum & affectum peccati, quia eſt prævalidus amor Dei, nec poteſt fieri, ut quis ſit ſimul averſus a Deo & ad Deum converſus: hæc enim ſecum invicem pugnant. Porro ut poſt converſionem ſuam homo veniam, qua eget, accipiat a Deo, peculiari adhuc beneficio opus eſt; quod Deus non conferre ſtatuit extra Sacramentum, niſi ſuam charitatem magis & magis acuat & inflammet: quod etiam apud homines fieri conſpicimus. Qui enim perduellionis in principem & patriam reus

eſt, veniam non obtinet, ſtatim atque voluntatem pravam depoſuit & induit meliorem; ſed præterea neceſſe eſt ut præclarum aliquod & excellens fortitudinis facinus edat ad ſalutem patriæ, quo indulgentiam mereatur, niſi aliunde princeps admiſſum crimen gratis condonare voluerit.

INSTABIS 6. Nullum diſcrimen aſſignari poteſt perfectam inter & imperfectam charitatem.

NEGO. Ea enim charitas imperfecta eſt, quæ timoris incitamento indiget; contra charitas perfecta: quod Scripturæ, & Patres docent. 1. Joan.4. *Perfecta charitas foras mittit timorem:* Auguſtinus *tract. 9. in Joan.* " Timor non eſt in charitate: ſed in qua charitate? non inchoata. In qua „ ergo? ſed *Perfecta charitas*, inquit, *foras mittit timorem.* " Gillebertus Abbas Ciſtercienſis *ſerm. 19. in Cant. apud Bernardum*, " Dedignatur charitas, inquit, timoris commercium. Ideo charitas perfecta foras mittit timorem. Quomodo enim perfecta charitas, quæ timoris „ ſtimulo indiget ad cultum juſtitiæ? " Auctor libri *de modo bene vivendi ad ſororem, inter opera ejuſdem Bernardi*, *cap.* 4. " Qui adhuc „ timet, inquit, non habet perfectam fiduciam in die judicii. Non- „ dum eſt in illo perfecta charitas, qui adhuc timet; quia ſi perfecta „ in illo eſſet charitas, non timeret: perfecta charitas faceret in ho- „ mine perfectam juſtitiam .... Quid eſt perfecta charitas, niſi per- „ fecta ſanctitas? " quæ ex Sancto Auguſtino fere deprompta ſunt. Hæc autem aperiunt diſcrimen utriuſque charitatis, & ſimul aſtruunt quod diximus *ſupra*, perfecta charitate hominem fieri juſtum, non inchoata.

OBJICIES 2. S. Facultas Pariſienſis ann. 1638. cum quidam in Auguſtini librum *de ſancta virginitate* hæc ſcripſiſſet. 1. " Pœnitentia non eſt „ vera, neque integra, neque tuta, niſi habeat conditiones veræ Con- „ tritionis, ... quæ procedere debent ex charitate perfecta, non vero ex „ timore ſervili. 2. Jam ſi verum eſt quod actus charitatis perfectæ, id „ eſt veræ Contritionis, ſit abſolute neceſſarius ad obtinendam gratiam „ ſacramenti Pœnitentiæ; & ſi aliunde conſtet ejuſmodi charitatem ho- „ minem Deo reconciliare, ipſique gratiam obtinere, antequam actu re- „ ceperit Sacramentum, quid ergo ſupereſt abſolutioni præſtandum? „ 3. Qui diceret abſolutionem nihil aliud eſſe, quam actum judicia- „ rium, quo Sacerdos declarat non ſimpliciter, ſed cum auctoritate, „ nomine Jeſu Chriſti, peccata remiſſa, de quibus ſententiam pronun- „ tiat juridice; ille meo judicio nihil proferret, contra Concilium Tri- „ dentinum " &c. Tres iſtas de Attritionis inſufficientia, & Contritio- „ nis ex perfecta charitate abſoluta neceſſitate propoſitiones cenſura confixit; quod *ſupra* retulimus. Ergo Attritio ſufficit, neque requiritur charitas.

DISTINGUO conſequens: Attritio perfecta ſufficit, nec requiritur charitas perfecta; concedo: Attritio ſervilis ſufficit, nec requiritur charitas inchoata; nego.

Hoc

Hoc ergo decretum accipiendum eſt de Attritionis in univerſum ſufficientia, & de charitatis perfectæ neceſſitate, quæ proſcribitur: 1. quia verba ipſa hoc ſonant: 2. quia ſcriptor ille revera *pag.* 115. rejecerat diſerte charitatem inchoatam & *pag.* 117. 123. 127. conceptis verbis poſtulaverat perfectam charitatem, qualem fuiſſe exiſtimat in muliere peccatrice, quæ ſola Chriſti voce conſecuta eſt ſcelerum veniam.

Non poteſt autem hoc ſacræ Facultatis edictum intelligi de charitatis imperfectæ neceſſitate, quæ confodiatur; 1. quia hujus inchoatæ charitatis neceſſitas conſtanti antiquitatis traditione nititur, quam profecto convellere ſacer Ordo nec voluit nec potuit: 2. quia ſibi ipſi non conſtitiſſet: olim enim approbaverat & librum Abellonenſis epiſcopi & Viguerii inſtitutiones, in quibus charitatis & dilectionis Dei ſuper omnia neceſſitas prædicatur: 3. quia incredibile fuerit ab Academia Pariſienſi tot inſignes Theologos, qui poſt Concilium Tridentinum citra ullam reprehenſionem charitatis neceſſitatem firmarunt, fuiſſe damnatos: 4. quia poſt illam cenſuram nihilo minus quam ante eadem charitas inchoata neceſſaria publice propugnata eſt, etiam a Theologis Pariſienſibus: 5. quia dominus Pereiret in regia Navarra quondam Theologiæ profeſſor, qui inter alios ſelectus fuerat ad expendendum hunc librum, nihilo ſecius anno 1647. docuit ſententiam illam, quæ ad Sacramentum exigit amorem Dei ſuper omnia, eſſe tutiorem ac prudentiorem: de quo Queraſſius 4. *parte.*

Objicies 3. Hæc eſt novæ legis peculiaris dignitas, hoc præcipuum jus, quod ad juſtitiam aſſequendam a difficili amoris Dei jugo abſoluta ſit: alias quodnam erit novam inter ac veterem legem in eo capite diſcrimen? Ergo ad ſacramentum Pœnitentiæ, ut par eſt, ſuſcipiendum, neceſſarius non eſt amor charitatis.

Respondeo hoc piis auribus intolerandum eſſe, quod Theologi reperti fuerint in eo novæ legis ſupra veterem excellentiam collocantes: quod adeo noſtræ Religionis decus non eſt, ut etiam hominis opprobrium ſit. Non ita profecto a majoribus inſtituti ſumus. Itane vero quanto majoribus a Deo cumulati ſumus beneficiis, tanto minus eum diligere tenebimur? Abſit a nobis tam turpe privilegium: commentitiam illam de non amando Deo prærogativam abdicemus.

Respondeo 2. nedum amor ad Judæos pertineret, timor vero ſufficiat Chriſtianis, quod juxta Auguſtinum *libro contra Adimantum*, *cap.* 7. *n.* 2. hæc ſit “ Breviſſima, & apertiſſima differentia duorum teſtamentorum, „ timor & amor; illud ad hominem veterem, hoc ad novum pertineat. “ ex quo ſequitur hoc argumento totius Chriſtianæ religionis fundamentum everti.

Respondeo 3. eandem quidem amandi Dei, imo & majorem Chriſtianis, quam olim Judæis, neceſſitatem incumbere; ſed in eo eſſe novæ legis ſupra veterem excellentiam, dignitatem, ac facilitatem, quod longe

ge copioſiora jam ad amandum Deum gratiamque conſequendam omnis generis auxilia ſuppetant.

QUÆSTIO QUARTA.

De Confeſſione.

JAm de altera Pœnitentiæ parte agendum eſt, quæ Latinis *Confeſſio*, Græcis autem *Exomologeſis* vulgo dicitur. De qua ſynodus Trident. doctrinam quidem ſuam expoſuit *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Eccleſiæ vero fidem ſanxit tribus canonibus, *6.* nimirum, 7. & 8. (*ſupra, folio* 1. *verſo*:) quibus id omne complexa eſt quod ad accuratam de Confeſſione diſputationem pertinet; ejus nempe inſtitutionem, neceſſitatem, uſum, materiam, varias proprietates, modum, tempus ac miniſtrum.

ARTICULUS I.

De erroribus circa Confeſſionem.

QUod omnibus Eccleſiæ dogmatibus accidit, ut ſuos quæque adverſarios haberent, hoc Confeſſioni, quæ magna pars eſt ſalutis hominum, deeſſe non debuit: nec vero defuit.

Hos igitur Confeſſionis hoſtes quales vulgo recenſentur, de ſingulis tamen judicio noſtro interpoſito, enumerabimus.

Ei porro bellum indixiſſe perhibentur.

Primo Montaniſtæ II. ſæculo; ſic enim Bellarminus ſtatuit. At immerito, ut videtur: illi enim certis quidem peccatis veniam ſubtrahebant; ſed, ut hæc ipſa peccata ab aliis ſecernerent, Confeſſione profecto opus fuit: verum de hoc alias.

Secundo Novatiani circa medium ſequens ſæculum. Sed cum illi hac in parte Montaniſtis conſentirent, eandem quoque ob cauſam ex hoc numero, mea quidem ſententia, pariter eximendi ſunt.

Tertio Audiani ad IV. ſæculi finem. At minus recte: Confeſſionem enim illi uſurpabant, imo & imperabant; ſed in eo diſſidebant ab Eccleſia, quod cuncta, quæ poſt Confeſſionem pœnitentibus injungi ſolebant, laborioſa opera ſuperſtitioſius ſupprimerent: quod Theodoretus narrat *lib.* 4. *hæret. fabul. cap.* 10.

Quarto nonnulli quos Alcuinus memorat, & hæreſeos accuſat exeunte ſæculo VIII. Verum ii nullam ſectam condiderunt, quod ſuo loco expenmus.

Quinto Waldenſes inclinante XII. ut quidem jactant Novatores noſtri; ſatius eſſe rati ſi hos quam nullos per omne retro ævum parentes

ſtes habere videantur. Sed fruſtra: conſtat enim ex Reynero, qui adverſus hos ſcripſit anno 1250. Philicdorffio, & reſponſionibus cujuſdam Waldenſis ad interrogata Catholicorum per hoc circiter tempus, qualia ea exhibet manuſcriptus codex bibliothecæ Colbertinæ, Claudio Seyſſelio archiepiſcopo Taurinenſi in inquiſitione ann. 1511. facta, eandem apud eos, quam apud nos de Confeſſione fidem, ac fere etiam diſciplinam extitiſſe. In eo tantum error fuit, quod vellent illius miniſtros eſſe omnes & ſolos homines probos. Imo teſte Ægidio *in Hiſtoria Eccleſiæ reformationis*, cum ab iis poſtulaſſent anno 1530. Bucerus, & OEcolampadius, ut ſuum illud de Confeſſionis ex jure divino neceſſitate placitum ejurarent, acriter reſtitere; donec tandem anno 1536. agente Favello in Calvinianorum caſtra tranſierunt: de quo lege illuſtr. epiſcopum Meldenſem *lib.* 11. *variationum*.

Sexto Viclefus ann. circiter 1370. quanquam is Confeſſionem omnino non abrogabat: docebat enim tantum eam inſtituti eſſe Eccleſiaſtici; quod Thomas Waldenſis refert: & ſi homo debite fuerit contritus, omnem Confeſſionem exteriorem eſſe ei inutilem & ſuperfluam: de quo ſynodus Conſtantienſis.

Septimo Joannes Hus, ejuſque aſſeclæ ſæculo XV. Sed falſo, ut ex propriis eorum monimentis probant fratres Walemburgici *tom.* 2. *pag.* 18. & idem illuſtr. Præſul *ibid. nu.* 161.

Octavo Petrus de Oſma ſub finem ejuſdem ſæculi ideo damnatus, quod diceret Confeſſionem non eſſe jure divino neceſſariam; cujus ſimile quid reperias apud Semecam in Gloſſa, Michaelem Bononienſem, Eraſmum *in annot. ad epiſt. S. Hieronymi ad Oceanum de obitu Fabiolæ, & ad c.* 19. *Act. Apoſtol.* necnon *in methodo Theologica*; & B. Rhenanum *ad lib. Tertulliani de Pœnitentia*: ut prætermittam Rigaltium qui hoc noſtro ſæculo in eodem luto hæſiſſe dicitur.

Nono Lutherus ejuſque diſcipuli. Licet enim hi in Confeſſione Auguſtana fateantur Pœnitentiam eſſe Sacramentum a Chriſto inſtitutum, ille autem in Catechiſmo minori velit ut a pœnitente omnia, quorum conſcius eſt, peccata lethalia privatim apud Evangelii Miniſtrum exponantur; attamen vulgo affirmant, 1. Confeſſionem non eſſe a Chriſto omnibus in crimina lapſis præceptam: 2. eam eſſe non oportere omnium, & ſingulorum peccatorum: 3. nullam ei per ſe vim ineſſe ad juſtificationem peccatoris, utpote quæ ſola fide perficiatur. Variantes illorum ſententias vide apud Bellarminum *de Pœnitentia libro* 3. *capite* 1. & Illuſtriſſimum Epiſcopum Meldenſem *libro* 3. *variationum*.

Decimo Calvinus ejuſque ſectatores Confeſſionem duplicem diſtinguunt; alteram, qua quis in genere agnoſcit ſe violatæ divinæ legis multipliciter reum eſſe; alteram, qua quis proprie ac ſigillatim profitetur quid in Dei legem admiſerit, puta adulterium, furtum, homicidium & ſimilia: tum, utraque hæc Confeſſio, inquiunt, vel apud Deum, vel

apud

apud homines inſtituitur: priorem illam, id eſt, generalem peccatorum Confeſſionem, tum apud Deum, tum apud homines neceſſariam eſſe ſtatuunt: Confeſſionis vero ſpecialis, qua hoc aut illud proprie delictum a nobis admiſſum fuiſſe confitemur, aliam eſſe rationem decernunt; eam enim apud Deum eſſe neceſſariam, non vero apud homines, niſi cum illa homines lædunt, non ſolam Dei majeſtatem: ſi enim quis in fratrem peccaverit, edicunt neceſſarium eſſe ut peccatum ſuum agnoſcat antequam veniam mereatur: ſi autem peccaverit cum offenſione plurimorum, volunt præterea ut coram Eccleſia ſe reum fateatur, quo divinam gratiam reſarciat. Quod autem pertinet ad eam quam uſurpamus occultorum etiam Confeſſionem, eam & utilem & laudandam eſſe admittunt; ſed neceſſariam eſſe negant Calvinus *lib.3. inſtit. c.4.* & Dallæus *in præfat. ad ſuum librum de Confeſſ.*

ARTICULUS II.

De inſtitutione Confeſſionis, ejuſque ex Scripturis neceſſitate.

ASSERTIO.

Confeſſio a Chriſto inſtituta eſt ut omnibus in crimina poſt Baptiſmum lapſis neceſſarium remedium.

PROBATUR ex Scripturis, quæ tria præſertim ad hoc argumentum teſtimonia ſuppeditant.

Primum eſt Matth. 16.19. ubi Chriſtus alloqueus Petrum, & ſub ejus nomine univerſam Eccleſiam, conſentientibus etiam Hæreticis, *Tibi*, inquit, *dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

Secundum ejuſdem Matth. cap. 18. v. 18. in quo Chriſtus omnibus Apoſtolis, *Amen dico vobis*, inquit, *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælo.*

Tertium Joan. 20.21. Ibi enim Chriſtus, qui cap. 5.22. teſtabatur ſe omne judicium a Patre habere, ſic affatur Petrum & Apoſtolos, eos vice ſua judices conſtituens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos ...... Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.*

His poſitis, ſic argumentamur: Ut Confeſſio a Chriſto inſtituta eſſe cenſeatur velut omnibus poſt Baptiſmum in crimina lapſis neceſſarium remedium, tria ſufficiunt & requiruntur; primum ut Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus conceſſæ fuerint a Chriſto claves regni cælorum, & poteſtas ſolvendorum, & retinendorum peccatorum fidelibus baptizatis: ſecundum ut iiſdem fidelibus impoſita ſit neceſſitas recur-

rendi ad eaſdem claves pro peccatis lethalibus ut eorum veniam conſequantur, & ea declarandi: tertium ut iſta declaratio fieri non poſſit niſi per Confeſſionem. Atqui tria hæc ex iis Scripturæ locis aperte deducuntur.

Ac primum quidem, quod nimirum Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus traditæ ſint claves regni cœlorum, & facta poteſtas remittendorum ac retinendorum peccatorum fidelibus baptizatis, jam probatum eſt.

Illic enim Eccleſiæ judiciaria quædam poteſtas tribuitur: niſi enim judicium aliquod intercedat, non poſſunt homines ſolvendi ſecerni a ligandis, nec peccata dimittenda ſecerni a retinendis.

Iſta porro judicandi auctoritas Eccleſiæ proprie non competit niſi in ſuos, hoc eſt jam baptizatos: *Quid enim mihi*, inquit Apoſtolus, *de iis qui foris ſunt judicare?*

Secundum vero, quod impoſita ſit neceſſitas iiſdem fidelibus peccata confitendi, & ad claves Eccleſiæ recurrendi, ex iiſdem locis aperte elicitur. Nemo enim veniam a Deo obtinet, quin prius ab Eccleſia ſolutus fuerit: hæc quippe vis eſt ſententiæ Chriſti, ut nihil in cœlis ſolutum eſſe judicetur quod prius in terris ſolutum non fuerit.

Certe peccatores ita a Chriſto diſtribuuntur, ut alii ſint ligandi, alii ſolvendi, & ii omnes ligati cenſeantur, qui ab Eccleſia ſoluti non fuerint. Eo nimirum quo quis peccat, peccati vinculis irretitur: ligare igitur nihil aliud eſt quam non ſolvere, nec dare veniam; quocirca quicunque ab Eccleſia non donantur criminum venia, ii ligati ſemper manent: qui autem ligati ſunt in terris, non ſolvuntur in cœlis. Ergo qui veniam hic ab Eccleſia non accipient, iis nunquam a Deo peccatum condonabitur.

Et vero cum regni cœlorum claves habeant Apoſtoli ſoli eorumque ſucceſſores, nemo in cœlum ingredi poterit, cui clavium iſtarum uſu cœlum non aperuerint.

Adde quod Chriſtus declaret ſe eodem modo mittere Apoſtolos, quo ipſe a Patre miſſus fuerat ad liberandos homines: ac proinde, quemadmodum nemo liberatur niſi per Chriſtum, ſic nullus ſolvitur niſi per Apoſtolos.

Ergo omnibus baptizatis incumbit neceſſitas recurrendi ad claves Eccleſiæ, & ſe ſubjiciendi judicio Sacerdotum ad veniam peccatorum conſequendam.

Hæc autem intelliguntur de ſolis peccatis lethalibus: cum enim ea auctoritas ſub imagine clavium detur, iis ſane ſolis neceſſaria eſt, quos a cœlo arcet improbitas: quis enim clave indiget præter eum cui occluſa eſt janua? Ergo clavibus Eccleſiæ iis tantum opus eſt, qui cœlum ſibi peccatis ſuis clauſerunt.

Ergo oportet ut Sacerdoti innoteſcant ſolvendi & ligandi homines, remit-

remittenda & retinenda peccata, ut æquum judicium ferat. At iſta innoteſcere non poſſunt, utpote frequenter occulta, niſi declarentur. Ergo.

Tertium denique, quod iſta declaratio Confeſſione fieri debeat, ex duobus prioribus momentis conſequens eſt. Ergo.

ARTICULUS III.

De Confeſſionis uſu & neceſſitate ex Eccleſiæ traditione & Patrum teſtimoniis.

ASSERTIO.

CONFESSIONIS uſus, & neceſſitas antiqua Eccleſiæ traditione nititur.

PROBATUR ſingula ſæcula percurrendo.

E primo ſæculo.

Ante centeſimum a Chriſto annum ſcriptæ videntur *Epiſtolæ* Barnabæ, & Clementis, cujus etiam nomine prodierunt: *Epiſtola ad Jacobum & Conſtitutiones Apoſtolorum*: quæ duo poſtrema opuſcula, licet ſpuria, quia tamen ita antiqua ſunt ut a Rufino in latinam linguam quarto ſæculo verſa fuerint, ea genuinis Clementis fetibus annectemus in argumentum veteris diſciplinæ.

Sanctus Barnabas igitur *in epiſtola*, *num.* 19. varia inter monita ſalutis commendat Confeſſionis uſum. " Confitemini, inquit, peccata veſtra.

Clemens *epiſtola* 2. " Dum vivimus, inquit, ex toto corde noſtro convertamur ad Dominum, quidquid mali in carne admiſimus abdicantes, ut ſalutem adipiſcamur, dum ad Pœnitentiam tempus nobis ſuppetit: poſtquam enim ex hoc mundo egreſſi fuerimus, nec confiteri peccata, nec Pœnitentiam agere poterimus.

Conſtitutionum apoſtolicarum lib. 7. *cap.* 14. " Confiteberis Domino Deo tuo peccata tua, & non amplius adjicies ad ea, ut bene ſit tibi a Domino Deo tuo, qui non vult mortem peccatoris, ſed Pœnitentiam.

Epiſtola ad Jacobum juxta Rufini verſionem *num.* 11. " Quod ſi forte in alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum .... latenter irrepſerit, non erubeſcat qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præeſt; .... quo poſſit fide integra & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire.

In eadem epiſtola, qualem eam græce jam habemus, *num.* 15. loqui-

„ tur

„ tur de iis, " Qui vomunt, hoc eſt confitentur; delicta, tanquam „ morbidam bilem, & a morbo allevantur, recipientes ſalutarem ex ſe- „ dulitate ſanitatem.

Hæc ſibi invicem lucem ac robur præbent: certis enim dubia firmantur, & claris ambigua explicantur. Fatentur ſcilicet Hæretici nullum tunc temporis quoad hoc caput in Eccleſia diſſidium extitiſſe: atque adeo nihil eſt ab uno prolatum, quod ab aliis probari non potuerit.

Quæ cum ita ſint, e ſuperioribus teſtimoniis colligimus, 1. frequenter commendatam fuiſſe tunc Confeſſionem: 2. Confeſſionem illam non fuiſſe Deo tantum factam; ſed ei qui præeſt: non in animo duntaxat, ſed ore, ad evomendam, quæ intus latebat, vim morbificam: 3. eam ad effugiendas ignis æterni pœnas habitam fuiſſe quaſi neceſſariam: 4. inſtitui ſolitam, etiam de iis peccatis, quæ Eccleſiæ nullum ſcandalum objicerent.

E ſecundo ſæculo.

Primo Irenæus, vir Apoſtolicorum temporum, non unum in libris ſuis hujus Confeſſionis uſus documentum dedit: *lib.* 1. *cap.* 9. de Marco hæretico & præſtigiatore, ac pluribus mulierculis ab eo corruptis diſſerens: " Hæ, inquit, ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam Dei, confeſſæ „ ſunt & ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo, & velut cupidine in- „ flammatas valde illum ſe dilexiſſe. " Tum addit de uxore cujuſdam Diaconi quæ ſimile infortunium paſſa " Omne deinceps tempus in Exo- „ mologeſi conſummavit, plangens ac lamentans ob hanc quam paſſa eſt „ ab hoc mago corruptelam. " Denique *libro* 3. *cap.* 4. de Cerdone modo latenter docente, modo vero Exomologeſim faciente mentionem habet ſic: " Conſummavit, inquit, modo quidem latenter docens, mo- „ do Exomologeſim faciens. " Ex quo liquet Confeſſionem criminum in Eccleſia fuiſſe uſurpatam; nec eam de publicis tantum criminibus, ſed etiam de occultis animi libidinibus.

Respondet Dallæus Irenæum non indicare an Confeſſio illa inſtituta ſit apud Sacerdotes: videri enim factam coram omni Eccleſia; a nobis autem nullos agnoſci illius adminiſtros præter Sacerdotes: ac proinde quam Confeſſionem memorat Irenæus, eam non fuiſſe ejuſdem cum noſtra, quæ in aurem ſolius Sacerdotis fiat, conditionis.

At primo quod ejuſmodi Confeſſio apud Sacerdotes peracta ſit, Irenæus non negat. 2. Sacramenti prorſus non refert an Confeſſio ſolis Sacerdotibus, an coram omni Eccleſia fiat. 3. Nos hoc loco de Confeſſionis uſu ac neceſſitate duntaxat laboramus, non de illius miniſtro, quem ſolum eſſe Sacerdotem luculenter & facile poſtea probabimus.

Secundo per id tempus Montaniſtæ exorti ſunt, in eo potiſſimum ab Ec-

ab Eccleſia diſſentientes quod, cum Eccleſia nullum peccatum irremiſſibile eſſe crederet, illi contra duos peccatorum ordines conſtituerent, quorum alia irremiſſibilia, alia venialia eſſent: utriſque Pœnitentiam indicebant: ſed poſt exantlatos Pœnitentiæ labores veniam graviorum a ſolo Deo expectari volebant, aliorum autem ab Epiſcopo concedi.

Ex hac autem controverſia manifeſtum eſt omnia peccata Confeſſioni tunc obnoxia fuiſſe: 1. quia omnibus etiam levioribus Pœnitentia indicebatur: non poterat autem, niſi illa Confeſſione innoteſcerent: 2. quia graviora ab aliis erant ſecernenda: 3. quia vel ipſis peccatis venialibus Epiſcopus veniam impertiebatur, utique ſibi compertis. Ergo.

Quæ vero peccata irremiſſibilia juxta Montaniſtas cenſerentur, quæ venialia, diſces ex Tertulliano *lib. de pudicitia*; cum ad eos jam adhæſiſſet.

Tertio idem ille Tertullianus, antequam ad hos Hæreticos defeciſſet, inſignem *de Pœnitentia* librum conſcripſit, in quo poſtquam oſtendit omnibus omnino peccatis eluendis Pœnitentiam eſſe neceſſariam, poſtea ad Confeſſionem tranſit, affirmatque eam ejuſdem eſſe neceſſitatis, etiam quoad ſecreta animæ vulnera, ita ut pereant qui ea detegere erubuerint. Ergo.

Cap. 4. " Omnibus ergo delictis ſeu carne ſeu ſpiritu, ſeu facto ſeu „ voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & „ veniam per Pœnitentiam ſpopondit.

Cap. 9. " de Confeſſione. " Tantum relaxat Confeſſio delictorum, „ quantum diſſimulatio exaggerat. Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ. Hujus igitur Pœnitentiæ ſecundæ „ & unius quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt; „ ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, *Exomologeſis* eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, „ non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio Confeſſione diſponitur, Confeſſione Pœnitentia naſcitur; Pœnitentia Deus mitigatur.

Hæc ergo Confeſſio non in ſola conſcientia præferenda eſt, ſed aliquo actu exteriore adminiſtranda, qui Exomologeſis eſt; quanquam Domino fieri dicitur, quia Sacerdoti fit qui Dei vices gerit. Cæterum ejus neceſſitatem firmare ſic pergit Tertullianus.

Cap. 10. " Pleroſque tamen hoc opus ut publicationem ſui aut ſuffugere aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores „ quam ſalutis; velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Intolerandum ſcilicet pudori, Domino offenſo „ ſatisfacere, ſaluti prodactæ reformari. Ne tu verecundia bonus, ad

„ delin-

„ delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero ſubducens.
„ Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquiro.
„ ...... Grande plane emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pol-
„ licetur. Videlicet, SI QUID HUMANÆ NOTITIÆ SUBDUXERI-
„ MUS, PROINDE ET DEUM CELABIMUS? ADEONE EXISTIMA-
„ TIO HOMINUM ET DEI CONSCIENTIA COMPARANTUR? AN
„ MELIUS EST DAMNATUM LATERE, QUAM PALAM AB-
„ SOLVI?

Hæc Tertullianus, aperte ſignificans & ſummæ neceſſitatis eſſe hanc Confeſſionem, & eam hominibus fieri oportere, quantumvis repugnet pudor.

In eundem ſenſum *cap.* 12. in eos quos eadem verecundia a Confeſſione deterrebat: " Si de Exomologeſi retractas, gehennam in corde
„ conſidera, quam tibi Exomologeſis extinguet; & pœnæ prius magni-
„ tudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites..... Igitur
„ cum ſcias adverſus gehennam, poſt prima illa intinctionis Domini-
„ cæ munimenta, eſſe adhuc in Exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſa-
„ lutem tuam deſeris?

Hæc autem omnia ita aperta ſunt ut Beatus Rhenanus, Confeſſioni alioqui non omnino æquus, ejus antiquitatem inde colligat, licet eo non confiteatur illius ex jure divino neceſſitatem.

Ex tertio ſæculo.

Primo Origenes eandem confitendorum Sacerdotibus peccatorum conſuetudinem & neceſſitatem diſerte aſtruit.

Homil. 2. *in Pſ.* 37. ad illud, *Iniquitatem meam ego cognoſco*, " Vi-
„ de, inquit, quod edocet nos Scriptura, quia oportet peccatum non
„ celare intrinſecus. Fortaſſe enim ſicut ii qui habent intus incluſam
„ eſcam indigeſtam, aut humoris aut phlegmatis ſtomacho graviter &
„ moleſte imminentia, ſi vomuerint, relevantur; ita ii qui peccave-
„ runt, SI QUIDEM OCCULTANT ET RETINENT INTRA SE PEC-
„ CATUM, INTRINSECUS URGENTUR ET PROPEMODUM SUFFO-
„ CANTUR A PHLEGMATE ET HUMORE PECCATI; ſi autem ſui
„ accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul evomit
„ & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam; TANTUMMODO
„ CIRCUMSPICE DILIGENTIUS CUI DEBEAS PECCATUM CONFI-
„ TERI: PROBA PRIUS MEDICUM, CUI DEBEAS CAUSAM LAN-
„ GUORIS EXPONERE; qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum
„ flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam; ita ut
„ demum, ſi quid ille dixerit, ... ſi quid conſilii dederit, facias &
„ ſequaris. Si intellexerit talem eſſe languorem tuum, qui in conven-
„ tu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis &
„ cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari; multa hoc

„ deliberatione & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt.
Hactenus Origenes, ex cujus verbis diſcimus ad ſanitatem animæ conſequendam opus eſſe Confeſſione etiam occultorum peccatorum, quæ perito medico retegantur; &, ſi judicaverit, etiam ad ædificationem Eccleſiæ in publico conventu interdum exponantur. Hæc erat illius ævi diſciplina. Loquitur ibi Origenes de omnibus peccatis etiam occultis: ait autem ea confiteri prorſus oportere ad ſanitatem animæ conſequendam. Ergo.

Homilia 3. *in Leviticum* ad illud; *Si peccaverit unum ex iſtis, pronuntiet peccatum quod peccavit:* " Eſt, inquit, aliquod in hoc mirabile „ ſecretum: etenim omni genere pronuntianda ſunt & in publicum „ proferenda cuncta quæ egerimus: SI QUID IN OCCULTO EGERIMUS, SI QUID IN SERMONE SOLO, VEL ETIAM INTRA COGITATIONEM SECRETO COMMISIMUS, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri; proferri autem ab illo qui & accuſator peccati eſt & incentor. Ipſe enim nos, ut peccemus, inſtigat: ipſe etiam cum peccaverimus accuſat. SI ERGO IN VITA PRÆVENIAMUS EUM, ET IPSI NOSTRI ACCUSATORES SIMUS; nequitiam Diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus: ſic enim & „ alibi Propheta dicit: *Dic tu iniquitates tuas prior, ut juſtificetis.* "
Hoc loco docet, ſicut in judicii die omnia peccata noſtra etiam occultiſſima, & ſolo ſermone vel etiam cogitatione ſola admiſſa, in publicum a Satana proferentur; ita, ſi velimus id opprobrii vitare, ea omnia eſſe Sacerdoti aperienda. Tantum ergo Confeſſio extenditur, quantum Diaboli exprobratio: at Diaboli exprobratio ad omnia ſine dubio peccata mortalia extendetur. Ergo.

Homil. 2. *in Levit.* de variis peccatorum remediis diſputans: " Eſt „ adhuc & ſeptima, licet dura & laborioſa, per Pœnitentiam remiſſio „ peccatorum; cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt „ ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte; ET CUM NON ERUBESCIT SACERDOTI DOMINI INDICARE PECCATUM SUUM, & quærere „ medicinam, ſecundum eum qui ait: *Dixi pronuntiabo adverſum me* „ *injuſtitiam meam Domino*; *& tu remiſiſti impietatem cordis mei*: in „ quo impletur & illud quod Apoſtolus dicit: *Si quis infirmatur, vocet Presbyteros &c.* Hic, ut liquet, ſermo fit 1. de Confeſſione facienda Sacerdoti: 2. de Confeſſione peccatorum occultorum, in quibus videlicet detegendis poſſit eſſe pudor: 3. de peccatis ſigillatim Sacerdoti ut ſapienti medico detegendis: quod enim ignorat medicina non curat: 4. de Confeſſione quæ in Scripturis fundetur: utpote qui ad eam probandam Jacobi epiſtolam laudet.

At, inquit Dallæus, Origenes recenſet Confeſſionem inter varia remedia peccatorum, & eam quidem ordine ſeptimam collocat. Ergo multiplex Origenis judicio alia via erat, qua poſſent peccata expiari. Ergo Confeſſionem non putabat eſſe neceſſariam.

RES-

Respondeo 1. hinc ſaltem conſtare uſum Confeſſionis: neque vero neceſſe eſt omnia omnibus in locis exprimi. Satis ergo eſt ſi hoc loco exprimatur Confeſſionis uſus; præſertim cum *ſupra* ejus neceſſitatem aſtruat: 2. cum varia peccati remedia enumerat Origenes, cum non loqui de remediis quorum unumquodque per ſe citra alterius conſortium ac ſubſidium ſufficiat. Sic v. g. varia inter illa remedia ſeorſim collocat eleemoſynam & amorem Dei. An vero eleemoſyna peccata deleat ſine amore Dei? Semper ergo ſupereſt inquirendum an non putaverit Origenes Confeſſionem eſſe neceſſariam: quod autem ita de Confeſſione cenſuerit, non ſemel oſtendimus.

Homil. 17. *in Luc.* indicat eadem Sacerdoti eſſe confitenda peccata, quæ Deo, ut deleantur. Ad illud nempe *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*: " Unde, inquit, & nos ſi peccaverimus, debe„ mus dicere; *Peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abſcondi: dixi annuntiabo injuſtitiam meam contra me Domino:* Si „ enim hoc fecerimus & revelaverimus peccata noſtra, non ſolum „ Deo, ſed & his qui poſſunt mederi vulneribus noſtris atque pecca„ tis, delebuntur noſtra peccata ab eo qui ait: *Ecce delea ut nubem* „ *iniquitates tuas, & ſicut caliginem peccata tua*.

Huc uſque Origenes, & ita quidem explicate, ut nihil magis.

Respondet Dallæus ad varia hæc illius teſtimonia, dubium eſſe inter eruditos an illa vere ſint Origenis.

Respondeo 1. Pro Origenianis vulgo habentur: & quæ contra opponuntur diluit Sammarthanus in ſuo *de Confeſſione* libro. 2. Antiqui ſine dubio ſcriptoris illa ſunt. Quiſquis autem ille fuerit, nobis perinde eſt; non enim præciſe de Origenis, ſed de veteris Eccleſiæ ſenſu laboramus, quem nihil refert hujus an illius teſtimonio innoteſcere: quandoquidem conſtat nullam inter veteres quoad hoc caput diſcordiam extitiſſe.

Secundo De Philippo imperatore qui ineunte hoc ſæculo Tertio regnavit, narrat Euſebius *lib. 6. cap.* 34. quod cum Chriſtianus eſſet, & pro more Eccleſiæ precibus pridie Paſchatis intereſſe voluiſſet, " Eum „ ab Eccleſiæ aditu prohibuerit Epiſcopus, quod multis criminibus in„ quinatus eſſet; nec eum admiſerit antequam Confeſſionem feciſſet, „ & iis qui humanitus lapſi fuerant & in ordinem Pœnitentium ſta„ bant, ſeſe adjunxiſſet.

Tertio Circa medium hoc ſæculum eruperunt Novatiani qui, cum Montaniſtarum ad inſtar, quos in hoc fere æmulati ſunt, peccata duplicis generis diſtinguerent, quorum alia venia donari poſſent, alia vero non ita, & ea tamen omnia Pœnitentiæ ſubjicerent, idem quod ſupra Confeſſionis ad hæc ſingula neceſſariæ argumentum ſuppeditant. Adde quod ſcribit Sozomenus *lib. 7. cap.* 16. occaſione Novatianorum adverſus Eccleſiam inſurgentium; factum eſſe tunc ut cum hactenus Confeſſiones excepiſſent Epiſcopi, inſtitutus fuerit presbyter Pœniten-

tiarius, ad quem omnes in crimina etiam ſecreta prolapſi adirent ab eo, pro delictorum modo & gravitate; dignam & congruentem ſatiſfactionem obeundam accepturi. Ex quo ſequitur eandem ferme tunc fuiſſe, quæ nunc viget, ea in re Eccleſiæ diſciplinam. Verum de hoc alias ubi de Nectario.

Quarto S. Cyprianus his etiam vim addit: perſpicue enim eandem Confeſſionis occultorum etiam criminum neceſſitatem confirmat. Libro quippe *de lapſis* adverſus eos dimicans, qui nefandis ſacrificiis contaminati, ſolemnem tamen Pœnitentiam obire recuſabant: " Quanto, „ inquit, & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nul„ lo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, QUONIAM TAMEN DE „ HOC VEL COGITAVERUNT, HOC IPSUM APUD SACERDOTES „ DEI DOLENTER ET SIMPLICITER CONFITENTES, Exomologeſin „ conſcientiæ faciunt; animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam „ parvis licet & modicis vulneribus exquirunt: ſcientes ſcriptum eſſe: „ *Deus non deridetur*. Derideri & circumveniri Deus non poteſt, nec „ aſtutia aliqua fallente deludi. Plus imo delinquit qui, ſecundum ho„ minem Deum cogitans, evadere ſe pœnam criminis credit, SI NON „ PALAM CRIMEN ADMISIT..... Nec ceſſet in agenda Pœnitentia, „ atque in Domini miſericordia deprecanda; ne quod minus eſſe in „ qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur. CON„ FITEANTUR SINGULI, quæſo vos fratres dilectiſſimi, DELICTUM „ SUUM, DUM ADHUC QUI DELIQUIT IN SÆCULO EST, DUM „ ADMITTI CONFESSIO EJUS POTEST; dum ſatisfactio & remiſſio „ facta per Sacerdotes, apud Dominum grata eſt. Convertamur ad „ Dominum mente tota " &c. Illic, ut videre eſt, ſanctus ille martyr tres pœnitentiæ partes ſimul complectitur, contritionem, Confeſſionem, & ſatisfactionem: quod autem attinet ad Confeſſionem, teſtatur eam quoad occultas etiam cogitationes fuiſſe uſurpatam, & quidem apud Sacerdotes: denique ita neceſſario ut Deus alias derideretur, & quod minus in qualitate delicti videbatur, in neglecta ſatisfactione cumularetur. Quæ ſi teneantur, diſſolvuntur omnes Dallæi tricæ, quibus rem iſtam omnem, dum expedire non poteſt, involvere conatur.

Ex quarto ſæculo.

Primo Lactantius prodit qui, poſtquam Criſpi Cæſaris præceptor extitiſſet, non procul a ſæculi hujus exordio in ſumma paupertate mortuus eſt. Is igitur *lib.* 4. *inſtitutionum c.* 17. de circumciſione Judæis data diſſerens, ait ob hanc cauſam illis datam fuiſſe in carne circumciſionem, " Ut hoc argumento nos admoneret, NE INVOLUTUM PE„ CTUS HABEREMUS, ID EST NE QUOD PUDENDUM FACINUS „ INTRA CONSCIENTIÆ SECRETA VELEMUS. Hæc eſt cordis circum-

„ cumciſio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus a carne mortali „ ad animam tranſtulit; quæ ſola manſura eſt. Volens enim vitæ ac „ ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, Pœnitentiam nobis in „ illa circumciſione propoſuit, UT SI COR NUDAVERIMUS, ID EST „ SI PECCATA CONFESSI ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur „ quæ contumacibus ET ADMISSA SUA CELANTIBUS DENEGATUR „ ab eo, qui non faciem, ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris „ intuetur. " Quæ ſane commentario non egent. Loquitur enim ibi Lactantius de Confeſſione arcanorum & intimorum quæ admiſſa ſint; de Confeſſione, quæ extrinſecus prodeat, & quæ ſit ineluctabilis neceſſitatis.

Clarius tamen eſt adhuc quod habet *cap.* 30. ejuſdem libri, in quo totus eſt Lactantius ut veram Eccleſiam certis notis ab hæreſibus diſtinguat. Poſt multa autem in eam rem adducta, commemoratiſque inter alios Montaniſtis & Novatianis: tum ſtatim ait veram demum eam Eccleſiam eſſe quæ Confeſſionem, Pœnitentiam & veniam peccatorum profiteatur: " Sola igitur, inquit, catholica Eccleſia eſt, quæ verum „ cultum retinet. Hic eſt fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc „ templum Dei, quod ſi quis non intraverit, vel a quo ſi quis exi„ verit, a ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt. Neminem ſibi opor„ tet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita & ſalute, „ cui niſi caute ac diligenter conſulatur, amiſſa & extincta erit. Sed „ tamen quia ſinguli quique cœtus Hæreticorum, ſe potiſſimum eſſe „ Chriſtianos, & ſuam eſſe catholicam Eccleſiam putant, ſciendum eſt „ illam eſſe veram, in qua eſt Confeſſio & Pœnitentia, quæ peccata „ & vulnera, quibus ſubjecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat. Quæ de confeſſione divinitatis Chriſti inepte Betuleius interpretatur.

Secundo Synodus Laodicena in eandem ſententiam ſic habet *canone* 2. *de Pœnitentia*. " Eos qui diverſis delictis peccant, & in oratione Con„ feſſioneque & Pœnitentia fortiter perſeverant, & ſe a malis perfe„ cte convertunt, tempore Pœnitentiæ eis pro delicti proportione da„ to, propter Dei miſerationem & bonitatem offerri communioni ſan„ cit. " Hic conſpicimus Confeſſionem peccatorum & quidem ſigilla„ tim & hominibus faciendam: quo enim pacto alias pro peccati qua„ litate tempus Pœnitentiæ aſſignari potuiſſet?

Tertio S. Athanaſius *ſermone* in illa verba, *Profecti in pagum, qui ex adverſo eſt, invenietis pullum alligatum: ſolventes adducite mihi*, ita loquitur *num.* 7. " Quæramus verum regem Dominum noſtrum Jeſum „ Chriſtum, noſque ipſos examinemus, num ſoluta ſint vincula no„ ſtra. Quod ſi ſoluta ſunt, in melius proficiamus: ſi nondum ſolu„ ta ſunt vincula tua, trade te ipſum diſcipulis Jeſu; adſunt enim qui „ nos ſolvant accepta ea a Salvatore poteſtate: *Quodcunque ligaveritis* „ *ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolveritis ſuper* „ *terram, &c.* Hæc certe ad argumentum noſtrum aperta ſunt, ſed an

Athanaſii ſint a nonnullis ambigitur. Quidquid ſit, in omnibus vetuſtis Athanaſii operum indicibus occurrit hic ſermo, quod nobis eſt ſatis

Quarto S. Hilarius *in Matthæi caput* 18. de clavibus a Chriſto Eccleſiæ conceſſis ſic habet: "Ad terrorem autem metus maximi, quo in „ præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis apoſtolicæ judici„ um præmiſit; ut quos in terra ligaverint, id eſt peccatorum nodis „ innexos reliquerint; & quos ſolverint, Confeſſione videlicet veniæ re„ ceperint in ſalutem, hi apoſtolicæ conditione ſententiæ in cœlis quo„ que aut ſoluti ſint aut ligati." Ibi cenſet ſanctus Doctor, 1. Omnes qui peccaverint hac Chriſti ſententia in præſens contineri: 2. Apoſtolicum judicium divino præire oportere: 3. Confeſſione & venia peccatores recipi in ſalutem, alias in peccatorum nodis permanſuros.

Nec audiendus eſt Dallæus, qui legendum eſſe contendit non *Confeſſione veniæ receperint in ſalutem*, ſed *conceſſione veniæ receperint in ſalutem*: quod altero multo clarius: 1. Quia omnes ad unum manuſcripti codices obſtant: 2. lectio quo minus clara eſt, eo minus eſt ſuſpecta mutationis, ut acute obſervant qui Hilarii opera nuper ediderunt: 3. quia, ut Dallæus aboleret hoc in loco *Confeſſionis* nomen, res tamen ipſa maneret ſemper inconcuſſa: quid enim refert, modo agnoſcatur in Eccleſia poteſtas retinendorum ac ſolvendorum peccatorum, autoritaſque cui omnes obnoxii ſint qui peccaverunt? ex hoc enim fonte neceſſario fluit exinde neceſſitas Confeſſionis.

Quinto Baſilius plura nobis ejuſdem Confeſſionis monumenta reliquit. Tres enim *epiſtolas ad Amphilochium canonicas* ſcripſit, quæ id unum ſpectant, ut certæ & propriæ ſingulis peccatis pœnæ luendæ attribuantur. Id autem peragi non poterat ſine Confeſſione ſeu Exomologeſi, quæ adeo præcipuas habebat eo in negotio partes, ut Pœnitentiæ toti nomen ſuum impoſuerit.

Deinde *in regulis brevioribus*, *interrogatione* 110. quærit, "Nunquid „ conveniat, DUM SOROR PRESBYTERO CONFITETUR, etiam Antiſtitam ipſam adeſſe?" *Interrogatione* autem 288. ſciſcitatur, "An qui „ peccata ſua confiteri vult, omnibus paſſim & quibuſvis ea confiteri „ debeat, an certis quibuſdam?" Tum ſic ſtatuit: "Propoſitum beni„ gnitatis Dei, inquit, in his qui peccant perſpicuum eſt, ex eo quod „ ſcriptum eſt: *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vi„ vat*.... Quoniam igitur etiam converſionis modus accommodatus eſſe „ debet ei qui peccat, & præterea opus eſt fructibus dignis Pœniten„ tiæ, NECESSARIO IIS PECCATA APERIRE DEBENT, QUIBUS „ CREDITA EST DISPENSATIO MYSTERIORUM DEI." Illic Baſilius non Confeſſionis uſum duntaxat oſtendit, ſed etiam neceſſitatem. Loquitur enim procul dubio de Confeſſione Sacerdotibus facienda: pronuntiat autem diſerte eam neceſſariam eſſe: neceſſariam vero eſſe definit iis omnibus, qui peccatis mortem ſibi conſciverint, ſi ad vitam redire proponant.

Sexto

Sexto Gregorius Nyſſenus ejus frater *Orat.* 10. *contra Eunomium*, qui Baptiſmatis & ſacro-ſanctæ Euchariſtiæ ritus non ſatis magno in pretio habere videbatur, peccatorum Confeſſionem iis Eccleſiæ Sacramentis ac ritibus accenſet. " Si enim, inquit, venerandorum & honorabilium „ nominum SS. Trinitatis confeſſio eſt inutilis, inutiles etiam ſunt Ec„ cleſiæ ritus: in his autem ritibus eſt Sigillum, deprecatio, Baptiſma, „ peccatorum Confeſſio " Ergo jam idem invaluerat, qui nunc eſt, ea in re Eccleſiæ uſus.

In epiſtola autem canonica ad Letoium non tantum latrones, ſed etiam occultos fures Sacerdotum judicio ſubjicit, nec aliter curari eos poſſe ſignificat; " Qui enim clam aliquid uſurpat, inquit *canone 6.* ſi per „ Confeſſionem peccatum Sacerdoti aperuerit, vitii ſtudio in contra„ rium mutato, ægritudinem curabit.

Denique *in ſermone adverſus eos, qui alios acerbius judicant*, peccatoribus omnibus auctor eſt ut adeant Sacerdotes, ipſiſque omnia pectoris arcana revelent: " Afflictionis, inquit, participem & ſocium ſume Sacerdotem ut patrem .... Quamobrem tibi in eo major fiducia ſit, qui „ te in Deo genuit, quam in illis a quibus corpore procreatus es. „ AUDACTER OSTENDE ILLI QUÆ SUNT RECONDITA: ANI„ MI ARCANA TANQUAM OCCULTA VULNERA MEDICO DETE„ GE. " Ne quis autem putet hoc eſſe conſilium duntaxat, non præ„ ceptum; ſic ſubdit: " Incertus eſt, inquit, terminus vitæ; diſ„ ceſſum a vita diligentia prævertamus: abſurdum enim eſt, cum illi „ qui corporis valetudinis rationem habent, ſeipſos expurgent ante „ Caniculæ exortum, ne quod humidum in illis eſt, vehementi ipſius „ ardore corrumpatur; .... eos, qui animi curam gerunt, incertum „ mortis diem non antevertere, & ardorem excruciantis illius ignis, „ qui æternum comburit, & nullum unquam refrigerium admittit. " Quibus verbis ſatis declarat quam ineluctabilis neceſſitatis ad ſalutem conſequendam ſit hujuſmodi Confeſſio.

Neque eſt quod dicat Dallæus, Gregorium Nyſſenum *in ſupradicta ad Letoium epiſtola* teſtari, quod avaritiæ crimina a Patribus eſſent prætermiſſa, & idcirco ſatis eſſe decernere, ſi publico doctrinæ ſermone, qualiter curari debeant, aperiatur.

Ibi enim verba facit Gregorius Nyſſenus de pœna iis criminibus aſſignanda: hanc autem prætermiſſam eſſe a Patribus notat: quod cum ita eſſet, neque ipſe certam iis pœnam præſcribit; ſed ait id eſſe Præſulibus relinquendum, qui id publico doctrinæ ſermone ſuis in Eccleſiis definiant. Nempe totus erat illic Nyſſenus ut ſuas quibuſque peccatis pœnas, ab eo qui deliquiſſet palam obeundas, aſcriberet. Cæterum publicus ille doctrinæ ſermo, cui relinquit figendam avaritiæ piacularem pœnam, non magis excludit judicii ſacerdotalis exinde neceſſitatem, quam ſcripta lex pro cæteris ſceleribus. Atqui ſcripta lex quæ generatim unumquodque flagitium certæ addicebat pœnæ, privatim iis,

qui ejuſmodi flagitiis ſeſe obſtrinxiſſent, a Sacerdote nihilominus erat applicanda, etiam fatente Dallæo, ut nempe peccator ex Eccleſiæ præſcripto Pœnitentiam ageret. Ergo.

Septimo Ambroſius *in Pſal.* 38. ad illa verba *Remitte mihi ut refrigerer priuſquam eam ; & amplius non ero*. " Hoc eſt, ait, hic mihi „ remitte ubi peccavi : niſi hic remiſeris mihi, ibi remiſſionis re„ quiem invenire non potero : quod enim in terra ligatum manſerit, „ ligatum manebit in cœlo ; quod ſolutum in terra fuerit, ſolutum „ erit in cœlo . . . . . . Propheta enim & prædicator Eccleſiæ congre„ gandæ, evangelico ſpiritu indulgentias Domini prævidebat, & præ„ cipienda Apoſtolis ei Dominus revelabat . . . . Ideo Dominus quod „ ante erat judicii ſui, dedit Apoſtolis peccata remittendi æquitate „ ſolvenda . . . . Audi dicentem : *Tibi dabo claves, &c.* Hoc Nova„ tianus non audivit, ſed Eccleſia Dei audivit .... Cui ergo non re„ mittitur, in exilio eſt . . . . . niſi remiſſum peccatum hic fuerit, „ non habebimus requiem : . . . . . . ſi requies non fuerit non erit „ vita æterna . . " Hic Sanctus Ambroſius manifeſte docet eum qui peccato a ſalute excidit, eam non poſſe conſequi niſi peccatum ei ante mortem condonatum fuerit a Deo : 2. neminem a Deo jam veniam obtinere, niſi ab Eccleſia ſolutus fuerit, cui quod ante erat judicii ſui dedit.

Lib. 1. *de Pœnitentia cap.* 16. adverſus Novatianos, qui omnium peccatorum remittendorum poteſtatem Eccleſiæ conceſſam eſſe inficiabantur, eorum crudelitatem notat, quod etiam occultis peccatoribus ſalutem adimerent ; peccata enim etiam occulta Pœnitentiæ obnoxia extitiſſe : Pœnitentiam autem inutilem eſſe, ſine eccleſiaſtica reconciliatione. "Si quis OCCULTA CRIMINA habens, inquit, propter Chriſtum „ tamen ſtudioſe Pœnitentiam egerit, quomodo iſtam recipit, ſi ei „ communio non refunditur? " Quod certe arguit abſolutionis ſacerdo„ talis etiam ad ſecreta peccata neceſſitatem.

Lib. 2. *cap.* 1. vult ut non tantum ſollicite, ſed etiam mature Pœnitentiam agamus ; ne videlicet inſtar illius arboris infructuoſæ, cui ignem in Evangelio minitatur, excidamur a Deo : primas autem in illa Pœnitentia partes tribuit Confeſſioni : " Ergo, inquit, non erubeſ„ camus fateri Domino peccata noſtra. Pudor eſt enim ut unuſquiſque „ crimina ſua prodat ; ſed ille pudor agrum ſuum arat, ſpinas tollit „ perpetuas, fructus adolet " &c. quod de Confeſſione homini facienda accipiendum eſſe vel ſolum nomen *pudoris* admonet. Non eſt enim pudor Deo peccata confiteri. Quamquam igitur ibi ſolius Dei mentio fit, ea loquendi ratione Sacerdotem quoque complectitur, qui Dei locum tenet ; ut plures alii de quibus brevi.

Verum quid Ambroſii verba conquirimus, cum ejus facta iſtum eundem Confeſſionis uſum & neceſſitatem indicent. Sic enim narrat Paulinus ejus diaconus *in illius vita ad ſanctum Auguſtinum*, *num* 39. commendans

dans ſummam ejus in Pœnitentes benignitatem : “ Erat, inquit, gau-
„ dens cum gaudentibus, flens cum flentibus. Siquidem quotieſcunque
„ illi aliquis ad percipiendam Pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet,
„ ita flebat, ut & illum flere compelleret ; videbatur enim ſibi cum jacen-
„ te jacere : CAUSAS AUTEM CRIMINUM, QUAS ILLI CONFITEBAN-
„ TUR, NULLI NISI DOMINO SOLI, APUD QUEM INTERCEDEBAT,
„ LOQUEBATUR. “ Hæc profecto Confeſſionem ſecretam ſonant. Quod
autem eam neceſſariam eſſe ſentiret, ſic oſtendit deinceps Paulinus de
peccatore ejuſmodi dicere pergens : “ Ipſe ſui accuſator eſt, inquit,
„ nec expectat accuſatorem, ſed prævenit, ut confitendo ſuum allevet
„ ipſe delictum, ne habeat quod adverſarius criminetur, . . . dans ho-
„ norem Deo cui nuda ſunt omnia, & qui vult vitam magis peccato-
„ ris quam mortem. Nam & ipſi Pœnitenti non ſufficit ſola Confeſ-
„ ſio, niſi ſubſequatur emendatio facti.

Octavo Pacianus Barcinonenſis *in parænesi ad Pœnit.* hortatur primo, ut peccata etiam occulta confiteantur Fideles : “ Rogo ergo vos fra-
„ tres, inquit, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem
„ occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam. Pruden-
„ tes ægri medicos non verentur, ne IN OCCULTIS quidem corporum
„ partibus ſecaturos, etiam peruſturos. Et . . . peccator ERUBESCET
„ perpetuam vitam præteriti pudore mercari? . . . AN SIC ILLI ME-
„ LIUS EST PERIRE? “ Quo loco, ut liquet, non tantum de Con-
feſſione peccatorum occultorum loquitur; ſed etiam ſine ea periturum
eſſe peccatorem decernit.

Deinde vero ad eos qui peccata quidem ſua confitebantur, ſed ea dignis Pœnitentiæ fructibus piare non ſatagebant, convertens orationem : “ Nunc, inquit, ad eos ſermo ſit, qui bene ac ſapienter vulne-
„ ra ſua Pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid ſit Pœnitentia, nec
„ quæ vulnerum medicina, noverunt; ſimileſque ſunt illis qui plagas qui-
„ dem aperiunt ac tumores, mediciſque etiam aſſidentibus confitentur;
„ ſed admoniti quæ imponenda ſunt negligunt, & quæ bibenda faſti-
„ diunt. “ Ex quibus verbis, non minus evidenter quam ex præcedentibus, colligimus, Confeſſionem accuratam peccatorum non tantum ſemper uſurpatam, ſed & pro neceſſaria habitam a majoribus noſtris.

OBJICIT ex 4. ſæculo, poſt Calvinum ac pleroſque alios, Dallæus quoddam Nectarii Conſtantinopolitani præſulis factum, qui presbyterum Pœnitentiæ præfectum, de quo ſupra, ſuſtuliſſe legitur.

Hiſtoriam ſic refert Socrates *hiſt. lib. 5. cap. 19. juxta Valeſii verſionem* : “ Sub idem tempus, inquit, Presbyteros Eccleſiarum qui Pœni-
„ tentiæ præerant placuit aboleri, idque ob ejuſmodi cauſam. Poſtquam
„ Novatiani ſe ab Eccleſia ſejunxiſſent, eo quod cum illis qui perſe-
„ cutione Deciana lapſi fuerant, communicare noluiſſent; ex illo tem-
„ pore Epiſcopi Pœnitentiarium presbyterum albo eccleſiaſtico adjece-
„ runt, ut qui poſt Baptiſmum lapſi eſſent, coram presbytero ad eam

rem

„ rem conſtituto delicta ſua confiterentur : & apud alias quidem ſectas „ hæc regula etiamnum perſeverat. Soli vero Homouſiani, & qui cum „ illis in fide conſentiunt Novatiani, presbyterum Pœnitentiæ præpoſi„ tum rejecerunt. Nam Novatiani ne initio quidem ſupplementum hoc „ admiſerunt : Homouſiani vero, qui nunc Eccleſias obtinent, cum hoc „ inſtitutum diu retinuiſſent, tandem Nectarii epiſcopi temporibus ab„ rogarunt, ob facinus quoddam quod in Eccleſia commiſſum fuerat. „ Mulier quædam nobilis ad Pœnitentiarium presbyterum accedens, de„ licta poſt Baptiſmum a ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat : Preſ„ byter vero præcepit mulieri ut jejuniis & orationibus continuis va„ caret ; quo ſcilicet una cum delictorum Confeſſione opus etiam Pœ„ nitentiæ conveniens oſtenderet : progreſſu temporis mulier (grece „ ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα, quod Chriſtophorſonus vertit : Mulier lon„ gius in confitendo progreſſa) aliud facinus confeſſa eſt, Eccleſiæ vi„ delicet Diaconum cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Id cum „ dixiſſet, Diaconus quidem Eccleſia ejectus eſt ; populus vero gravi„ ter commoveri cœpit. Neque enim ſolum ob ſcelus quod patratum „ fuerat, indignabatur ; verum etiam eo quod labes haud mediocris at„ que infamia hoc facto aſperſa videbatur Eccleſiæ. Cum igitur eam „ ob cauſam Eccleſiaſtici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon qui„ dam Eccleſiæ presbyter, Alexandria oriundus, epiſcopo Nectario ſua„ ſit, ut Pœnitentiarium quidem presbyterum expungeret ; unumquem„ que vero pro arbitrio & pro animi ſui conſcientia ad Sacramento„ rum communionem ſineret accedere ; neque enim aliter fieri poſſe ut „ Eccleſia ab omni probro libera eſſet. Hæc ego cum ab ipſo Eudæmone „ acceperim, hiſtoriæ huic inſerere non dubitavi .... & initio qui„ dem Eudæmoni iſta dixi : Conſilium tuum, o Presbyter, utrum Ec„ cleſiæ profuerit, an non, Deus viderit. Cæterum anſam ex eo ſin„ gulis datam eſſe video, ut delicta ſua invicem amplius non coarguant, „ nec obſervent præceptum illud Apoſtoli quod ita ſe habet : *Nolite* „ *communicare operibus infructuoſis tenebrarum, ſed potius redarguite*. Ve„ rum de his ſatis.

Sozomenus eadem quoque narrat *lib. 7. cap. 16.* " Per idem tempus, „ inquit, Nectarius Conſtantinopolitanus epiſcopus Presbyterum illum, „ qui præpoſitus erat pœnitentibus, primus ex Eccleſia ſuſtulit : cujus „ exemplum omnes fere Epiſcopi poſtea ſunt ſecuti. Quid autem hoc „ ſit, & unde originem ſumpſerit, & quam ob cauſam ſublatum ſit, „ alii quidem aliter fortaſſe narrant ; ego vero ea dicam quæ ſentio. „ Cum in nullo penitus peccare divinioris cujuſdam naturæ ſit & hu„ mana præſtantioris, pœnitentibus vero, etiamſi ſæpius deliquerint, ve„ niam dare Deus præceperit, cumque in petenda venia peccatum ne„ ceſſario confiteri oporteat ; grave & moleſtum ab initio jure & me„ rito viſum eſt, Sacerdotibus tanquam in theatro, circumſtante totius „ Eccleſiæ multitudine, crimina ſua evulgare. Itaque ex Presbyteris a-

„ liquem

„ liquem qui vitæ integritate ſpectatiſſimus eſſet, & TACITURNITA-
„ TE & prudentia polleret, huic officio præfecerunt : ad quem acce-
„ dentes ii, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur. Ille vero pro
„ cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos aut luere oporteret pęnæ lo-
„ co indicens, abſolvebat confitentes a ſeipſis pęnas criminum exactu-
„ ros. Verum Novatianis quidem, qui nullam rationem habent Pęni-
„ tentiæ, nihil hac re opus fuit. Apud reliquas autem ſectas hic mos
„ etiamnum perſeverat, & in occidentalibus Eccleſiis, ac præcipue in
„ Eccleſia Romana, ſtudioſe obſervatur. Illic enim in propatulo eſt
„ pęnitentium locus, in quo ſtant mœſti ac veluti lugentes : .... in
„ Conſtantinopolitana autem Eccleſia certus Presbyter conſtitutus erat,
„ qui pęnitentibus præeſſet, donec matrona quædam nobilis, ob pec-
„ cata quæ confeſſa fuerat, juſſa ab hoc Presbytero jejunare ac Deum
„ ſuppliciter orare, dum hujus rei cauſa in Eccleſia moraretur, a Dia-
„ cono ſe ſtupratam eſſe prodidit : quo cognito plebs omnis vehemen-
„ ter ſuccenſuit ..... Nectarius vero eum, qui ſtuprum admiſerat,
„ diaconatu exuit. Cumque nonnulli conſilium ei dediſſent, ut unicui-
„ que, prout conſcius eſſet ac fiduciam ſui haberet, ad ſacrorum myſte-
„ riorum communionem accedendi liberam faceret poteſtatem; Presbyte-
„ rum, qui agendæ Pœnitentiæ propoſitus erat, abolevit. Atque ex eo
„ tempore id firmum ac ſtabile permanſit, vetuſtate, eique adjuncta
„ gravitate ac ſeveritate, jam tum, ut opinor, in laxam ac diſſolutam
„ vivendi rationem paulatim delapſa. Nam antea, ut equidem exiſtimo,
„ minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum qui ſua ipſi delicta
„ enuntiabant, tum ob ſeveritatem judicum, qui ad id erant conſti-
„ tuti.

HÆC illa famoſa eſt Nectarii hiſtoria, in qua mirum in modum nuperi ſe jactant Hæretici, & quam non confidenter modo, ſed etiam contumelioſe in nos torquent : verum id tam cæco impetu, ut quid velint ne ipſi quidem ſatis intelligant.

Calvinus *lib. 3. inſtitut. cap.* 11. *num.* 7. cum non poſſet negare eam quæ apud nos uſitatur Confeſſionem ante hæc tempora invaluiſſe, id ultro concedit; ſed ex hoc Nectarii facto colligit eam non fuiſſe juris divini, quippe quæ ab eo Præſule pleriſque aliis aſſentientibus abrogata ſit. Tum procaciter Catholicis inſultans : “ Hic hic, inquit, aures
„ aſini iſti arrigant. Si enim lex Dei erat auricularis Confeſſio, qui
„ auſus eſt Nectarius eam refigere & convellere? “ Antiquatam igitur ab eo Confeſſionem auricularem exiſtimat; in quo Calvinum Muſculus, Molineus & alii ſequuntur.

AT ſuus Dallæo Calvinus hic non placuit. Cum enim ille cerneret non poſſe agnoſci Confeſſionis hujus antiquitatem, quin ſimul admittatur ejus neceſſitas; cum utraque iiſdem fere Patrum vetuſtiorum teſtimoniis fulciatur; vetat *lib.* 4. *cap.* 24. ne ea ſecreta Confeſſio putetur a Nectario abolita, quam demum octingentis annis poſt Nectarium

ſub

ſub Innocentio III. natam fingit. " Nihil porro, inquit, refigitur,
„ niſi quod ante fixum ſit; nec abdicatur quod non fuerit prius inſti-
„ tutum. " At nec idem Dallæus patitur dici tum abrogatam eſſe Con-
feſſionem publicam : " Eam enim in more fuiſſe, inquit, & abſur-
„ dum eſt & falſum, nec ulla veterum auctoritate nititur. " Imo nec
cenſet ſupreſſam eſſe Pœnitentiam publicam : " Vix enim crediderim,
„ inquit, in tanta tamque celebri Eccleſia, tam lethalem plagam ec-
„ cleſiaſticæ diſciplinæ inflictam fuiſſe, ut ad Pœnitentiam publicam tot
„ canonibus ſancitam, inque univerſali uſu poſitam, & apoſtolica au-
„ ctoritate non obſcure ſubnixam, nulli omnino peccatores Conſtan-
„ tinopoli vel admitterentur vel etiam cogerentur. " Quapropter hanc
diſciplinam poſt Nectarium ubique, & Conſtantinopoli, obtinuiſſe ex
profeſſo probat *ejuſdem libri cap.* 32. Quid ergo extinxit Nectarius ?
Hæret hic Dallæus; & poſt multa hanc in rem diſputata, cum non re-
periret in quo acquieſceret, eo ſe circumſcribit ut affirmet ſolum Pœ-
nitentiarium ejuſque munus a Nectario ſublatum, in quo nos aſſentien-
tes habet, nec a Baronii, Bellarminique placitis diſcedit; quod etiam
ipſe obſervat. Dum autem ſic ad Catholicos ſeſe adjungit, ſententiæ
ſuæ cauſam prodit. Confeſſio enim noſtra deinceps in tuto eſt, ſaltem
ab ea parte. Jam enim nihil ſupereſt quod non magis in Pœnitentiam
publicam ab eo admiſſam, quam in Confeſſionem ab eo negatam mi-
litet.

Sed hos ſane mittamus; quandoquidem ſecum invicem magis quam no-
biſcum pugnant : & quid de Nectario noſtri opinati ſint breviter videa-
mus.

Primo itaque Latinus Latinius vir doctiſſimus de hoc argumento diſ-
putationem Romæ edidit, in qua totam hanc narrationem tanquam fal-
ſam, & a Socrate ac Sozomeno ut Novatianis faverent confictam, ex-
plodit.

Verum hoc a Bellarmino & Vaſqueſio jure contemnitur. Si enim
hæc diſputandi ratio locum habeat, jam omnis hiſtoriæ fides concidit.
Quid enim? Si ſine ulla efficaci ratione aut veterum ullo teſtimonio,
rejicere licet quod duo iſti inſignes ſane ſcriptores publicis monimen-
tis conſignarunt, cum adhuc viverent ii qui rei geſtæ interfuerant,
quod non clam & in angulo, ſed in media urbe Conſtantinopolitana,
conſcio omni populo, cæteris approbantibus Epiſcopis contigiſſe per-
hibent, quod denique ab Epiphanio & Caſſiodoro & Nicephoro in
ſuas hiſtorias relatum eſt ſine ulla illorum auctorum reprehenſione; ſi,
inquam, talem hiſtoriam ſpernere licet; ecquis erit audaciæ modus?

Secundo igitur Thomas Valdenſis *tom.* 2. *cap.* 141. & Canus *in rele-
ctione de Pœnitentia*, *parte* 5. *fol.* 89. *ad* 6. arbitrantur Confeſſionem ſa-
cramentalem reipſa Nectario fuiſſe antiquatam, eumque graviter in hoc
peccaſſe; quanquam illum aliquatenus excuſat Canus.

At id fundamento quoque caret. Quis enim credat hoc ſibi ſumptu-
rum

rum fuiſſe illum Præſulem, ut illud convelleret, quod a Chriſto inſtitutum eſſet? Quis ſibi perſuadeat hoc, ſi factum fuiſſet, a reliquis Epiſcopis fuiſſe approbandum?. Quocirca...

Tertio Petavius *in ſuis ad Epiphanium animadv. hæreſi* 59. & ante eum Bellarminus *lib.* 3. *de Pœnitentia cap.* 14. ſciſcunt ſuppreſſam eſſe a Nectario Pœnitentiam publicam. Nempe, inquiunt, id ſuadet hiſtoriæ ſeries. Deinde id a Nectario abrogatum eſt Conſtantinopoli, quod Romæ perſeveraſſe memoratur. Atqui cum de Pœnitentia Romæ uſurpari ſolita loquuntur, publicam deſignant, ut videre eſt. Ergo.

Sed neque id conſiſtere poteſt. Ut enim ſileam quæ ex Dallæo *ſupra* attulimus; ſi Pœnitentia publica tunc extincta eſt, cum Nectarium æmulati ſint multi paſſim in his partibus Epiſcopi, non Conſtantinopoli ſolum, ſed etiam vulgo in Oriente; Pœnitentiæ publicæ uſus intercidiſſet. Id autem falſum eſt: idque revincat vel unus Chryſoſtomus primo Antiochenus presbyter, dein Nectarii in ſede Conſtantinopolitana ſucceſſor, qui Pœnitentiæ publicæ meminit *hom.* 3. *de Saule, & Davide, tom.* 2. *hom.* 17. *in Matth. & homil.* 3. *in epiſt. ad Epheſios:* quod quidem ex profeſſo oſtendit nuperus auctor Gallicus vitæ S. Chryſoſtomi *lib.*11. *cap.* 17. " Non es dignus ſacrificio neque „ participatione, inquit Chryſoſtomus *hom.*3. *in epiſt.ad Epheſios?* ergo nec „ prece. Audis præconem ſtantem & dicentem? Quicunque eſtis in Pœni„ tentia abite.

Quarto Baronius *ad annum Chriſti* 56. *num.* 33. Bellarminus idem *ſupra*, Perronius *in reſponſione ad Regem majoris Britanniæ, pag.* 558. idem auctor vitæ S. Chryſoſtomi & alii recentiores, hoc Nectarii factum intelligendum rentur de Confeſſione publica, quæ, cum in Oriente diu viguiſſet, hoc Nectarii decreto abolita ſit. Quod enim Confeſſio publica olim in uſu fuerit, multis oſtendunt. Quod autem ea mulieris Confeſſio publica fuerit, id colligunt, 1. ex verbis eorum Scriptorum, quæ id ſonant: 2. ex eventu: alias enim, inquiunt, quomodo reſciſſet populus hujus matronæ flagitium? quomodo tantum murmur in Eccleſia fuiſſet ad hanc Confeſſionem excitatum? 3. tandem ex iis quæ obſervant iidem Hiſtorici; ſic nempe obſoleviſſe morem arguendorum fratrum, & inductam communicandi cum operibus tenebrarum, utpote quæ deinceps laterent, conſuetudinem. Atque hoc non inficiamur.

Sed ut quid ea de re ſentiamus ſentiendumque ſit clarius pateat, ſtatuimus id fuiſſe a Nectario abrogatum, ætate Novatianorum inſtitutum fuit; hoc eſt presbyterum Pœnitentiarum, totumque ejus munus, nec quidquam amplius: uno verbo Eccleſiæ diſciplinam in agenda Pœnitentia ad eum ordinem eſſe revocatam, quo ante Decii tempora adminiſtrabatur.

Porro qui occaſione Novatianæ hæreſeos inſtitutus fuit presbyter Pœnitentiarius, is proprie non pertinebat ad eos qui immunes erant a criminibus

Pœ-

Pœnitentiæ publicæ ſubjeſtis: Pœnitentiæ enim publicæ duntaxat præpoſitus fuit.

Ex quo autem inſtitutus fuit, unus erat ad quem accedere deberent quicunque Pœnitentiæ publicæ rei erant: cum ante Pœnitentiæ diſciplina penes Epiſcopos eſſet, & plures etiam Presbyteros, e quibus unum aliquem pro arbitrio quondam ſeligere poterant quod præſertim ex Origene *in Pſ.* 37. *ſupra*, *pag.*447. deducitur.

Denique idem ille Presbyter, cujus tribunali & judicio obnoxii facti ſunt quotquot Pœnitentiæ publicæ legibus tenebantur, huic diligenter invigilabat, utpote in eam rem unam intentus: non enim tantum peccata quæ ultro ſibi deferebantur a Pœnitentibus excipiebat; ſed audiebat delationes, & in mores ſingulorum inquirebat ſedulo; admonebat & urgebat reos; adverſus obſtinatos admovebat teſtes; impoſitum Pœnitentiæ penſum ſollicite exigebat: imo poſt accepta ſecreto illorum flagitia, ex iis quædam aliquando, prout e re Eccleſiæ videbatur, ſecernebat, quæ palam ac publice in ſolemni Eccleſiæ conventu ab ipſo Pœnitente, pro antiqua conſuetudine, evulgari imperaret.

Hos autem omnes Eccleſiaſticæ diſciplinæ nervos Nectarius incidit.

Quid ergo factum eſt poſt illud Nectarii decretum?

Primo qui in leviora nec Pœnitentiæ publicæ obnoxia peccata lapſi tantum fuerant, ii priſtina ſemper libertate gaviſi ſunt, quemlibet vellent e presbyteris adeundi: ut enim ad eos non ſpectarat presbyteri Pœnitentiarii inſtitutio, ita nec ad eos ſpectavit illius abrogatio.

Secundo ii ipſi qui crimina capitalia admiſerant, aut Epiſcopis ſervati ſunt, qui aliis negotiis diſtenti huic pro merito vacare non poterant; aut ipſi aſſumebant in Pœnitentiæ moderatorem aliquem ex Presbyteris, quos haud dubium eſt priſcis canonibns laxamenta deddiſſe.

Quis autem ambigat hacce mutatione veterem Eccleſiæ diſciplinam labefactatam eſſe? Deinceps enim Pœnitentiæ ſubjecti non ſunt fere, niſi qui ſponte eam expeterent, aut inſigne aliquid admiſiſſent. Abolito tribunali nullus amplius ſuperfuit accuſationibus fratrum inordinate ambulantium locus, publicæ Confeſſionis conſuetudo collapſa eſt; nemo denique fuit, qui Pœnitentiam ſollicite ut antea procuraret, objurgaret deſides, & an ea ad juſtum modum defuncti illi eſſent, expenderet: quod quidem quanto Eccleſiæ detrimento fuerit, ambo ſupradicti ſcriptores notant, & omnes vident.

Nihilominus Confeſſio omnium peccatorum, etiam vulgarium, inviolata permanſit: quod multa evincunt.

Primo enim cuncti qui præceſſerant Patres, eam ad ſalutem eſſe neceſſariam ſtatuerant: id autem convellere nec voluit, nec potuit Nectarius.

Se-

Secundo hac ipſa in hiſtoria non levia ſunt ejuſdem veſtigia: 1. enim id potiſſimum a Presbytero Pœnitentiario poſtulabatur ut PRUDENTIA & TACITURNITATE polleret: ergo ei etiam arcana aperiebantur: 2. Mulier illa perhibetur SUA EI DELICTA POST BAPTISMUM PERPETRATA SIGILLATIM DETEXISSE: 3. Sozomenus id NECESSARIO factum eſſe animadvertit, quia videlicet ſine Confeſſione venia peccatorum obtineri non poteſt.

Tertio Chryſoſtomus Nectarii ſucceſſor idem Eccleſiæ dogma non uno in loco firmat: quod brevi demonſtrabimus.

Quarto Joannes Jejunator, qui poſt Nectarium ac Chryſoſtomum in eadem quoque Sede magna opinione ſanctitatis floruit, Confeſſionis neceſſitatem maxime commendat.

Quinto eadem de re canon eſt in ſynodo Trullana peculiaris, *infra* memorandus.

INSTAT Dallæus. Fecit Nectarius liberam cuique poteſtatem, ut ad arbitrium & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem accederet: ergo nulla lex tum erat Confeſſionis ante communionem Sacramentorum faciendæ.

DISTINGUO antecedens: fecit unicuique hanc poteſtatem, comparate ad tempora præcedentia; concedo: abſolute; nego. Dicitur itaque feciſſe ſingulis liberam poteſtatem, ut pro animi ſui conſcientia ſacroſanctam Euchariſtiam ſumerent; 1. Quia olim magna & anxia in fidelium mores inquiſitio fiebat, quod refert Origenes *lib. 3. contra Celſum*: „ Apud Chriſtianos, inquit, quidam ſunt conſtituti ad inquirendum in „ vitam & mores eorum qui ad ſacra ipſorum accedunt, ut eos, qui „ turpia perpetrarunt facinora a publicis ipſorum conventibus arceant. Cum hæc ergo cura presbytero Pœnitentiario demandata eſſet, totus in eo erat, ut latitantes deprehenderet, reſtitantes premeret, cunctos obſervaret. Sic fiebat ut e facinoroſis nemo fere effugeret. Aut enim Pœnitentiam efflagitabant; aut ad eam cogebantur. Id autem ſuſtulit Nectarius: ex quo libertas nata eſt pro arbitrio fere & animi ſui conſcientia ad tremenda myſteria accedendi. 2. Pœnitentiarius Presbyter olim non certum duntaxat Pœnitentiæ tempus aſſignabat, ſed etiam an eam legitime, & prout par erat, obirent, explorabat; alioqui illos prohibebat a ſacris: poſt Nectarii autem decretum, quiſque pro animi ſui conſcientia ea fungebatur; & poſtmodum ſine ullo examine ad communionem admittebatur.

Atque hæc duo ſunt inprimis capita de quibus Socrates ac Sozomenus conqueruntur.

Cave autem ſic eorum verba ad vivum reſeces, ut omnino libertas conceſſa eſſe exiſtimetur. Hac enim interpretandi ratione omnem Pœnitentiæ publicæ neceſſitatem everteres: & quidem multo facilius & plauſibilius, quam ſecretæ Confeſſionis. Nam de Pœnitentia publica agunt illi ſcriptores: notant ei præfectum eſſe Presbyterum publicum;

eum

eum vero a Nectario abrogatum eſſe narrant, & unicuique factam poteſtatem ut arbitrio ſuo ad ſacra myſteria adiret. Quis inde non inferret abolitam eſſe Pœnitentiam publicam? Atqui ea tamen abolita non fuit, idque fatetur Dallæus. Ergo multo minus antiquata fuerit Confeſſio. Si enim poſt ſublatum presbyterum Pęnitentiarium illibata perſeveravit ut antea Pœnitentiæ publicæ neceſſitas, longe potiori jure Confeſſio: Socratis enim ac Sozomeni oratio magis impetit Pęnitentiam, quam Confeſſionem.

At, inquies, ajunt hiſtorici nullam poſtmodum viguiſſe adverſus ſcelera objurgationem.

Distinguo: objurgationem publicam; concedo: privatam; nego. Id patet ex hiſtoriæ contextu: loquuntur enim de more delationum ac Confeſsionis publicæ quondam uſurpato, quem putant ſummæ fuiſſe ad coercenda flagitia utilitatis.

Ex quinto ſæculo.

Primo Chryſoſtomus nihil omiſit quod ad Eccleſiæ doctrinam muniendam conduceret: ſive eam qua pollent Sacerdotes in peccatis remittendis auctoritatem: ſive eam qua ſinguli aſtringuntur in iis Sacerdotum judicio ſubjicendis neceſſitatem; ſive horum in delictis enumerandis, aut illorum in explorandis diligentiam; ſive etiam tempus ad Confeſsionem maxime opportunum ſpectes.

Lib. 3. de ſacerdotio cap. 5. tom. 4. pag. 32. 33. de hoc argumento, deque verbis Chriſti poteſtatem remittendorum peccatorum Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus conferentis, diſputans ex profeſſo: " Etenim, „ inquit, qui terram incolunt, ... iis commiſſum eſt ut ea quæ in „ cœlis ſunt, diſpenſent; his datum eſt ut poteſtatem habeant, quam „ Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. „ Neque enim ad illos dictum eſt, *Quæcunque alligaveritis &c.* .... „ Habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem, verum cor„ porum ſolum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum ipſam etiam „ animam contingit ..... Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi „ omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis a Deo conceſſam *Pater om„ ne judicium Filio dedit.* Cæterum video ipſum judicium a Deo Filio „ illis traditum. " Addit hac poteſtate præditos eſſe Sacerdotes non tantum cum baptizant, ſed etiam poſtea, " cum peccata nobis condo„ nant. " Comparat eos cum Levitis, qui corporis lepram purgabant tantum, aut potius purgatam tantum probant; cum Sacerdotes novæ legis ipſas animæ ſordes auctoritate ſua abſtergant. Ne quis autem putet hanc quidem ineſſe Sacerdotibus facultatem, ſed nullam eſſe de iis adeundis legem Dei; invehitur adverſus eos, qui ſacerdotium vile habent. " Inſania enim manifeſta eſt, inquit, deſpicere tantum principatum, ſine quo nec ſalutis, nec promiſſorum bonorum compotes „ eſſe

„ eſſe poſſumus. “ Quo loco, non tantum eloquenter oſtendit quam eximia ſit Sacerdotum poteſtas, ſed etiam quanta ſit hujus poteſtatis ad veniam obtinendam neceſsitas, aperte declarat. Aſſerit enim 1. quod omnem cœleſtium rerum poteſtatem habeant: 2. quod Chriſtus datum ſibi omnes judicandi jus in Sacerdotes tranſtulerit: unde ſequitur neminem accedere ad Chriſtum niſi per Sacerdotes, qua ratione nemo accedit ad Patrem niſi per filium. 3. quod ſine Sacerdotum beneficio nec ſalutis nec promiſſorum bonorum compotes unquam eſſe poſſimus.

Eandem neceſſitatem jam ante firmaverat *lib.* 2. *cap.* 3. “ Multa, in-
„ quit, arte opus eſt, ut qui laborant Chriſtiani, ultro ſibi ipſi per-
„ ſuadeant curationibus Sacerdotum ſeſe ſubmittere oportere.

Ex illa autem neceſſitate colligit magnam eſſe debere & inſignem Sacerdotis prudentiam, ut apta & congrua quibuſque vulneribus remedia afferat. “ Itaque, inquit, nihil eorum relinquendum eſt quod pro-
„ be non excutiat atque examinet Epiſcopus: quin omnia accurare ac
„ ſtudioſe perſcrutatum, tum demum oportet illum ſua ipſius remedia,
„ congrue, apte, accommodate afferre.

Nihil vero aliud aliis in libris docet. *Hom. de muliere Samarit. tom.* 6. non tantum eadem Confeſſione nobis opus eſſe pronuntiat; ſed etiam multum hortatur, ut pudorem noxium ab ea nos retrahentem deponamus: poſtquam enim debitis laudibus affecit factam ab illa muliere coram Chriſto peccati hominibus ignoti Confeſſionem: “ Imitemur &
„ nos, inquit, hanc mulierem Samaritanam, & ob propria peccata
„ non erubeſcamus, ſed Deum timeamus. Jam vero contrarium fie-
„ ri video: nam eum, qui nos judicaturus eſt, non reformidamus;
„ eos vero qui nullatenus nos lædunt, perhorreſcimus, & ignomi-
„ niam ab ipſis inurendam reformidamus. Quapropter eo ipſo quod ti-
„ memus, pœnam ſuſtinemus: QUI ENIM HOMINI DETEGERE PEC-
„ CATA ERUBESCIT, DEO VERO CERNENTE FACERE NON ERU-
„ BESCIT, NEQUE CONFITERI VULT, NEQUE POENITENTIAM
„ AGERE; IN DIE ILLA NON CORAM UNO VEL DUOBUS, SED
„ UNIVERSO TERRARUM ORBE SPECTANTE TRADUCETUR. “ Quo nihil luculentius eſſe poteſt.

Nempe nullum eſt & inane, judice Chryſoſtomo, Pœnitentiæ remedium ſine Confeſſionis accuratæ conſortio. Sic enim habet *hom.* 9. *in epiſt. ad Hebr.* “ Cujuſmodi ergo eſt medicamentum Pœnitentiæ, &
„ quomodo conficitur? Primum, ex peccatorum ſuorum condemnatio-
„ ne & Declaratione, Tum ne quis forte hoc *declarationis* nomen, clarum licet nec ambiguum, (nihil enim declaratur Deo, cui nihil ignotum eſt;) ne quis tamen hoc vocabulum in alienos ſenſus detorqueat; addit, “ Quod oporteat & ſe in Sacerdotes, ut convenit, gerere. “ Tandem ne forte generalem quandam Confeſſionem tantum poſtulare videatur, diſtincte & ſigillatim peccata eſſe enuntianda præ-

ſcribit. „ Sin autem dicit: Sum peccator; ea autem per ſpecies non
„ cogitat & ſupputat, & non dicit: Hoc & illud peccatum admiſi;
„ nunquam ceſſabit, ſemper quidem confitens, curam autem nullam
„ gerens correctionis.

Denique, ut nihil omnino deſideretur, tempus etiam Confeſſioni maxime opportunum & neceſſarium figit. *Hom.* enim 3. *in Geneſim tom.* 2. quam habuit in majore hebdomada; „ Quia, inquit, in magnam hanc
„ hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime & jejunii curſus
„ intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens
„ & pura peccatorum Confeſſio. „ Hæc quidem accipit Dallæus de
„ Confeſsione Deo facienda; ſed non attendit ad ſeriem orationis, ubi Confeſsionem vocis ope factam, & Sacerdotes ſub familiari *Medicorum* nomine exprimit diſertiſsime. „ Scit enim inimicus noſter, inquit, quod
„ per tempus illud poſſumus de iis quæ ad ſalutem noſtram attinent
„ loqui, & peccata declarare ſeu aperire, & detegere vulnera medico,
„ & ſanitatem conſequi.

Magna certe vis eorum Chryſoſtomi verborum, magnaque perſpicuitas; & eo quidem major, quod hujus eximii doctoris verba ſubnixa ſint Eccleſiæ fide, in cujus ſinu vixit; & veterum omnium conſenſu, a quorum ſocietate divelli nec poteſt nec debet.

Utramque tamen evertere conatur Dallæus, & ad eam rem producit, & ex omnibus Chryſoſtomi operibus corradit longam teſtimoniorum ſeriem, quæ ab ipſo, nec ſine conſilio forſan, confuſius propoſita, nos claritatis cauſa in ſuam quæque claſſem digeremus. Ad Eccleſiæ enim cauſam multum intereſt, ut hic pateat Chryſoſtomum non favere adverſariis, qui eo potiſsimum glorientur.

Objicit itaque 1. Dallæus homiliam 21. ad populum Antiochenum in qua Chryſoſtomus ſic habet: „ Neque hoc tantum eſt admirabile
„ quod nobis peccata dimittit; verum & quod ipſa non revelat: .....
„ nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus enuntiare; ſed
„ ſibi ſoli rationem reddere jubet, & ſibi confiteri: .... nec cogit
„ præſentibus quibuſdam ipſa enuntiari; ſed unum ſolum exigit, ut ipſe
„ remiſſione fruens, doni magnitudinem diſcas „ &c. Nihil diſertius adverſus neceſſariam iſtorum Confeſſionem dici potuit, inquit Dallæus.

Respondeo has eſſe, ut Prophetæ vocibus utar, telas araneæ, quæ nullo negotio perfringi poſſunt; ad rem enim non pertinet is locus: ibi nimirum alloquitur Chryſoſtomus Catechumenos, eoſque Pœnitentiam Baptiſmo præviam docet: hic enim titulus eſt homiliæ, *Catechesis ad illuminandos*. Deinde vero in ipſo homiliæ textu ſic eoſdem affatur: „ Propterea, inquit, & prius dixi, & nunc
„ dico, & dicere non deſiſtam: Si quis morum vitia non correxit,
„ nec ſibi facilem paravit virtutem; ne baptizetur. „ Lex autem Confeſſionis ad Catechumenos non ſpectat, ut pueris etiam notum eſt;

quapro-

quapropter malo prorſus omine oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ orditur Dallæus.

Objicit 2. homiliam 3. quæ eſt ordine 5. *de incomprehenſibili Dei natura*, ubi, " Quamobrem, inquit, vos hortor & rogo & oro, fratres chariſſimi, crebrius Deo immortali confiteamini, & enumeratis „ veſtris delictis veniam petatis, & numen propitium. Non enim te „ in theatrum conſervorum tuorum duco; non hominibus peccata „ tua detegere cogo: expande coram Deo conſcientiam tuam; ipſi „ oſtende vulnera, & pete ab eo medicamentum: .... oſtende ei, „ qui non exprobret; ſed humaniſſime curet. Licet enim taceas, „ cuncta optime ille novit: dic ut fructum capias; dic ut depoſitis hic „ maculis tuis, abeas illuc mundus & ſine ullo dedecore, intolerabi- „ lique promulgatione illa delictorum tuorum libereris. " His adjungit homiliam 4. *de Lazaro tom.* 5. in qua Nihil, inquit, tam exitiale „ peccato, quam peccati accuſatio, condemnatioque cum pœnitudine „ & lacrymis conjuncta. Condemnaſti tuum peccatum? Depoſuiſti ſarcinam. Quis hæc dicit? Ipſe judex Deus: *Dic tu peccata tua prior* „ *ut juſtificeris*. Cur igitur, quæſo, pudeſcis & erubeſcis dicere pecca- „ ta tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num enim „ conſervo confiteris, ut in publicum proferat? Imo vero ei qui Domi- „ nus eſt, & qui tui curam gerit, & qui humanus eſt; ei qui medicus „ eſt oſtendis vulnera: neque enim ignorat, etiamſi non dixeris ...... „ Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhi- „ bere teſtes: mihi ſoli dic peccata privatim, ut ſanem ulcus teque „ dolore liberem.

Sermone 58. *hom.* 5. " At verecundaris & erubeſcis enuntiare pecca- „ ta? Sane quidem ſi coram hominibus ea dicenda eſſent & evulganda: „ non tamen ita pudere te oportuit; pudor enim eſt & ignominia pec- „ care, non quæ peccaveris confiteri. Jam vero neque neceſſarium eſt „ teſtibus præſentibus confiteri. Apud conſcientiæ rationem fiat inqui- „ ſitio delictorum. Sine teſtibus ſit judicium; Deus te confitentem ſo- „ lus audiat, Deus qui peccata non exprobrat, ſed Confeſſione delet... „ Scio equidem conſcientiam ſuorum delictorum memoriam minime „ ferre: ..... ſed tu coerce illam; .... perſuade fore ut, niſi nunc con- „ fiteatur, illic confiteatur ubi major pœna, ubi diffamatio major. Hic „ judicium fit ſine teſtibus, ac tu ipſe in te judicium exerces qui pecca- „ ſti. At illic in medium orbis terrarum cuncta producentur, niſi prius „ hic fuerint a nobis deleta. " Tum, ut aperiat quantum utile ſit peccata confiteri atque agnoſcere, affert 1. exemplum Pauli dicentis 1. Cor. 15. 9. *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei*. & 1. Tim. 1. 15. *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum*: 2. exemplum Jobi qui prædicat ſe, cum ſponte peccaſſet, non expaviſſe frequentiam multitudinis, ut non enuntiaret peccata ſua. Quocirca unumquemque fidelium admonet ut

 quoti-

quotidie in lecto judicium quoddam de ſe conſtituat. " Hoc enim, in-
" quit, tempus ad hujuſmodi rationes ineundas maxime opportunum eſt.
" Audi quo pacto teſtetur Propheta, cum dicat; *Quæ dicitis in cordibus*
" *veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* Multa interdiu non, ut volu-
" mus, a nobis fiunt: .... at hic omnibus expediti cum ſoli fuerimus veſ-
" peri, ... judicium in lecto excitemus, ut Deum nobis propitium, ejuſ-
" modi habita quæſtione, reddamus.

Hom. 57. *quæ eſt* 9. *de Pœnitentia*, *tomo* 1. in qua multiplicem eſſe docens Pœnitentiæ viam, potiſſimam autem eſſe ſinceram agnitionem peccati: " Peccaſti, inquit; Eccleſiam ingredere, atque tuum dele peccatum.
" Quoties cecideris in foro, toties exurgis; ſic quoties peccaveris,
" peccati pœniteat, neque deſperes. Tametſi ſecundo peccaveris, ſe-
" cundo pœniteat . . . . Quamvis noviſſimo in vitæ die peccaveris,
" ingredere, Pœnitentiam age, Medicinæ locus eſt hic, non judicii.
" . . . . Deo ſoli dic peccatum tuum: *Tibi ſoli peccavi & malum co-*
" *ram te feci*: & dimittitur tibi peccatum tuum, " &c. Tum ſubdit
" aliam eſſe peccati delendi viam. " Habes, inquit, & aliam Pœ-
" nitentiæ viam haud difficilem, ſed omnino accommodatiſſimam. Qua-
" lem hanc? Defle peccatum tuum: idque ex ſacris docetur Evangeliis:
" Petrus ille, &c.

Homil. 20. *in Geneſ. tom.* 2. *pag.* 222. " Attamen qui hæc fecit,
" inquit, ſi voluerit, ut decet, uti conſcientiæ adjumento, & ad Con-
" feſſionem facinorum feſtinare, & medico oſtendere ulcus, qui curet &
" non exprobret; atque ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui nul-
" lo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facile peccata ſua
" emendabit: Confeſſio enim peccatorum, abolitio etiam eſt delicto-
" rum. Quod ſi Lamech ille ſuis mulieribus cædes a ſe commiſſas de-
" tegere & confiteri non refugit; quali erimus venia digni, ſi ei qui
" omnia noſtra accurate novit delicta, confiteri peccata nolumus? Num
" enim, quia ignorat, diſcere vult? Num opes aliquæ hic ſunt expen-
" dendæ? . . . Num dolorem & cruciatus affert hæc medicina? . . . .
" Num grave aliquid & moleſtum a nobis requirit? Contritionem vult
" cordis, compunctionem mentis, Confeſſionem ruinæ; . . . . & non
" ſolum largitur vulnerum curam, ſed & eum, qui antea innumeris
" peccatorum ſarcinis gravabatur, juſtum efficit. O miſericordiæ magni-
" tudinem!

Homil. 2. *in Pſ.* 50. *tom.* 3. " Peccata tua " ipſe commemora, ut ea
" deleas. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione.
" Non enim dico ut ea conſervo exponas, qui te probris impetat; dic
" Deo qui iis medetur: neque enim ſi non dixeris, ignorat ea Deus;
" neque enim ex te ea ſcire vult: nam cum ea perpetrares, aderat;
" cum ea admitteres, aſtabat, ſciebat. Perpetrabas ea, nec pudore
" commovebaris. Ob ea quæ tibi probrum ac dedecus afferebant non
" erubeſcebas, & nunc ob verba ea, quibus juſtitia tibi compara-
" tur,

„ tur, erubeſcis? Hic narra, ut non illic narres. Dic, & lacrymas „ funde. Peccata tua in libro ſcripta ſunt: ſpongiæ autem inſtar „ ſunt lacrymæ tuæ. Lacrymas mitte, & obliterantur. Lacrymas mit- „ te, & purus illic liber invenitur. Magna peccatorum ſpongia ſunt „ lacrymæ . . . Cum autem in lectum, hoc eſt ad tranquillum por- „ tum te conjeciſti, nec ullus eſt qui tibi moleſtiam exhibeat; dic „ cordi tuo atque animæ tuæ: Exegimus hodiernam diem, o anima: quid boni fecimus, aut quid mali admiſimus? ac gehennæ recordare, ut metu affectus bonum augeas, malum autem de medio tollas. Si in „ lecto ſis, atque ibi peccata tua in memoriam venerint; collacryma, „ atque hac ratione in lecto delere potes. Deum tuum roga atque „ obſecra; ſicque corpus tuum ſomno trade, poſteaquam prius peccata „ confeſſus fueris &c.

Homil. 4. *de Lazaro*, *ſupra pag.* 243.

Homil. 58. *tomo* 5. ubi oſtendit non eſſe concionandum ad gratiam auditorum captandam.

Hom. 68. *de Pœnitentia & triſtitia regis Achab tom.* 5. *pag.* 1003. idem pertractans de Confeſſionis interioris utilitate argumentum: “ Peccator „ es, inquit, ne deſpondeas animum, ſed ingredere, ac Pœnitentiam „ obtende. Peccaſti? dic Deo, *Peccavi*. Quis hic labor eſt? quis „ cruciatus? quæ fatigatio? quæ anguſtia verbum hoc proferre, *Pec-* „ *cavi*? Num enim tu, niſi te ipſum dixeris peccatorem, a Diabolo „ non accuſaberis? Præoccupa & eripe illi ſuam dignitatem accuſato- „ ris. Cur igitur illum non prævenis, & peccatum dicis, & crimen „ purgas; cum probe ſcias talem accuſatorem tibi, qui tacere ne- „ queat, imminere? Peccaſti? In Eccleſiam ingredere; dic Deo *Pec-* „ *cavi*. Nihil aliud abs te niſi ſolum iſtud exigo: ait enim Scriptura ſacra „ .... *Dic tu primus iniquitates tuas ut juſtificeris*; dic peccatum, ut ſol- „ vas peccatum. “ Quæ fere ex homil. 57. primi tomi derivata, aut hu- „ jus ſaltem germana ſunt.

Homil. 31. *in cap.* 12. *epiſt. ad Hebr.* docet agnoſcendum eſſe peccatum, & ejuſmodi Confeſſione deleri; atque adeo recordationem peccati eſſe non mediocris emolumenti. “ Perſuadeamus, inquit, nobis „ ipſis quod peccavimus; non lingua ſolum dicamus, ſed etiam mente „ & cogitatione: ne nos ſolum dicamus peccatores, ſed etiam peccata „ recenſeamus, ſpeciatim unumquodque enumerantes. Non tibi dico ut ea „ tanquam pompam in publicum proferas, neque ut te accuſes; ſed ut pa- „ reas Prophetæ dicenti: *Revela Domino viam tuam*: apud Deum ea con- „ fitere, apud judicem confitere peccata tua, orans, ſi non lingua, ſaltem „ memoria, & ita roga ut tui miſereatur.

Ex his omnibus conficit Dallæus quod Confeſſio ſoli Deo facta ſufficiat, juxta Chryſoſtomum.

DISTINGUO: ſufficit ad peccata delenda; concedo: ad præcepta Chriſti implenda; nego. Multa ſunt Chriſtiani hominis, quatenus

peccator eſt, officia. Alia pertinent ad Pœnitentiam interiorem, quæ Pœnitentiæ virtus dicitur, qualia ſunt, delicta agnoſcere, ea coram Deo deteſtari, eorum denique veniam ab ipſo ſuppliciter exorare: alia vero ſpectant ad Pœnitentiam exteriorem quæ Sacramentum eſt, qualia ſunt, ſe Sacerdotum judicio ſubmittere, ex eorumque præſcripto pœnis congruentibus defungi. Prima cuilibet, ſecunda nonniſi peccatorum lethalium reis ſunt neceſſaria. Porro priora tantum illis in locis exequitur Chryſoſtomus; poſteriora vero ne attingit quidem. Nempe cum nihil frequentius ſit quam peccata oblivisci, iiſque non affici, ea vero recordari, de iiſque dolere ſummæ ſit neceſſitatis; totus inibi eſt Chryſoſtomus, ut Chriſtianos ad cor redire faciat; & primo illo in gradu ſiſtit, nec ultra progreditur: neque enim neceſſe eſt ut Chriſtianus orator quidlibet ubivis dicat: dum autem unum ait, non ideo excludit alterum.

Ut autem manifeſtum ſit quantum hoc in loca a Dallæo mox adducta conveniat, ea ſigillatim reviſenda ſunt. Itaque

Homil. 30. *tomi* 1. explicat primo hiſtoriam Phariſæi & Publicani: deinde illinc captans occaſionem humilitatis commendandæ, monet ſummopere eſſe cavendum, ne bona opera noſtra, ſi quæ ſint, publicemus: denique hortatur ut exemplo Publicani potius peccata noſtra confiteamur. Hoc autem omnibus faciendum eſſe obſervat, cum vel ipſi tres pueri fornacis Babylonicæ, licet vitæ eſſent purioris, nihilominus palam confiterentur, Danielis 3. 33. *Non poſſumus aperire os: confuſio & opprobrium facti ſumus ſervis tuis, & his qui colunt te.* Quid autem hæc ad Confeſſionem evertendam? An quia omnes Chriſtiani tam juſti quam alii agnoſcere delicta ſua coram Deo tenentur, idcirco neceſſarium non erit iis, qui peccatis ſuis fores cœlorum ſibi clauſerint, ad eos recurrere, quibus ad cœlos aperiendos claves Chriſtus commiſerit? Confeſſio enim Sacerdoti facienda inſontes non obligat. Hic autem Sancti Chryſoſtomi ſermo ad omnes etiam juſtos dirigitur.

Homil. 57. Tradit duplicem eſſe potiſſimum viam ad abſtergendas animi labes, agnitionem ſcilicet peccati & lacrymas. Quid inde? An quia agnitio peccati illud tollit, nihil erit exinde aliud homini præſtandum? Nos certe idem, quod Chryſoſtomus, prædicamus: deleri nempe poſſe peccata, ſi quis ea, ut par eſt, agnoſcat ac deteſtetur. Sic eo ipſo quod David dixit, *Peccavi*, peccatum ejus tranſlatum eſſe novimus: ſed poſt deletum humili illa confeſſione peccatum, dicimus adhuc opus eſſe ut peccator Sacerdotes adeat, eiſque ſe oſtendat; quo fere modo Chriſtus eos, quos lepra purgaverat ac liberaverat ad Sacerdotes tamen nihilo ſecius remiſit.

Homil. 20. *in Geneſim* res adhuc clarior eſt: id enim unum agit Chryſoſtomus ut appareat peccata cordis contritione expungi poſſe An autem aliud quid exinde incumbat exequendum, nec ait nec negat.

Ho-

Homil. 2. *in Pſ.* 50. idem eſt illius ſcopus, & omnes pariter tam probos quam alios complectitur: cunctis ex æquo præcipit ut peccata in memoriam revocent, ſpondens ipſis veniam, ſi id digne præſtiterint: & quoniam multis tempora ad id commoda per diem non ſuppetunt, monet ut id in lecto quotidie non omittant. An vero quia conſulitur examen quotidie faciendum, Confeſſio Sacerdoti facienda peſſumdatur? an quia ita benignus eſt Deus, ut veniam concedat iis omnibus qui rite peccata ſua agnoverint, continuo eoſdem ab omnibus cæteris præceptis abſolvet?

Homilia 4. *de Lazaro* non aliud ſpirat, nec aliud *homilia* 58. Quod enim hoc non pertineat ad eos ſolos qui criminibus adhuc obſtricti ſint, ſed ad omnes ſine ullo diſcrimine, ex eo colligitur, quod Pauli & Jobi exemplum adducat, & de privato examine peccatorum in lecto a ſingulis inſtituendo ſermonem habeat.

Homil. 68. ſimile propoſitum eſt. Eo enim loci probat Chryſoſtomus ſummam eſſe Dei benignitatem & ad ignoſcendum nobis propenſionem, quia ſimul ei quis dixit, *Peccavi*, nullas ad veniam dandam moras interponit.

Homil. denique 31. *in epiſt. ad Hebr.* in eodem verſatur argumento. Eximiam enim Dei facilitatem inde commendat, quod peccatores in gratiam, & amicitiam ſuam recipiat, ſtatim atque delicta ſua agnoverint.

Hæc autem omnia quantum diſtent a Confeſſione peccatorum mortalium ſubruenda quivis intelligit.

Instabis. Deus ubique apud Chryſoſtomum nihil aliud exigere videtur, niſi ut ſibi ſoli dicatur peccatum. Ergo.

Distinguo antecedens: nihil aliud exigit, ad remiſſionem peccatorum impetrandam; concedo: quaſi nihil aliud poſtea ſit neceſſario obeundum; nego.

Instabis. Negat Chryſoſtomus neceſſarium eſſe hominibus confiteri. Ergo.

Distinguo antecedens: negat neceſſarium eſſe hominibus confiteri publice; concedo: privatim; nego. Scilicet Chryſoſtomus omnes eloquentiæ ſuæ nervos contendit ibi ut patefaciat quanta ſit, hinc quidem Dei in peccatores bonitas & clementia, qui tam facile parabilem eis veniam oſtentet ac polliceatur; illinc vero peccatorum vecordiam & contumaciam, qui oblatam ſibi tam benigne gratiam repudient. Veniæ autem facilitatem inde luculenter demonſtrat, quod Deus peccata condonet ſine ullo famæ detrimento. Nempe comparat Deum cum judicibus. " Porro, inquit, *Hom.* 21. *ad populum Antiochenum*, ſi quis ex ſæcularibus judicibus alicui captorum latronum,
" vel eorum qui ſepulchra effodiunt, diceret ut peccata confiteretur,
" & dimitteretur; omni certe promptitudine hoc ſuſciperet, ſalutis
" cupiditate pudorem contemnens. Hic vero hoc non eſt: verum &

„ peccata dimittit , nec cogit præſentibus quibuſdam ea palam confi-
„ teri . Cum ergo apud homines rei & publice notentur, & poſt pu-
„ blicam peccatorum agnitionem vitam amittant : contra apud Deum
„ (tanta ejus benignitas eſt ,) & nullus infamiæ timor eſt , & ſim-
„ plici ac nuda , eaque ſecreta , peccatorum Confeſſione ſalus illico
„ comparatur . " Quod enim ſolam Confeſſionem publicam rejiciat ,
& ipſa argumenti ratio oſtendit , & ipſe conceptis verbis ubique te-
ſtatur . *Hom.* 21. " Deus , inquit , peccata non revelat, nec manife-
„ ſta facit , nec conſpicua , nec cogit in medium procedentes , quæ
„ peccavimus , enuntiare . " *Homil.* 30. " Neque enim , inquit , te
„ in theatrum duco conſervorum tuorum . " *Homilia* 20. *in Geneſim* , " Oſtendamus , inquit , ulcus medico , qui curet & non expro-
„ bret. " *In Pſ.* 50. " Num , inquit , dico ut ea conſervo dicas, qui ex-
„ probret? " *Homil.* 4. *de Lazaro* , " Num, inquit, homini dicis, ut te
„ probro afficiat?

Instabis. At Chryſoſtomus Confeſſioni coram Deo quam exigit , ſolam Confeſſionem publicam ut minime neceſſariam conſtanter, & perpetuo opponit; Confeſſionem autem in aures Sacerdotis faciendam ſilet . Ergo.

Respondeo tacitam illic reipſa fuiſſe Confeſſionem Sacerdoti privatim faciendam , quod ea ad propoſitum non faciebat . Hinc enim Chryſoſtomus oſtendebat pronam eſſe veniam omnibus , qui ſe ad Deum convertere voluiſſent ; ad id autem procul dubio longe aptior erat Confeſſio coram Deo , utpote minoris operæ ac laboris quam ſacramentalis Confeſſio : illinc vero prædicabat ſanctus idem Doctor ſingularem Dei humanitatem , qui pudori hominum parcit , etiam dum iis ignoſcit ; ad id autem non conducebat exemplum Confeſſionis ſecretæ coram Sacerdotibus faciendæ : tum quia eam Deus a nobis flagitat , tum quia non ita pudibunda eſt. Longe ergo convenientius attulit Confeſſionem publicam , cujus major eſſet verecundia & gravius jugum, a quo tamen homines Deus, pro ſua in eos charitate , liberos eſſe voluit.

Instabis. At Chryſoſtomus eos qui peccatis expurgati fuerint videtur ab omni deinceps onere relevare : Ergo poſt acceptam a Deo interiori peccatorum Confeſſione veniam , non reſtat Confeſſionis apud Sacerdotes inſtituendæ labor.

Nego antecedens. An enim Chryſoſtomus ſuppreſſa eſſe voluit exinde Pœnitentiæ opera , quibus juſtitiæ Dei fieret ſatis ? an eleemoſynas, quibus peccata redimerentur , ſuſtulit? an ſi quis aliena ſurripuiſſet, ea reſtitui prohibuit? Imo , ut preſſius agamus , an ſi quis Pœnitentiæ publicæ juxta Eccleſiæ diſciplinam reus erat, ab ea illum immunem fecit ? Nequaquam , etiam judice Dallæo. His ergo non obſtantibus potuit aliquis Pœnitentia publica adhuc teneri . Quanto itaque magis Confeſſione ſecreta ? facilius enim Chryſoſtomi dicta cum arcana

pecca-

peccatorum Confeſſione conciliari poſſunt, quam cum Pœnitentiæ publicæ neceſſitate: atqui idem quod antea Pœnitentiæ publicæ inſtitutum perſtitiſſe ipſe Dallæus non diſſimulat: ergo potiori jure Confeſſio arcana illæſa permanſerit.

Instabis. At indicat ſaltem Chryſoſtomus omni pudoris neceſſitate eximi peccatores.

Distinguo antecedens: eximi ab omni pudore publicæ Confeſſionis; concedo: ab omni pudore Confeſſionis arcanæ; nego. Duplex diſtingui poteſt pudor, alter publicæ Confeſſionis comes, iſque graviſſimus; alter vero levior, haud ſeparabilis etiam a Confeſſione arcana: priorem hic tollit Chryſoſtomus, ex quo elucet ſumma Dei benignitas; alterum vero prætermittit: alibi autem diſerte pronuntiat, ut *in Homil. de muliere Samaritana*, totum id pudoris genus, quod divelli nequit a Confeſſione ſecreto hominibus facienda, a peccatoribus eſſe devorandum.

Objicit 3. homiliam 56. *quæ eſt* 8. *de Pœnitentia*, *tom.* I. in qua Chryſoſtomus diſſerens de hoc Pauli præcepto: *Probet autem ſeipſum homo*, *& ſic de pane illo edat*: ita loquitur, „ Non revelavit ulcus, „ non in commune theatrum accuſationem produxit, non delictorum „ teſtes habuit: intus in conſcientia, aſtante nemine præter eum qui „ cuncta videt Deum, inſtitue judicium & peccatorum examen atque „ inquiſitionem.

In eundem ſenſum *Hom.* 28. *in* I. *Cor. pag.* 301. ad illud idem Pauli, „ Propterea, inquit, dicit (Apoſtolus) *Probet ſeipſum unuſquiſque*, „ *& tunc accedat*: neque juſſit alteri alterum probare; ſed ſibi ſeipſum, faciens judicium ad quod populo non pateat aditus, & probationem quæ careat teſtibus.

Ex quo ſic diſputat Dallæus. Qui Confeſſionis ſacramentalis neceſſitatem agnoſcunt, ii de ejuſmodi Confeſſione Apoſtoli verba interpretantur: Sic enim ſynodus Tridentina *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. inde colligit eam probationem neceſſariam eſſe, „ Ut nullus ſibi conſcius peccati mor„ talis quantumvis contritus ſibi videatur, abſque præmiſſa ſacramen„ tali Confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. „ Atqui „ Pauli locum non ita accipit Chryſoſtomus, ſed de examine priva„ to. Ergo non idem quod Romana jam Eccleſia de Confeſſione „ ſenſit.

Respondeo geminam eſſe probationem quæ ante SS. Euchariſtiæ perceptionem inſtitui poſſit. Aliam omnibus communem; aliam delictorum mortalium reis propriam: I. probatio apud conſcientiæ tribunal tota tranſigitur. Nemo enim eſt qui, ad auguſta myſteria acceſſurus, prius apud ſe expendere ſerio non debeat quo in ſtatu ſit, & utrum nihil in ſe reperiat vel flagitii vel etiam vitii ac pravi affectus, quod eum Chriſti corpori minus idoneum ac paratum faciat. 2. hanc ſequitur. Si enim quis gravi inquiſitione deprehenderit, ſe in aliquo crimi-

crimine hærere ; tum ad Sacerdotis tribunal confugiat oportet, ab eo purgandus, antequam divinæ menſæ ſe committat. Jam vero de priori probatione omnibus communi verba tantum facit Chryſoſtomus. Non mirum igitur ſi de Confeſſione ſacramentali non faciat mentionem. Non enim illa ad omnes promiſcue ſpectat, ad quos ſpectat hæc probatio quam commendat Chryſoſtomus. Sequitur enim Paulum : Apoſtolus autem eam ſolum diſerte exprimit probationem, quam quiſque apud ſe inſtituat; non aliam, niſi ex conſequenti, ſi nempe neceſſaria eſſe videatur. Hanc tamen aliam probationem ex priori conſequentem tangunt plurimi Patres, quos ſynodus Tridentina æmulatur. De priori autem loquendum exiſtimavit Chryſoſtomus, quod, cum numeroſior tunc eſſet ac depravatior Chriſtiana plebs quam olim, necdum ita frequens eſſet Confeſſio peccatorum venialium, ſæpe accidebat ut temere tremenda myſteria adirentur.

Objicit 4. illud *ex ſermone 57. de peccatis fratrum non evulgandis tom.* 5. in quo publicarum concionum utilitatem amplificans Chryſoſtomus, ob id præſertim quod peccatores ſanent nec tamen notent, ſic habet : " Neque enim in medium, inquit, adductis peccatoribus, eorum peccata ſic divulgamus; ſed communi omnibus doctrina propoſita, conſcientiæ relinquimus auditorum, ut convenientem ſuo vulneri ex iis quæ dicta ſunt eliciant medicinam .... Prodit enim ab oratoris lingua ſermo, qui vituperationem vitii continet, laudem virtutis, reprehenſionem luxuriæ, commendationemque caſtitatis ... Procedit igitur aperte ſermo, & cujuſque conſcientiæ inſidens, latenter ſuam adhibet medicinam, & priuſquam ægritudo publicetur, ſæpe reſtituit ſanitatem. " Ergo peccata ſine confeſſionali myſterio ſanari credidit.

Respondeo nos huic ſententiæ non repugnare, ultroque confiteri in eo præſertim poſitam eſſe concionum publicarum utilitatem : quis enim noſtrum non ita diſſerat? Sed aliud eſt prædicare concionum publicarum utilitatem; aliud Confeſſionis arcanæ negare neceſſitatem.

Objicit 5. illud *homiliæ 20. in Matth. pag.* 200. in qua Chryſoſtomus exponens hæc Chriſti verba, *Dimitte nobis debita noſtra* : " Deinde, inquit, quia contingit ut etiam poſt regenerationis lavacrum delinquamus; plurimum hic quoque miſerationis oſtendens, etiam pro horum peccatorum remiſſione ad miſericordem Deum accedere jubet, & ſic dicere : *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos &c.* Vidiſti miſericordiæ cumulum; poſt tantorum quippe abolitionem malorum & ineffabilem gratiæ largitatem, iterum peccantibus dignatur ignoſcere. Ergo.

Respondeo iſta ad rem non pertinere. Quid enim? An quia ita miſericors eſt ac bonus Deus, ut poſt Baptiſma peccatoribus nobis benigne ignoſcere voluerit, omnis Confeſſio expungitur? Abſit tam perverſa, tamque male cohærens conſecutio. Tria ergo præſtat in ea homilia

milia Chryſoſtomus : 1. enim prædicat ſummam Dei clementiam, qui poſt condonata nobis in Baptiſmo delicta, eadem poſtmodum iterato admiſſa remittere non dedignatur : 2. hinc per tranſennam carpit quorumdam Hæreticorum crudelitatem, qui nonnullos peccatores ab omni venia arcebant : 3. tandem admirandam Dei in ignoſcendo facilitatem eſſe oſtendit, quia ad veniam impetrandam peccatum agnoviſſe ſatis eſt. At horum nihil eſt quod evertat Confeſſionem.

Sed tricarum jam ſatis : reliquos quinti ſæculi ſcriptores perſequamur.

Secundo itaque Innocentius I. ſummus pontifex *epiſt. ad Decentium cap.* 7. " De Pœnitentibus vero, inquit, qui ſive ex gravioribus com-„ miſſis, ſive ex levioribus Pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat æ-„ gritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ „ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum, „ SACERDOTIS EST JUDICARE, UT ATTENDAT AD CONFESSIO-„ NEM POENITENTIS, & ad fletus atque lacrymas corrigentis; ac „ tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Sane ſi „ quis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem deve-„ nerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo ſine com-„ munione diſcedat. " Hic conſpicis 1. quanta ſit Sacerdotum in remittendis peccatis auctoritas : 2. quanta in iis relaxandis cautio ac prudentia : 3. quanta religione Confeſſio fieret, non tantum graviorum, ſed etiam leviorum delictorum : 4. denique, quam neceſſaria iis omnibus peccatoribus abſolutio haberetur : quæ ſatis ſuperque ſunt ad evincendam Confeſſionis arcanæ, non tantum conſuetudinem, ſed etiam neceſſitatem.

Tertio Hieronymus *lib. 3. comment. in caput 16. Matth.* ad illa Chriſti verba : *Et tibi dabo claves regni cœlorum*, " Legimus in Levitico de leproſis, inquit, ubi jubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus.... Quomo-„ do ergo ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit, ſic & „ hic alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter; non eos qui inſontes „ ſunt vel noxii, ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varieta-„ tes, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus. " Eo loci ſignificat Hieronymus 1. peccata ſigillatim fuiſſe tunc Epiſcopis & Presbyteris declarata : 2. nullum ex iis quæ animam inficerent gravius exceptum fuiſſe, quomodo lepra omnis ad Levitas deferebatur : Tertio divinam de utroque legem extitiſſe.

Idem tradit *in comm. Eccleſ. cap.* 10. ad hæc verba, *Si momorderit ſerpens in ſilentio, non eſt amplius habenti linguam :* " Si quem, inquit, „ ſerpens Diabolus occulte momorderit, & nullo conſcio eum peccati „ veneno infecerit : ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit Pœni-„ tentiam, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro voluerit confiteri ; ma-„ giſter & frater qui linguam habent ad curandum, facile ei prodeſſe „ non poterunt. SI ENIM ERUBESCAT ÆGROTUS VULNUS MEDICO

CON-

„ CONFITERI', QUOD IGNORAT MEDICINA NON CURAT. " Illic 1. loquitur, ut patet, Hieronymus de peccatis occultis. 2. Ejuſmodi peccatorum Confeſſionem paris eſſe neceſſitatis cum Pœnitentia arguit.

Tertio S. Auguſtinus doctrinam Eccleſiæ illuminatius & accuratius pluribus in locis explicat.

Epiſtola 180. nunc 228. *ad Honoratum* in qua deterret Paſtores ne in perſecutione fugiant. " An non cogitamus, inquit, cum ad iſtorum „ periculorum pervenitur extrema, ... quantus in Eccleſia fieri ſoleat „ ab utroque ſexu & ab omni ætate concurſus; aliis Baptiſmum flagi- „ tantibus, aliis reconciliationem:.... ubi ſi miniſtri deſint, quantum „ exitium ſequitur eos qui de iſto ſæculo, vel non regenerati exeunt, „ vel ligati? " Nihil illuſtrius afferri profecto poteſt ad abſolutionis ſacerdotalis neceſſitatem.

In Pſ. 101. *concione* 2. *ad verſ.* 22. comparans peccatores, qui confitentur & ſolvuntur à Sacerdotibus, cum Lazaro, ait nihil profuturum fuiſſe Lazaro quod a morte ad vitam excitatus eſſet, niſi Chriſtus Apoſtolis dixiſſet, *Solvite eum & ſinite abire*. Tum idem contingere aſſerit in Pœnitentium reconciliatione, " Cum audis, inquit, hominem „ confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulchro eductus eſt, ſed „ nondum ſolutus. Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? *Quæ ſolveri-* „ *tis*, inquit, *in terra*, *&c.* Ergo etiam poſt reſtitutam homini a Deo gratiæ vitam, opus adhuc eſt Eccleſiæ reconciliatione.

Serm. 278. diſtinguens peccata venialia a mortalibus. "Hæc, inquit, „ dimittuntur per claves Eccleſiæ: " id eſt, dimitti oportet. Venialia enim ab Eccleſia etiam dimittuntur; ſed ea eſt lethalium gravitas lexque peculiaris, juxta Auguſtinum, ut non niſi per claves Eccleſiæ dimittantur.

Serm. 351. olim *hom.* 50. triplicem ſecernit Pœnitentiam: alteram ante Baptiſma, Catechumenorum: alteram poſt Baptiſma, juſtorum: " Tertia, actio eſt Pœnitentiæ, inquit, quæ pro illis peccatis ſubeun- „ da eſt, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait: „ *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*. " Deinde aſſignat modum & ordinem neceſſarium Pœnitentiæ: ac poſt nonnulla, ſic ait: " Et cum ipſe (peccator) in ſe protulerit ſeveriſſimæ medi- „ cinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam; veniat ad Antiſtites, per quos „ illi in Eccleſia claves miniſtrantur; & tanquam bonus jam incipiens „ eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, a præpoſitis „ Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum: "Quid expreſſius? 1. enim Auguſtinus omnia contra Decalogum peccata, quæ a regno cœlorum excludant, conceptis verbis complectitur: 2. ait pro iis eſſe ſubeundam Pœnitentiam: 3. hunc illius Pœnitentiæ ordinem eſſe, ut ad Antiſtites veniatur: 4. ab iis, utpote Sacramentorum præpoſitis, accipiendum eſſe ab unoquoque ſatisfactionis ſuæ modum. At illud fieri

non

non poteſt ſine accurata Confeſsione delictorum, ut ſatis conſtat. Ergo.

Serm. 392. olim *homil.* 49. *inter* 50. " Qui poſt uxores veſtras, inquit, vos illicito concubitu maculaſtis, ſi præter uxores veſtras, " cum aliqua concubuiſtis, agite Pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia Dei, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo dicat: Occulte ago, " apud Deum ago; novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. " Ergo ſine cauſa dictum eſt: *Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in* " *cælo*? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? " Quid ad hæc Calviniani? Adulterium enim eſt ex eorum peccatorum genere, quibus ſummo ſtudio tenebræ obducuntur. Deinde generatim loquitur Auguſtinus, nec occultum inter & publicum adulterii crimen diſtinguit. Tandem utrumque, hoc eſt tam occultum, quam publicum, ex æquo Pœnitentiæ publicæ obnoxium erat. Dubium ergo eſſe non poteſt, quin de omni adulterio etiam ſecreto interpretandus ſit Auguſtinus. Atqui ad illud remittendum opus eſſe pronuntiat Eccleſiæ autoritate, alias fruſtra datas eſſe Eccleſiæ claves ſtatuit, ſi privata Pœnitentia expungi poſſit. Ergo.

Homil 41. quæ Auguſtino tributa, ab aliis Ambroſio, ab aliis Cæſario, vetuſtiſſimi ſine dubio & docti autoris eſt, exhortationem continet ad Pœnitentiam de omnibus criminibus agendam. Hortatur autem ſcriptor, quiſquis ille ſit, unumquemque ut ea crimina vitet; " Quia, " inquit, ſi ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit ſi poſſit Pœnitentiam " accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit.

Eſt & apud Auguſtinum antiquus liber *de vera & falſa Pœnitentia*, ei dudum aſcriptus. Is autem autor de peccatore loquens *cap.* 10. " " Quem pœnitet, inquit, repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem: " *Cap.* autem 14. de variis peccatorum generibus diſſerens, " Omnis, inquit, iſta varietas confitenda eſt.

Neque omittendus eſt alter *de viſitatione infirmorum* eidem attributus: " Sunt quidam, inquit autor *cap.* 4. *l.* 2. qui ſufficere ſibi autumant " ſi ſoli Deo..... ſua confiteantur crimina: .... ſed nolo ut iſta decipiaris opinione.... Nam ipſius ſubeundum eſt judicium, quem Dominus ſibi non dedignatur vicarium. " *Et cap.* 5. " Aſtantem coram " te Sacerdotem Angelum exiſtima:..... APERI EI PENETRALIUM " TUORUM ABDITISSIMA LATIBULA CONSCIENTIARUM VERECUNDARUM PENITIORA REVELA REPAGULA.

Quinto his calculum ſuum addit S. Leo ſummus pontifex.

Epiſtola 82. " Multiplex, inquit, miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per " Pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ; ut, qui regenerationis dona violaſſent, proprio judicio ſe condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, NISI SUPPLICATIONIBUS SACERDOTUM NE-

„ NEQUEAT OBTINERI; Mediator enim Dei & hominum homo Chri-
„ ſtus Jesus hanc Præpoſitis tradidit poteſtatem, ut & CONFITENTI-
„ BUS actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione pur-
„ gatos per januam reconciliationis ad communionem Sacramentorum
„ admitterent: multum enim utile ac NECESSARIUM EST, UT PEC-
„ CATORUM REATUS SACERDOTALI SUPPLICATIONE ANTE MOR-
„ TEM SOLVATUR. " Loquitur hic Leo generatim, ſine ulla peccato-
„ rum occultorum aut publicorum diſtinctione, de omnibus, qui gra-
tiam in Baptiſmo acceptam amiſerunt; de iis omnibus, quibus ſpes vi-
tæ æternæ reparanda eſt, & qui regenerationis dona violarunt: aſſeve-
rat autem indulgentiam Dei non poſſe ab iis niſi Sacerdotum ſupplica-
tionibus obtineri; atque adeo neceſſariam iis eſſe iſtam ſupplicationem
Sacerdotum ante mortem: non concedi autem rite hoc a Sacerdotibus
beneficium niſi iis qui confeſſi fuerint delicta, eaque ſalubri ſatisfactio-
ne expiaverint. Ita univerſe diſſerit S. Leo, quæ ſpeciatim applicat
Pœnitentiæ publicæ reis.

Epiſtola 136. ſcribens adverſus quoſdam qui pœnitentes cogebant ſcri-
pto omnia peccata recitare in publico Eccleſiæ cœtu: " Illam tamen,
„ inquit, contra apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper a-
„ gnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus con-
„ ſtituo ſubmoveri: ne videlicet de ſingulorum peccatorum genere li-
„ bello ſcripta profeſſio publicetur; CUM REATUS CONSCIENTIARUM
„ SUFFICIAT SOLIS SACERDOTIBUS INDICARE CONFESSIONE
„ SECRETA. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ
„ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur; tamen
„ quia non omnium ejuſmodi ſunt peccata, ut ea quæ Pœnitentiam po-
„ ſcunt non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetu-
„ do; ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt,
„ aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſſent legum con-
„ ſtitutione percelli: SUFFICIT ENIM ILLA CONFESSIO QUÆ PRI-
„ MUM DEO OFFERTUR, TUM ETIAM SACERDOTI, qui pro deli-
„ ctis Pœnitentium precator accedit; tunc enim demum plures ad Pœ-
„ nitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur con-
„ ſcientia confitentis. " Hic agitur de arcanis criminibus quæ vetat
ſanctus Pontifex ne publicentur, ac de ſecreta eorum Confeſſione: eam
vero ſolam ſufficere decernit; minime autem neceſſariam eſſe Confeſ-
ſionem publicam. Ergo Confeſſionis illius ſecretæ occultorum criminum
agnovit, ut ſufficientiam, ita neceſſitatem: alias nulla eſſet inter u-
tramque oppoſitio.

Sexto Theodoretus *lib. 4. heret. fabularum cap.* 10. ridiculam, quæ
apud Audianos ſervabatur, Pœnitentiæ diſciplinam deſcribens, eos ar-
guit. " Quod vera peccata celarent, & parva quædam tantum riſu di-
„ gna dicerent " Unde ſequitur celari non potuiſſe vera peccata.

Septimo Sozomenus *ſupra p.* 149. aſſerit 1. non peccare, naturæ eſſe
hu-

humana præſtantioris: 2. Pœnitentibus veniam dare, præcepiſſe Deum: 3. ad impetrandam veniam, confiteri peccata neceſſarium eſſe. Hæc autem ait de peccatis occultis, quale illud fuit quod abrogando Pœnitentiario occaſioni fuit.

Octavo Julianus Pomerius *lib. 2. de vita contemplativa*, arcanorum criminum Confeſſionem Sacerdotibus neceſſario faciendam ſic commendat. " Porro illi, inquit, QUORUM PECCATA HUMANAM NOTITIAM „ LATENT, NEC AB IPSIS CONFESSA, nec ab aliis publicata, ſi ea „ confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent teſtem, habi„ turi ſunt & ultorem: & quid eis proderit humanum vitare judicium, „ cum, ſi in malo ſuo permanſerint, ituri ſint in æternum, Deo re„ tribuente, ſupplicium? " Non potuit clarius humani judicii, hoc „ eſt Sacerdotalis abſolutionis, eique præviæ occultorum etiam peccatorum Confeſſionis neceſſitas exprimi.

At, inquit Dallæus, Julianus Pomerius Confeſſionem, aut emendationem proponit: ac proinde alterutram ſufficere putat. Ergo Confeſſio neceſſaria non eſt.

RESPONDEO 1. particulam *aut* frequenter apud ſcriptores tam ſacros quam profanos conjunctim accipi, quod nemo inficiari poteſt: 2. eam hic reipſa conjunctim uſurpari: alias Confeſſio ſufficere poſſet ad veniam ſine emendatione vitæ: quod eſt abſurdum.

Nono ad annum Chriſti 499. *in hiſtoria Eccleſiaſtica Francorum* narratur ex antiquis monimentis de Clodovæo, quod cum crimen aliquod clam admiſiſſet, quod confiteri erubeſcebat, id Eleuthero epiſcopo Tornacenſi Deo revelante innotuerit, qui Regem admonuit, ut illud confiteri, deque eo Pœnitentiam agere non detrectaret; quod & Princeps præſtitit. Ergo ejuſmodi crimina, quæ omnes etiam laterent, & ſola Dei revelatione innoteſcere poterant, neceſſe tunc erat confiteri.

E ſexto ſæculo.

Primo Fulgentius formulam Confeſſionis generalis omnium peccatorum, quam quiſque ad ſuos uſus accommodaret, condidit; quam refert Menardus *ad Sacramentarium Gregorii*. In ea porro formula Pœnitens ait: " Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ: & tamen Confeſſio dicitur fieri CORAM HOMINE SACERDOTE: deinde peccata ſingula enumerantur, etiam ſola cogitatione admiſſa. " Multa, inquit, „ mala cogitavi: " tandem & inter alia illud confitetur, " EGO COR„ PUS DOMINI ET SANGUINEM EJUS POLLUTO CORDE ET CORPO„ RE, SINE CONFESSIONE ET POENITENTIA SCIENS INDIGNUS „ ACCEPI. " Quod certo eſt argumento Confeſſionem SS. Euchariſtiæ ſuſceptioni, juxta Eccleſiæ mentem ac diſciplinam, præmitti debuiſſe ab iis qui ſe gravioribus delictis contaminaſſent.

Dubium eſt inter eruditos an illa Confeſſio ſit Fulgentii Ruſpenſis epiſ-

epiſcopi, qui inſignis Auguſtini diſcipulus fuit, an alterius Fulgentii Aſtigitani in Hiſpania præſulis, qui Iſidori Hiſpalenſis frater fuit, & hoc exeunte ſæculo vixit: ſed hoc parum intereſt.

Secundo S. Joannes Climacus *Scalæ gradu* 4. de Confeſſione diſſerit. Ac 1. quidem ſic habet: " Ante omnia, culpas noſtro venerabili ju-
„ dici confiteamur, vel ſoli, vel etiam omnibus, ſi ita ille juſſe-
„ rit. " 2. Hiſtoriam refert cujuſdam latronis qui ab Abbate juſſus
„ fuit omnia ſua facinora ac flagitia palam ac publice confiteri. 3. Addit ſe ab Abbate petiiſſe cur ita egiſſet: Abbatem vero reſpondiſſe, quoſdam extitiſſe tunc apud ſe monachos qui nondum peccata ſua confeſſi eſſent. " Quocirca, inquit, jam & illos ad Confeſſionem hoc
„ exemplo provoco, ſine qua nullus remiſſione peccatorum potietur."
4. De eadem Confeſſione loqui pergens, monet " ſimpliciter eſſe
„ medico ſpirituali aperienda vulnera, idque tanquam ipſi Deo;
„ Sacerdotiſque pedes lacrymis rigandos ita eſſe, ut Chriſti pe-
„ des rigavit lacrymis ſuis mulier peccatrix. " Hæc perſpicua ſunt; demonſtrant enim Confeſſionis Sacerdoti faciendæ uſum, & neceſſitatem.

Sed ut nullus effugio locus pateat, adjiciendus eſt Joannes abbas Raitha, cujus hortatu Joannes Climacus librum ſuum ſcripſit. Is enim ad iſtum ipſum librum notas addidit.

Porro ad hæc Abbatis verba *ſupra* memorata de Confeſſione, *Sine qua nullus remiſſionem peccatorum potietur*, ſic ait: " Quod enim con-
„ fiteri ſimpliciter peccata teneamur ex neceſſitate divini mandati,
„ patet ex apoſtolicis traditionibus, ac regulis ab eis propoſitis Ec-
„ cleſiæ catholicæ per Spiritum ſanctum; quorum canones & inſtituta
„ tenentes, Dei Sacerdotibus juxta eorum præceptum peccata confi-
„ tentes, indulgentiam, & remiſſionem peccatorum accipere efficimur
„ digni.

Apage ergo Dallæum qui contendit hanc fuiſſe Monachorum duntaxat diſciplinam ad reliquos fideles non pertinentem.

Tertio Joannes Jejunator Patriarcha Conſtantinopolitanus libellum Pœnitentialem ſcripſit, ad uſum Eccleſiæ Orientalis, cujus plurimi auctores Græci meminere: is autem eſt titulus: *Conſequentia & ordo erga eos, qui peccata confitentur, obſervandus, a S. Patre noſtro Johanne compoſitus & inſtitutus*. Porro juxta hunc librum ritualem, " 1. Sa-
„ cerdos aſſumit peccata confeſſurum, & ſiſtit eum coram altari.
„ 2. Pro eo ſic orat Deum: Domine Deus noſter.... qui lætaris
„ ſuper peccatore pœnitente, & non vis mortem peccatoris;.....
„ exaudi deprecationem meam, deprecationem indigni ſervi tui:....
„ verum quia ſacerdotii dignitate præditus ſum, & ſecundum benigni-
„ tatis tuæ mandatum confitentes peccata ſuſcipis, cum tremore tibi
„ ſupplico. " 3. Qui ſua peccata confeſſurus eſt, ſic orditur: " Con-
„ fiteor tibi, Domine factor cœli & terræ, omnia occulta cordis
„ mei.

„ mei . 4. Sacerdos eum interrogat ſuper ſingulis peccatorum generibus . 5. Poſt exceptam accurate omnium ſigillatim delictorum Confeſſionem, idem Sacerdos pœnitentem abſolvit, varias fundens preces , & poſt injuncta ad plures etiam annos , pro criminum varietate , laborioſa opera, eum dimittit: quod apud Morinum vide *in appendice operis de Pœnitentia*.

Eſt alter ibi *de Pœnitentia* tractatus , qui Joanni Jejunatori tribuitur , in quo poſtquam obſervavit Confeſſionem eſſe a Deo conceſſam poſt Baptiſma , ne deſperemus, ſed ad ſalutis portum redire ſemper liceat, eadem fere quæ ſupra, præſcribit.

Quis autem ex his non fateatur eandem fuiſſe tunc in Eccleſia græca, quæ nunc apud nos obtinet, de hoc capite diſciplinam, & doctrinam? Ibi enim Confeſſio fit ſecreto Sacerdoti omnium cordis arcanorum, idque ex mandato Dei : adeo ut ad ſalutem omnino neceſſaria exiſtimetur.

Eadem circiter ævo de eadem diſciplina idem ſcripſit Joannes alter, qui Baſilii diſcipulum ſe præfert; cujus ſimile de Confeſſione opus exhibet Morinus *pag.*102.

Quarto Anaſtaſius Sinaita *homil. de ſynaxi* , *tomo* 1. *auctuarii Combeſiſiani* , modum quo quis accedere debeat ad Euchariſtiam docens , hortatur ut ſordes ſuas abluat : “ Nec enim , inquit , ſatis eſt in „ Dei Eccleſiam ingredi , divinaſque ſanctarum imaginum figuras venerandaſque cruces honorare , & oſculari : neque vero manus aqua „ abluere , id purgatio eſt : ſed fuga & ablutio ſordium peccati , inque Confeſſione & lacrymis . . . . . abſtergere maculas , ſicque ad „ intemerata myſteria accedere . . . . . Confitere Chriſto per Sacerdotes peccata tua : condemna actiones tuas, & ne erubeſcas: *Eſt enim* „ *confuſio adducens peccatum* , *& eſt confuſio adducens gloriam* , *& gratiam*. Condemna te in conſpectu hominum, ut coram Angelis totoque „ mundo Judex te juſtificet .... Veniam pete ut digne in conſcientia pura „ ſumas corpus & ſanguinem Chriſti , ... non in condemnationem: *Probet ſeipſum homo*, *& ſic de pane illo edat & de calice bibat : qui enim* „ *manducat & bibit indigne*, *&c.*

Objicit Dallæus illud Laurentii Novarienſis *ex homil.* 1. *de Pœnitentia*, ubi poſtquam multa diſputavit de Baptiſmo , quo priora peccata abſterſa ſunt ; addit , ad cætera quæ poſtmodum irrepant, non opus eſſe deinceps doctore , non dextra Sacerdotis : eſſe enim in ipſo peccatore fontem quo ablui poſſint . Sic autem loquitur : “ Ex illa die „ illaque hora , qua egreſſus es de lavacro , ipſe tibi fons jugis , & „ diuturna remiſſio . Non opus habes doctore ; non dextra Sacerdotis . Mox ut aſcendiſti de ſacro fonte , veſtitus es veſte alba , & „ unctus es unguento myſtico : facta eſt ſuper te invocatio , & venit „ ſuper te trina virtus , quæ vas novum hac nova perfudit doctrina. „ Exinde teipſum ſtatuit tibi judicem & arbitrum ; deditque tibi notitiam ut poſſis ex te diſcere bonum & malum , id eſt inter meri-

„ tum & peccatum . Et quia non poteras , manens in membris cor-
„ poriſque compage , liber exiſtere a peccato , immuniſque eſſe a no-
„ xa ; poſt Baptiſma remedium tuum in te ipſo ſtatuit, remiſſionem-
„ que in arbitrio tuo poſuit , ut non quæras Sacerdotem cum neceſ-
„ ſitas flagitaverit , ſed ipſe jam , ac ſi ſcitus perſpicuuſque magiſter,
„ errorem tuum intra te emendes', & peccatum tuum pœnitudine ab-
„ luas. Itaque deſinat duritia , ceſſet deſperatio , deſinat ignavia: fons
„ nunquam deficit ; aqua intus eſt ; ablutio in arbitrio eſt ; ſatisfa-
„ ctio in ſolertia eſt ; remiſſio in rore eſt lacrymarum : noli tete ſol-
„ vere in ſegnitiem: fons eſt in homine conſervatus perpetua pœnitudo.
„ .... Noli tu jam quærere, neque Joannem , neque Jordanem: ipſe tibi
„ eſto Baptiſta. Pollutus es poſt lavacrum, vitiata ſunt viſcera, contami-
„ nata eſt anima? Tinge te aqua Pœnitentiæ, ablue te abundantia lacry-
„ marum, exuberet fons compunctionis in extis tuis, exundent aquæ vi-
„ væ in fibris tuis.

Hæc Laurentius Novarienſis , qui ab his ſexto , ab illis decimo tantum ſæculo vixiſſe perhibetur . Unde Dallæus: Baptiſmo ſemel tinctis, inquit, dextra Sacerdotis amplius opus eſſe negat Laurentius Novarienſis. At illud falſum eſt, ſi nullum eorum delictorum , in quæ exinde incidant , ſine ſacerdotali dextera remitti poteſt. Ergo.

Respondeo 1. non eſſe preſſius urgenda ab adverſariis verba Laurentii Novarienſis, ne in ipſorum caput recidant. Ex iis enim ſequeretur, non modo nullam fuiſſe tunc Pœnitentiæ publicæ neceſſitatem, quam tamen agnoſcunt; ſed etiam nec doctoribus poſt Baptiſma opus eſſe; quod Dallæus noluerit.

Respondeo 2. ſic intelligenda eſſe hæc dicta, ut poſt Baptiſmum non amplius opus ſit Sacerdote ad ablutionem peccatorum aqua faciendam; non vero ad remiſſionem eorum ac veniam concedendam. Is nempe unus eſt Laurentii ſcopus, ut doceat omnia, quæ per vitam admittuntur, peccata aliquo Baptiſmo delenda eſſe : duplicem autem ea de cauſa diſtinguit Baptiſmum, unum aquæ ſacramentalis, alterum lacrymarum. Prior eſt extra Pœnitentem & a Sacerdote adminiſtratur : alter eſt penes unum Pœnitentem: de hoc ait: " Non opus habes doctore, non dextra Sa-
„ cerdotis : remedium tuum in te ipſo ſtatuit : fons nunquam deficit :
„ aqua intus eſt : remiſſio in rore eſt lacrymarum : noli tu jam quærere
„ neque Joannem neque Jordanem : ipſe tibi eſto Baptiſta : tinge te aqua
„ Pœnitentiæ, ablue te abundantia lacrymarum, exuberet fons compun-
„ ctionis, exundent aquæ vivæ in fibris tuis. " Et ea ſane ſunt veriſſima : ſed non officiunt Confeſſioni apud Sacerdotem alias faciendæ. Quod addit Laurentius, " Unumquemque poſt Baptiſma ſibi eſſe deinceps judi-
„ cem & arbitrum, " intra eoſdem fines eſt coercendum : ita ut quiſque ad hunc Baptiſmum lacrymarum pro conſcientia ſua recurrat : uniuſcujuſque enim eſt judicare, an & quantum flere debeat. Nodum ergo in ſcirpo quærit Dallæus.

Ex

Ex ſeptimo ſæculo.

Primo S. Gregorius Magnus.

In 1. Reg. cap. 15. lib. 6. ad illud Saulis, *Peccavi : ſed nunc honora me coram ſenioribus.* " Quid prodeſt, inquit, confiteri flagitia, ſi Confeſ-
„ ſionis vocem non ſequitur afflictio Pœnitentiæ? Tria quippe in uno-
„ quoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente, videlicet converſio men-
„ tis, Confeſſio oris, & vindicta peccati : nam qui corde non conver-
„ titur, quid prodeſt ei ſi peccata confiteatur? .... Nonnulli quidem
„ ſunt, qui peccata confitendo aperiunt; ſed non convertendo, nequa-
„ quam deteſtantur : hi profecto confitendo nihil agunt, quia quod
„ loquendo ejiciunt, amando introducunt .... *Corde creditur ad juſti-*
„ *tiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem* .... Tertia .... ſpecies, id
„ eſt vindicta, quaſi medicina neceſſaria eſt, ut apoſtema reatus, quod
„ converſione compungitur, confitendo purgetur, afflictioniſque medici-
„ na ſanetur .... Unde Joannes .... *Facite ergo dignos fructus Pœni-*
„ *tentiæ*. Quaſi arbor quippe bona voluntas eſt : Confeſſionis ergo verba
„ quid ſunt aliud niſi folia? Non ergo nobis folia propter ſeipſa, ſed
„ propter fructum expetenda ſunt : quia idcirco omnis Confeſſio pecca-
„ torum recipitur, ut fructus Pœnitentiæ ſubſequatur.

Homil. 26. in Evang. ad illud Joannis : *Quorum remiſeritis peccata &c.* " Ecce, inquit, principatum ſuperni judicii ſortiuntur (diſcipuli,)
„ ut vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent : ...
„ horum profecto nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent : ... gran-
„ dis honor, ſed grave pondus .... Cauſæ penſandæ ſunt, & tunc li-
„ gandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt quæ culpa
„ præceſſit, aut quæ ſit Pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos om-
„ nipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſen-
„ tentia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio Præſidentis, cum æter-
„ ni arbitrium ſequitur judicis : quod bene quatriduani mortui reſuſci-
„ tatio illa ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia prius mortuum Do-
„ minus vocavit & vivificavit, dicens : *Lazare veni foras :* & poſtmodum
„ is qui vivens egreſſus fuerat, a diſcipulis eſt ſolutus; ſicut ſcriptum eſt :
„ *Solvite eum & ſinite abire* ... Lazaro nequaquam dicitur *Reviviſce*, ſed
„ *Veni foras*. Omnis quippe peccator dum culpam ſuam intra conſcien-
„ tiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur; ſed
„ mortuus venit foras, cum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur.
„ Lazaro ergo dicitur; *Veni foras :* ac ſi aperte cuilibet mortuo in cul-
„ pa diceretur : Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras
„ jam per Confeſſionem egredere, quia apud te interius per negatio-
„ nem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur
„ peccator : venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut Paſtores Eccle-
„ ſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit qui non erubuit con-
„ fiteri quod fecit.

Hom. 40. " Quid eſt peccatorum Confeſſio, niſi quædam vulnerum
„ ruptio? quia peccati virus ſalubriter aperitur in Confeſſione, quod
„ peſtifere latebat in mente .... Confitendo peccata, quid aliud agi-
„ mus, niſi malum quod in nobis latebat, aperimus? .... Doctores
„ ſancti dum in Confeſſione peccati noſtri nos inſtruunt, quaſi vulnus
„ mentis per linguam tangunt: & quia nos, loquendo, a peccatis eri-
„ piunt, quaſi tangendo vulnera ad ſalutem reducunt.

Iſta decretoria ſunt: agit enim Gregorius 1. de omnibus peccatis, de unoquoque veraciter pœnitente, de omni peccatore, de quolibet mortuo in culpa: 2. de peccatis occultis, quæ Confeſſione aperiantur, quæ intra conſcientiam abſcondantur, introrſum lateant, & in pœnitentibus occultentur: 3. de Confeſſione facienda Dei miniſtris: Confeſſionem enim Saulis coram Samuele factam exponit, cui ſimilem noſtram eſſe jubet: voce eam fieri oportere decernit: denique Sacerdotes, Epiſcopos & Doctores Eccleſiæ conceptis verbis appellat: 4. ejuſdem Confeſſionis neceſſitatem agnoſcit: eam enim tam neceſſariam putat, quam cordis converſionem; ſine ea ligatos ſemper eſſe peccatores cenſet: denique lethiferam peſtem quandam eſſe peccatum ait, niſi foras prodeat, & Sacerdotibus aperiatur. Ergo.

Secundo Sonnatius archiepiſcopus Remenſis ad annum 630. *tom.* 5. *Conciliorum*, *in ſtatutis Eccleſiæ ſuæ*, *can.* 8. " Nemo, inquit, tempore
„ Quadrageſimæ pœnitentium Confeſſiones audiat præter Paſtorem; hu-
„ jus enim intereſt ovem recognoſcere, pro qua ſuam animam fœne-
„ rat Domino. " Ibi, ut manifeſtum eſt, tanto ante præſcribitur, quod poſtmodum ſancivit ſynodus Lateranenſis.

Tertio Synodus Cabillonenſis anno 650. ex variis provinciis coacta juſſu Clodovæi II. *can.* 8. poſtquam Pœnitentiæ utilitatem commendavit, ſic habet: " Et ut Pœnitentibus a Sacerdotibus data Confeſſione
„ indicatur Pœnitentia, univerſitas Sacerdotum noſcitur conſentire. "
Ergo ex omnium Sacerdotum conſenſione Confeſſio neceſſaria putabatur, ad agendam rite Pœnitentiam.

Quarto Eligius, qui huic Concilio ſubſcripſit, *hom.* 4. " Cum tanta
„ eſt, inquit, plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta
„ corporis & ſanguinis Domini differenda ſint; auctoritate Antiſtitis
„ debet ſe quiſque ab altari removere ad agendam Pœnitentiam, & ea-
„ dem auctoritate reconciliari: lectum quippe modo eſt: *Qui mandu-*
„ *cat & bibit indigne*, *judicium ſibi manducat & bibit* .... Hoc eſt enim
„ indigne illud accipere, qui accipiat eo tempore quo debet Pœniten-
„ tiam agere .... Loquitur Apoſtolus ... *Si quà in Chriſto nova crea-*
„ *tura*, *vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova* .... Vetera ſunt
„ peccata, ad veterem hominem pertinentia, quæ ſunt, infidelitas, in-
„ juſtitia, inobedientia, concupiſcentia mala, avaritia, rapina, adulte-
„ rium: quæ idem Apoſtolus ad Galatas enumerat dicens: *Manifeſta*
„ *ſunt opera carnis*, id eſt, opera peccati, *quæ ſunt fornicatio*, *immundi-*

„ *tia*,

„ *tia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmu-*
„ *lationes, . . . invidiæ, . . . & his ſimilia, quæ prædico vobis . . , ſicut*
„ *prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Qui
„ ergo ex vobis talibus & his ſimilibus involuti ſceleribus fuerint, &
„ per Confeſſionem ac Pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactio-
„ nem egerint, non ſe a nobis reconciliari poſſe exiſtiment .... In re-
„ conciliatione autem veſtra nolite nos Epiſcopos attendere ut aucto-
„ res, ſed ut miniſtros . . . Ideoque, quia Chriſti vices agimus, quos
„ ille inviſibiliter abſolvendo dignos ſua reconciliatione judicat, nos,
„ viſibiliter reconciliando, per officium noſtri miniſterii abſolvimus
„ . . . . Nam quamvis Deus, ſicut dicit S. Leo, ſic ſuæ bonitatis præ-
„ ſidia ordinaverit, ut indulgentia ipſius niſi ſupplicationibus Sacerdo-
„ tum nequeat obtineri; . . . huic tamen operi inceſſabiliter ipſe Sal-
„ vator intervenit, nec unquam ab his abeſt, quæ miniſtris ſuis exe-
„ quenda commiſit.

Homil. 11. “ Servo Dei, inquit, tanta debet eſſe peccati recordatio,
„ ut ea quæ geſſit ſemper cum lacrymis confitearur : . . . hinc ſcrip-
„ ptum eſt : *Dic tu iniquitates tuas, ut juſtificeris*. Ex eo enim unuſ-
„ quiſque juſtus eſſe incipit, ex quo ſui accuſator extiterit. Confeſſio
„ enim Pœnitentiam monſtrat; Pœnitentia ſatisfactionem oſtentat; ſa-
„ tisfactio veniam ſibi divina pietate conciliat. Nec enim poterit in-
„ dulgentia tribui, niſi ira Dei poſſit Confeſſione placari : . . . . nec
„ peccator jam poterit excuſari, qui Confeſſionem, per quam venia
„ naſcitur, non properavit amplecti; ne poſſet reus gemino crimine
„ detineri, dum primo legem contempſit, ut delinqueret, & Confeſſio-
„ nis remedia amplecti noluit, ut periret . . . . Confeſſio afferat ſalu-
„ tem cui contemptus accelerat mortem. Confiteantur ſinguli, quæſo
„ vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt,
„ dum admitti Confeſſio ejus poteſt . . . . Ad vos . . . . nunc . . . no-
„ ſter ſermo transfertur, quos ſub pœnitudinis habitu conſtitutos, fa-
„ cie ſqualida & crine demiſſo, peccata veſtra planxiſſe conſideramus.
„ Ante omnia vobis ſcire neceſſe eſt, quia licet impoſitionem manuum
„ noſtrarum accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum veſtro-
„ rum conſequi non poteſtis, antequam per compunctionis gratiam di-
„ vina pietas vos abſolvere dignabitur : Tunc enim ut beatus dicit
„ Gregorius, vera eſt abſolutio Præſidentis, cum æterni ſequitur arbi-
„ trium judicis. ” Locum enim illum e Gregorio exſcribit de Confeſ-
ſionis neceſſitate, & abſolutionis ſacerdotalis conditione, quem *ſupra*
uſurpavimus. Utrobique, ut patet, loquitur Eligius de Confeſſione fa-
cienda Sacerdotibus, & de reconciliationis Eccleſiaſticæ neceſſitate : de-
inde de Confeſſione omnium peccatorum, quæ excludant a regno Dei,
licet illa arcana ſint, quales ſunt invidiæ & ſimiles animi ægritudines;
nec de eo tantum noxarum genere verba facit, quæ Pœnitentiæ publi-
cæ obnoxiæ eſſent. *Homil.* enim 11. Chriſtianos, quos primo alloqui-

tur, ſecernit ab iis qui publicæ Pœnitentiæ addicti forent : ea autem omnia delicta expiari non poſſe ſancit, niſi 1. compunctionis gratia, 2. Confeſſionis ope, 3. ſupplicationibus Sacerdotum. Ergo.

Hæc autem quæ de Confeſſione ex Eligio adduximus, ex ejuſdem Præſulis vita robur accipiunt. Nam in ſermone quodam quem refert in ejus vita Audoenus *tomo* 5. *Spicilegii pag.* 224. " Conſiderate, quæſo, inquit, quam pernicioſum eſt opera Diaboli exercere, ejuſque „ participem fieri .... in pœna gehennæ. Idcirco quotieſcunque peccatis, nolite expectare, mortifera ſecuritate, ut vulnera ipſa putreſcant, nec alia inſuper augeatis; ſed continuo per Pœnitentiæ Confeſſionem remedium vobis adhibere feſtinate.

Et dictis facta præiverant : " Ipſe enim Eligius egregio cæteris „ exemplo, ut refert idem Audoenus *ibid. pag.* 159. cum jam virilem „ ageret ætatem, cupiens ſe vas Deo exhibere ſanctificatum, ac metuens ne aliqua ſuum delicta pectus fruſtrarent, omnia ab adoleſcentia ſua coram Sacerdote confeſſus eſt acta.

At, inquit Dallæus, eadem *hom.* 4. quæ modo allegata eſt, Eligius ſic ait, " Multiplex miſericordia ejus (Dei) ad expiationem criminum: „ ..... fit abſolutio peccatorum per charitatis affectum, per eleemoſynarum fructum, per profuſionem lacrymarum, per Confeſſionem criminum, per cordis & corporis afflictionem, pæcipueque per morum „ emendationem, interdum etiam per Sanctorum interceſſionem, per „ indulgentiam quoque qua peccantibus in nos dimittimus; quibus omnibus modis aboleri poſſe peccata, divina teſtis eſt Scriptura: ...... „ quis miſer ..... deſperatione aliqua frangatur? " Ergo, inquit Dallæus, præter Confeſſionem alia eaque multiplex via eſt qua venia criminum obtineri queat.

Respondeo Eligium id unum velle, veniam ſcilicet multis modis obtineri, & peccata multiplici etiam ratione expiari poſſe: & illud ultro admittimus: venia enim peccatorum aliquando ſolo charitatis affectu impetratur; aliquando in eleemoſynarum erogatione conceditur; aliquando in Confeſſione; aliquando in lacrymarum profuſione : pariter pœna peccatis debita expungi poteſt & charitatis ardore, & ubertate lacrymarum, & in pauperes liberalitate. Hoc autem pronuntiat Eligius in gratiam eorum qui, piæ corporis imbecillitate aut temporis anguſtia, non poterant digna & juſta Pœnitentia defungi; ne videlicet de ſalute deſperarent : quid porro hoc ad Confeſſionis neceſſitatem ſubruendam?

Quinto Philibertus ad annum 684. abbas Gemeticenſis eandem Confeſſionis neceſſitatem agnoſcebat : de eo enim ſic ait auctor ejus vitæ apud Mabillonium *ſæculo 2. Benedictino*: " Cum unus monachus veniſſet ad extremum mortis, mutus effectus eſt labiis: ingreſſus Dei Sacerdos ad illum, blandiens ſuadere cœpit, ut ſi haberet occultum „ facinus, unde Pœnitentiam non egiſſet, manum ejus ſtringeret; cum-

„ que

„ que ille ita feciſſet, ingreſſus vir Dei eccleſiam ſanctæ Mariæ, cœ-
„ pit Dominum exorare ut ægro dignaretur linguam reddere, NE AD-
„ VERSARIUS ANIMAM PRO ABSCONSO CRIMINE VALERET SUB-
„ MERGERE IN BARATHRUM INFERNI: cumque Sanctus de oratio-
„ ne conſurgeret, ei frater alius nuntiavit quod æger loqui valeret, &
„ CONFESSIONEM EI DARE SATAGERET, quod ita factum eſt:
„ nam Confeſſione data, & recepta Pœnitentia, reddidit animam
„ Deo, ut nec Sanctus de Domino diffideret, nec æger in deſperatio-
„ nem tranſiret.

Sexto ſynodus Trullana anno *692.* ex pleriſque Orientalibus eccleſiis congregata, poſt præſcriptam corporis Chriſti reverenter accipiendi rationem, ita de Pœnitentia ei præmittenda loquitur *can.* 102. “
„ Oportet autem eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem a Deo acce-
„ pere, peccati qualitatem conſiderare, & ejus qui peccavit ad conver-
„ ſionem promptum ſtudium; & ſic morbo convenientem afferre me-
„ dicinam, ne ſi in utroque immoderatione utatur, ab ejus, qui labo-
„ rat, ſalute excidat. Non enim ſimplex eſt morbus peccati, ſed va-
„ rius & multiformis.

Ex his autem nullo negotio elicitur Confeſſionis uſus. Quo enim pacto Sacerdos convenientem variis peccatorum morbis medicinam afferet, niſi ea cognoſcat? qui autem cognoſcet, niſi Confeſſione? Ergo ad id neceſſariam eſſe credit Synodus omnium, ac ſigillatim quidem, peccatorum Confeſſionem.

Ex octavo ſæculo.

Primo Nicephorus Chartophilax, qui Concilii hujus meminit, *in quodam de poteſtate ligandi & ſolvendi excerpto*, *tom. 3. Bibliothecæ Patrum* ſic ait: “ Ligandi ſolvendique provincia Pontificibus ipſis a cle-
„ mentiſſimo Deo noſtro demandata eſt: ſiquidem ad Petrum ait: *Quæ-*
„ *cunque ligaveris &c.* Unde olim oportebat ad ipſos Pontifices accede-
„ re, SUAQUE ILLIS OCCULTA PRODERE, & ſic vel reconciliatio-
„ nem vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum ſit ut hæc minus
„ obſerventur; quamvis exiſtimem Pontifices negotii tædio ..... defati-
„ gatos, id operæ ad Monachos tranſmiſiſſe, ad eos ſcilicet, qui ve-
„ re probati ſunt, aliiſque valeant eſſe utiles.“ Miratur ille quidem qui factum ſit, ut Confeſſionum excipiendarum onus Pontifices in Monachos contuliſſent; ſed interim de omnibus loquitur peccatoribus ſine ullo diſcrimine, de peccatoribus, inquam, qui occulta peccata admiſerunt; affirmat autem oportuiſſe eos ad Sacerdotes, ſi venia potiri vellent, accedere.

Secundo Egbertus Eboracenſis in Anglia archiepiſcopus *in pœnitentiali libello*, apud Morinum *in appendice pag.* 12. *col.* 2. modum inſtituendæ Confeſſionis tradens, 1. enumerat octo peccata capitalia, quæ ſin-

gula Confeſſioni ſubjicit: 2. exhortans pœnitentem ad aperienda iſta crimina: „ Quando volueris, inquit, Confeſſionem facere peccatorum „ tuorum, viriliter age, & noli erubeſcere; ..... QUIA SINE CON- „ FESSIONE NON EST INDULGENTIA: “ 3. eundem pœnitentem ſic „ loquentem inducit: Confiteor coram Deo omnipotente ...... & co- „ ram te Sacerdote, quia nimis peccavi in cogitationibus nefandiſſi- „ mis..... Confiteor odia cordis mei ..... CORPUS ET SANGUINEM „ DOMINI POLLUTO CORDE ET CORPORE, SINE CONFESSIONE „ ET POENITENTIA, SCIENTER INDIGNE ACCEPI. “ Quæ meridiana luce clarius oſtendunt per id ævi & frequentatam & pro neceſſaria habitam eſſe Confeſſionem Sacerdoti faciendam omnium peccatorum lethalium, etiam in intimo cordis ac mentis receſſu latitantium.

Tertio Venerabilis Beda multifariam idem aſtruit *in caput* 5. *epiſt. Jacobi*, ad illud de Extrema-unctione Apoſtoli dictum, *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*: „ Multi, inquit, propter peccata IN ANI- „ MA FACTA, infirmitate aut etiam morte plectuntur corporis: ..... „ ſi ergo infirmi in peccatis ſint, & hæc PRESBYTERIS ECCLESIÆ „ CONFESSI FUERINT, ac perfecto corde ea relinquere atque emen- „ dare ſategerint, dimittentur eis. NEQUE ENIM SINE CONFES- „ SIONE EMENDATIONIS PECCATA QUEUNT DIMITTI. Unde recte „ ſubjungitur: *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra* ...... In hac „ autem ſententia, illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana leviaque „ peccata alterutrum coæqualibus confiteamur...... PORRO GRAVIO- „ RIS LEPRÆ IMMUNDITIAM, JUXTA LEGEM, SACERDOTI „ PANDAMUS; atque ad ejus arbitrium, qualiter & quanto tempore „ juſſerit, purificari curemus. “ Quid ſplendidius? eo enim loci commemorat Beda ipſa etiam peccata in anima facta: Deinde omnia peccata diſtinguit in levia quæ, cum quotidiana ſint, juſtis etiam obrepunt, ac gravioris immunditiæ lepram. Porro levia quidem non eſſe Sacerdotibus neceſſario confitenda ſtatuit; ſed alia, juxta legem, eis eſſe aperienda decernit, atque adeo omnia lethalia: ſic porro hæc ſingula confitenda pronuntiat ut ſine Confeſſione venia ſperari non poſſit.....

AT, inquit Dallæus, *lepræ* illius nomine Beda nihil aliud intellexit quam publica flagitia, quæ Pœnitentiæ ſolemni ſubdita erant. Sic enim habet *lib.* 5. *in Lucam c.* 17. ad illa verba, *Occurrerunt ei decem leproſi*: “ Leproſi, inquit, non abſurde intelligi poſſunt, qui ſcientiam ve- „ ræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. “ Dehinc ad illud *Jeſu præceptor*: “ Et bene, inquit, ut ſalventur, Jeſum præce- „ *ptorem* nominant; quia enim ſe erraſſe ſignificant, hunc ſalvandi hu- „ militer præceptorem vocant. “ Tandem ad id Chriſti: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, ſic pergit: “ Nullum Dominus eorum, quibus hæc „ corporalia beneficia præſtitit, invenitur miſiſſe ad Sacerdotes, niſi

„ lepro-

„ leproſos ; quia videlicet ſacerdotium Judæorum figura erat futuri ſa-
„ cerdotii regalis, quod eſt in Eccleſia, quo conſecrantur omnes per-
„ tinentes ad corpus Chriſti .... Et quiſquis vel hæretica pravitate,
„ vel ſuperſtitione gentili, vel judaica perfidia, vel etiam ſchiſmate
„ fraterno, quaſi vario colore per Domini gratiam caruerit, neceſſe
„ eſt ad Eccleſiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit,
„ oſtendat. Cætera vero vitia tanquam valetudinis & quaſi membro-
„ rum animæ atque ſenſuum, per ſeipſum interius in conſcientia &
„ intellectu Dominus ſanat & corrigit.

Ergo liquet, inquit Dallæus, eam Confeſſionem, qua Beda gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandendam eſſe ſcribit, eam eſſe, qua publicam Penitentiam peterent: cætera omnia delicta nihil tum ex ulla Eccleſiæ lege neceſſe fuiſſe apud Sacerdotes confiteri.

Respondeo hanc *lepræ* interpretationem perperam confundi a Dallæo cum altera, quaſi eodem recidant: hæ enim ambæ expoſitiones non ſolum diſtinctæ, ſed etiam omnino diverſæ ſunt. Nempe *in epiſtolam Jacobi*, Beda *lepræ* vocabulo omnia intelligit peccata, quæ non eſſent levia, venialia ac quotidiana; *in Lucam* vero quatuor tantum, nempe gentilitatem, judaicam perfidiam, hæreticam pravitatem & ſchiſma.

Respondeo 2. eſſe hic immanem Dallæi halluccinationem: ipſe enim Bedam accipit de omnibus peccatis, quæ a fidelibus in Eccleſiæ ſinu admiſſa, Pœnitentiæ publicæ laboribus expiabantur: Beda autem loquitur conceptis verbis de quatuor tantum delictis quæ extra Eccleſiam admittantur.

Respondeo 3. ſi verba Bedæ exponerentur de omnibus peccatis quæ tunc Pœnitentiæ publicæ obnoxia erant, everſam iri Dallæi ſententiam de Pœnitentia publica. Nam Dallæus exiſtimat crimina omnia publica fuiſſe huic Pœnitentiæ addicta; agit autem Beda ſolum de quatuor, ut ſæpius diximus: ex quo ſequeretur ævo Bedæ venerabilis, quatuor hæc tantum capitalia facinora his pœnis plexa eſſe; ab his autem pœnis ac laboribus immunia fuiſſe cætera omnia quæ intra Eccleſiam perpetrari poſſent: quod & a vero & a Dallæi mente procul abeſt.

Respondeo 4. Bedam eſſe intelligendum de Confeſſione publica Sacerdotum collegio facienda, ad recipiendum verum fidei aut Eccleſiæ unitatis colorem: qui enim gentilis eſt, aut judæus, aut hæreticus, aut ſchiſmaticus, ad Eccleſiam accedit, hancque lepram ſuam publice confitetur, ut in ejus gremium accipiatur: hoc autem locum non habet in reliquis peccatis. Sic Bedam olim ex profeſſo interpretatus eſt Goffridus Vindocinenſis: quo ſemel poſito plana ſunt omnia.

Quod enim Beda præter hæc quatuor extra Eccleſiæ ſocietatem admiſſa crimina, quæ palam oſtendenda erant Sacerdotibus, ut olim lepra in Moſaica lege, alia agnoſceret ſecreta Confeſſione ſub pœna æternæ da-

damnationis eluenda, conſtat ex inſigni exemplo cujuſdam militis chriſtiani & catholici, quem refert *lib.* 5. *hiſt. Eccleſ. cap.* 14. Is enim cum Regi charus eſſet, nec ad chriſtianæ diſciplinæ normam viveret, a pio principe ſępe monitus eſt, ut ſuorum peccatorum Confeſſionem pro more faceret: cum autem his monitis etiam in gravi morbo non obtemperaſſet, narrat Beda eum poſt horribilem quandam viſionem ad inferni ſempiternos cruciatus raptum eſſe, ibi dilatę ac neglectę Confeſſionis juſtiſſimas pœnas daturum: ac proinde per id temporis Confeſſionis aliorum etiam peccatorum neceſſitas admittebatur.

Quarto S. Bonifacius Germanię apoſtolus *in ſynodo Germanica an.* 742. *c.* 2. prohibendum curavit ne ſervi Dei arma tractarent, aut exercitus ſequerentur: " Attamen permittendum, ut unuſquiſque Prę„ fectus (habeat) unum Presbyterum, qui hominibus peccata confi„ tentibus judicare & indicare Pœnitentiam poſſit: " quod probavit anno ſequenti concilium Leptinenſe *can.* 1.

Epiſt. 19. *ad Ethebaldum Regem Merciorum in Anglia*, de Ceolredo rege ejuſdem gentis narrat quod poſt multa flagitia, " Sine Pœniten„ tia & Confesſione.... de hac luce ſine dubio ad tormenta inferni mi„ gravit.

Epiſt. ad Zachariam ſummum pontificem, quę lecta eſt in concilio Romano Secundo, anno 745. & Aldeberti cujuſdam natione Galli, & Clementis Scoti hęreticorum dogmata perſequitur, id inter cętera veluti peſtilentiſsimum commemorat, quod Confeſsionem non neceſſariam eſſe prędicaret Aldebertus; " Tum demum, inquit, quod maximum „ ſcelus & blaſphemia contra Deum eſſe videbatur, fecit. Venienti „ enim populo, & proſtrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri „ peccata ſua dixit: Scio omnia peccata veſtra, quia cognita ſunt mi„ hi omnia occulta: non eſt opus confiteri; ſed dimiſſa ſunt peccata „ veſtra pręterita: ſecuri & abſoluti redite ad domos veſtras cum „ pace.

Tribus his in locis apparet, cum virtus, tum neceſsitas Confeſsionis, etiam occultorum peccatorum.

Quinto Alcuinus pręclari nominis tum abbas & Caroli Magni magiſter, cum quidam in provincia Gothorum Confeſsionis neceſſitatem elevare conarentur, eorum doctrinam cum catholica fide pugnare affirmat: ſic autem diſſerit *Epiſt.* 7. alias 26. " Dicitur, inquit, nemi„ nem ex laicis ſuam velle CONFESSIONEM DARE SACERDOTIBUS „ quos a Deo Chriſto cum ſanctis Apoſtolis ligandi ſolvendique pote„ ſtatem accepiſſe credimus. Quid ſolvit ſacerdotalis poteſtas, ſi vin„ cula non conſiderat ligati? .... Cur ipſe Chriſtus leproſum, quem „ mundavit, Sacerdotibus ſe juſſit oſtendere? Cur Lazarum quatri„ duanum reſuſcitatum alios ſolvere juſſit? Spernis apoſtolicum præce„ ptum dicentis..... CONFITEMINI ALTERUTRUM PECCATA VE„ STRA: homo homini, ægrotus medico, reus judici. Nunquid Deo „ ab-

„ abſcondi poſſunt ſcelera noſtra? Ab homine poſſumus abſcondere quæ
„ agimus; at non Deo. ... Nonne in Baptiſmate Sacerdotibus Chriſti
„ noſtræ fidei Confeſſionem dare debemus? Cur etiam & in ſecundo
„ Pœnitentiæ baptiſmate per Confeſſionem humilitatis noſtræ ab omni-
„ bus poſt primum baptiſma peractis, eadem divina miſerante gratia,
„ ſacerdotali ſimiliter auxilio non debemus abſolvi peccatis? Hæc co-
„ gitate, ſequimini veſtigia Patrum, & nolite in catholicæ fidei reli-
„ gionem novas inducere ſectas. Cavete vobis venenoſum erraticæ in-
„ vectionis fermentum. Hæc Alcuinus.

Quis autem hic non conſpicit plenam ac perfectam noſtræ fidei de Confeſſione profeſſionem? 1. enim Alcuinus diſputat de omnibus peccatis poſt Baptiſma admiſſis, etiam iis quæ hominibus abſcondita, Deo ſoli cognita ſunt: 2. horum Confeſſionem neceſſariam ſtatuit: 3. hanc neceſſitatem ad Chriſti juſſum & Apoſtolorum præcepta refert: 4. id ad catholicæ fidei religionem pertinere, ſoloſque ſectarios huicce dogmati poſſe obniti aſſerit.

Adde 1. *Epiſtolam ad pueros ſancti Martini*, ubi eadem ex profeſſo de Confeſſione pronuntiat: 2. varias confitendorum peccatorum formulas 2. *parte de pſalterii uſu*, ubi idem omnino quod modo Egbertus præſcribit: illic enim Pœnitens ſeſe accuſat arcanorum etiam cordis, & quod corpus & ſanguinem Domini polluto corde & corpore ſine Confeſſione & Pœnitentia ſcienter indignus acceperit. Ergo.

Ex nono ſæculo.

Tot nobis præſto ſunt ex illo ævo veteris ac hodiernæ de Confeſſione doctrinæ argumenta, ut in iis aſſerendis modus neceſſario adhibendus ſit. Quocirca ea duntaxat ex tanta multitudine depromemus, quę reliquis expreſſiora viſa ſunt.

Primo igitur Carolus Magnus *in capitulari*, anno 801. præcipit *num.* 21. “ Ut cuncti Sacerdotes omnibus illis confitentibus eorum crimina „ dignam pœnitentiam cum ſumma vigilantia ipſis indicent. “ Quod indicat Confeſſionem exactam peccatorum tum maxime fuiſſe frequentatam.

Secundo Concilium Remenſe Secundum, anno 813. *can.* 12. in eamdem Pœnitentiam & iiſdem de cauſis incubuit. “ Omnibus his actis, „ inquit, ventilata eſt ratio Pœnitentiæ, ut Sacerdotes certius intelli- „ gerent quomodo Confeſſiones recipere, & Pœnitentiam ſecundum „ canonicam inſtitutionem Pœnitentiæ deberent indicare. “ *Can.* autem 13. de omnibus peccatis lethalibus faciendam eſſe Confeſſionem ſignificans, “ Ventilata eſt, inquit, ratio octo principalium vitiorum, „ ut unuſquiſque diverſitatem illorum ſciret. “ Quorſum tam ſollicita de his cura, niſi tum & uſitata & pro neceſſaria habita eſſet Confeſſio ſingulorum?

Ter-

Tertio Synodus Turonenſis III. cum idem omnino ſentiret, ſic edixit *can.* 22. eodem anno : " Epiſcopis ac Presbyteris diligenti cau-
„ tela pertractandum eſt, qualiter hominibus ſua ſibi delicta confiten-
„ tibus tempus abſtinendi aſcribant, ut juxta modum peccati pœniten-
„ tibus abſtinentia indicatur : quoniam varie ab aliquibus Sacerdotibus
„ & indiſcrete hæc judicia proferuntur. Ideo neceſſarium videbatur no-
„ bis, cum omnes Epiſcopi ad ſacrum palatium congregati fuerint,
„ ab eis edoceri, cujus antiquorum liber Pœnitentialis potiſſimum ſit
„ ſequendus. " Plures igitur tunc circumferebantur libri Pœnitentiales præteritis, ut vidimus, ſæculis ſcripti : ac illi quidem omnes in eo conſentiebant quod Confeſſio peccatorum omnium, etiam quam maxime in animo latentium, facienda eſſet; quod etiam oſtendimus. Hoc probant Patres concilii Turonenſis : ſed cum ex iis libris nonnulli laxioris eſſent diſciplinæ, deliberandum eſſe decernunt, cuinam ex illis vetuſtioribus libellis ſit præſertim adhærendum.

Quarto Synodus Cabillonenſis Secunda multis in canonibus de hoc capite agit : duos tantum referemus.

Canone 32. plenam peccatorum omnium etiam arcanorum Confeſsionem neceſſario eſſe faciendam docet. " Sed & hoc, inquit, emenda-
„ tione indigere perſpeximus, quod quidam dum confitentur peccata
„ ſua Sacerdotibus, NON PLENE ID FACIUNT. Quia ergo conſtat
„ hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima videlicet & corpore; &
„ interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur; ſolerti
„ indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriſque plena ſit
„ Confeſsio : ſcilicet ut ea confiteantur quæ per corpus geſta ſunt, &
„ ea in quibus SOLA COGITATIONE DELINQUITUR. Inſtruendus eſt
„ itaque peccatorum ſuorum confeſſor; ut de octo principalibus vitiis,
„ ſine quibus in hac vita difficile vivitur, faciat Confeſsionem, quia
„ aut COGITATIONE, aut, quod gravius eſt, opere eorum inſtinctu
„ peccavit. Odium etenim, invidia, ſuperbia, vel cæteræ hujuſmodi
„ peſtes tanto periculoſius lædunt, quanto ſubtilius ſerpunt. " Quo ſane haud ſcio an quidquam explicatius aut favorabilius nobis eſſe queat. Hoc autem jacto fundamento, quod nimirum expleta omnium ſigillatim delictorum Confeſsio unicuique principalium octo vitiorum reo præcepta ſit, de quo inter omnes conveniebat : Jam.

Canone 33. aliud veſtigat etiamnum in controverſia poſitum; an videlicet ejuſmodi Confeſsio neceſſaria ſit ad veniam conſequendam; an vero remiſsio peccatorum ante obtineri queat ope ſolius Confeſsionis Deo factæ : qua de re duæ opiniones memorantur, quarum una id affirmat, altera negat. Quidquid autem ſit de hac quæſtione, pronuntiat Synodus utramque Confeſsionem eſſe frequentandam. En verba : " Quidam, inquiunt Patres, Deo ſolummodo confiteri debere dicunt
„ peccata (ad indulgentiam impetrandam), quidam vero Sacerdotibus
„ confitenda eſſe percenſent; quod utrumque non ſine magno fructu in-

„ tra ſanctam fit Eccleſiam: ita duntaxat, ut & Deo qui remiſſor eſt „ peccatorum confiteamur peccata noſtra, & cum David dicamus, *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi:* & ſecundum inſtitutionem Apoſtoli, *Confiteamur alterutrum peccata noſtra...* „ Confeſſio itaque quæ Deo fit, purgat peccata; ea vero quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipſa purgentur peccata. Deus namque ſalutis „ & ſanitatis auctor & largitor plerumque hanc præbet ſuæ potentiæ „ inviſibili adminiſtratione, plerumque medicorum operatione. " Primas quidem hujus canonis voces in nos torquet Dallæus, quaſi duæ ibi recenſeantur Catholicorum ſententiæ, quarum una neceſſitatem Confeſſionis Sacerdoti faciendæ, altera ſufficientiam Confeſſionis Deo factæ ſimpliciter defenderent. At, ut obſcura ſint priora hæc verba, quis æquus rerum æſtimator non videat ea ex antecedentibus ac conſequentibus & totius ſententiæ contextu eſſe exponenda? Ac 1. Alcuinum audivimus teſtantem catholicam non eſſe eam ſententiam quæ Confeſſionis neceſſitatem tolleret. 2. Hæc eadem ſynodus Cabillonenſis *can.* 32. jam definierat omnium omnino ſine ullo diſcrimine peccatorum Confeſsionem apud Sacerdotes eſſe inſtituendam. 3. Hoc ipſo in loco agnoſcit apoſtolicam legem de Confeſsione Sacerdotibus facienda. 4. Diſerte ſignificat ſe agere tantum de fructu, de ſalute ac ſanitate animorum, de qua controverſia erat, an eam præſtaret Deus ante Sacramentum inviſibili operatione, an vero tantum in Sacramento medicorum operatione. Quis autem non fateatur hunc ſenſum eſſe alteri anteponendum, quem & totius Eccleſiæ eo tempore fides, & præcedentis canonis auctoritas, & Synodi ſcopus, & verba ipſa commonſtrent.

Is porro Canon ex vetuſto Theodori Cantuarienſis archiepiſcopi, qui ſeptimo ſæculo in magna nominis commendatione fuit, Pœnitentiali exſcriptus eſſe dicitur: cui proinde eadem reſponſio adhibenda eſt. Quæ autem a Burchardo, Ivone & Gratiano eidem Theodori canoni aſſuta ſunt, poſtmodum excutiemus.

Quinto Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, qui anno 821. mortuus eſſe dicitur, hanc eandem doctrinam *capitulari ſuo* conſignavit. Is enim, poſtquam *cap.* 30. diſſeruit de Confeſſione peccatorum Deo quotidie facienda, ſtatim *cap.* 31. de Confeſſione Sacerdoti facienda ſic loquitur: " Confeſſiones, inquit, dandæ ſunt de omnibus peccatis, quæ ſive in opere, SIVE IN COGITATIONE perpetrantur. „ Octo ſunt principalia vitia ſine quibus vix ullus inveniri poteſt .... „ Quando ergo quis ad Confeſſionem venit, diligenter debet inquiri, „ quomodo aut qua occaſione peccatum perpetravit quod peregiſſe ſe „ confitetur; & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei perſuaderi ut & DE PERVERSIS COGITATIONIBUS FACIAT „ CONFESSIONEM. Debet ei etiam injungi, ut de octo principalibus „ vitiis faciat ſuam Confeſſionem; & nominatim debet ei Sacerdos „ unumquodque vitium dicere, & ſuam de eo Confeſſionem accipe-

„ re.

„ re ; “ *Cap.* autem 36. tempus etiam deſignat : “ Hebdomada una, „ inquit, ante initium Quadrageſimæ Confeſſiones Sacerdotibus dandæ „ ſunt , Pœnitentia accipienda; ....& ſic ....per Pœnitentiam ſe renovent, quæ eſt ſecundus baptiſmus. Sicut enim Baptiſmus peccata , ita „ Pœnitentia purgat : & quia poſt Baptiſmum peccator denuo non „ poteſt baptizari , hoc medicamentum a Domino Pœnitentiæ datum „ eſt , ut per eam vice Baptiſmi peccata poſt Baptiſmum diluantur.“ Hactenus Theodulphus ; & ita cumulate ut nihil amplius deſideretur.

At , inquit Dallæus , illico ſubdit Theodulphus multiplicem eſſe viam qua dimittantur peccata : nempe Baptiſma , martyrium , Pœnitentiam , eleemoſynas, injuriarum condonationem , charitatem : atque adeo harum unamquamque ſine Confeſſione ſatis eſſe.

Respondeo 1. Theodulphum eo loci agere de multiplici via , qua obtineri queat remiſſio peccatorum : multiplicem autem eam eſſe nos ipſi confitemur.

Respondeo 2. ex his pluribus viis aliquas eſſe quæ per ſe ſufficiant, alias quæ non ita . Sic enim eleemoſyna , imo nec martyrium , prodeſt ſine charitate.

Respondeo 3. quidquid ea de re ſtatuatur , eo non perimi Confeſſionis poſtea Sacerdoti faciendæ , juxta præceptum Chriſti , neceſſitatem.

Sexto Jonas Aurelianenſis item præſul , & Theodulphi ſucceſſor , ab ejus decretis non abiit : *Libro* enim 1. *de inſtructione laicali*, *cap.* 9. oſtendit quod , “ Quia Baptiſmus iterari non poteſt , neceſſario Pœ„ nitentia ſecundus ſit Baptiſmus . “ *Cap.* 10. “ Quod Pœnitentiæ il„ lius adeo neceſſariæ modus in arbitrio Sacerdotum ſit conſtitutus . “ *Cap.* 15. “ Quod præter Confeſſionem quæ Sacerdotibus abſque cun„ ctatione fieri debet , alia ſit inſuper Confeſſio neceſſario apud Deum „ inſtituenda . Denique *cap.* 16. “ Duplicis generis eſſe peccata , alia majora, alia venialia ac quotidiana: majora Sacerdotibus eſſe confitenda; levia vero cæteris: “ quam ad rem Bedæ locum *ad epiſt. Jacobi* a nobis modo laudatum uſurpat.

Septimo Concilium Pariſienſe VI. *canone* 46. vetat ne Monachi & Canonici Sanctimonialium monaſteria adeant , niſi inevitabilis neceſſitas id facere coegerit : id autem licitum eſſe declarat, ſi Sacerdotibus Sanctimoniales peccata ſua confiteri voluerint. Ergo Confeſſio putabatur eſſe inevitabilis neceſſitatis.

Octavo Benedictus Levita *in collectione capitularium ann.* 845. *lib.* 5. *cap.* 51. decernit ut “ Sacerdos homini ſibi confitenti manus imponat. „ Si occulte & ſponte confeſſus fuerit , occulte fiat ; & ſi publice .... „ confeſſus fuerit , publice ac manifeſte fiat ; .... quoniam ſine manus „ impoſitione nemo abſolvitur ligatus . “ Poſtea vero *cap.* 55. ad probandum adducit verba Leonis Papæ dicentis , “ Indulgentiam Dei

„ niſi

„ niſi ſupplicationibus Sacerdotum non poſſe obtineri , multumque „ utile ac neceſſarium eſſe , ut peccatorum reatus ante ultimum diem „ ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur . “ Quæ ſane ſunt diſertiſſima : ſermo enim fit tum de occultis , tum de publicis criminibus ; & ad eorum veniam abſolutio ſacerdotalis neceſſaria omnino eſſe prædicatur.

Nono Concilium Wormatienſe ann. 868. *can.* 25. “ Pœnitentibus, „ inquit , ſecundum differentiam peccatorum Sacerdotis arbitrio Pœ- „ nitentiæ decernuntur . Debet itaque Sacerdos in Pœnitentia danda „ ſingulorum cauſas ſigillatim conſiderare , originem quoque, modum- „ que culparum , & affectus gemituſque delinquentium diligenter exa- „ minare , manifeſteque cognoſcere ; temporum etiam ac perſonarum, „ locorum quoque & ætatum qualitates inſpicere , ut etiam pro con- „ ſideratione locorum , ætatum vel temporum , ſeu pro qualitate de- „ lictorum atque gemituum uniuſcujuſque delinquentis , a ſacris regu- „ lis oculos non reflectat . “ Hæc ſine dubio ad privatam , & occul- „ tam etiam Pœnitentiam pertinent, quod & Dallæus concedit; ac proinde de occultis peccatis intelligenda ſunt . Hujus autem Pœnitentiæ pro varietate criminum moderandæ ratio Confeſſionem exigebat neceſſario. Ergo.

Neque vero Dallæus diſſimulat tum temporis propter peccata occulta actam eſſe occulte Pœnitentiam, atque editam eorum Confeſſionem; quia nempe per ea tempora utramque Pœnitentiam plerique paſſim ſcriptores commemorant. Verum in eo mutatam veterem diſciplinam, novitatemque inductam conqueritur.

Sed hæc quam vana ſunt ! 1. enim multis evicimus jam a prioribus ſæculis frequentatam fuiſſe occultorum etiam criminum Confeſſionem . 2. Ejuſdem Confeſſionis arcanorum uſum luculenter aſtruunt ſcriptores ſuperioris ſæculi . 3. Auctores qui IX. ſæculo floruerunt , quod de Confeſſione ſanciunt , id a majoribus accepiſſe ſe prædicant. 4. Non aliis tum Pœnitentialibus libris utebantur , quam iis qui jamdudum erant editi; in hoc unum intenti, ut e vetuſtiorum turba caſtigatiſſimi tum uſurparentur . 5. denique nullum tunc apparuit invectæ novitatis veſtigium , nulla in quoquam ad id propenſio viſa eſt, nullus conatus, nulli motus animorum , non rixæ , non concertationes ; quæ omnia novitatis, præſertim in re tanti momenti , ſunt neceſſariæ appendices. Ergo.

Ex decimo ſæculo.

Primo Regino Prumienſis Abbas opus edidit *de Eccleſiaſticis diſciplinis* , quarum in libro primo de Sacerdotum , in ſecundo autem de laicorum officiis differit. Jam vero *lib.* 1. quatuor ſunt loca quæ ad rem noſtram ſpectant.

1. Enim

1. enim, *cap.* 57. præſcribens quæ ab Epiſcopo dum diœceſim ſuam luſtrat, ſunt explicanda, id inter alia de unoquoque Paſtore inquiri jubet; " Si feria quarta ante Quadrageſimam plebem ſibi commiſſam ad Con-
„ feſſionem invitet, & ei juxta qualitatem delicti Pœnitentiam injun-
„ gat, non ex corde ſuo, ſed ſicut in Pœnitentiali ſcriptum eſt: " Ex quo colligitur id unum e Paſtorum officiis inprimis neceſſarium viſum tunc eſſe.

2. *ibidem cap.* 95. hoc addit inveſtigandum, " Si habeat Pœni-
„ tentiale Romanum, vel a Theodoro epiſcopo, aut a Venera-
„ bili Presbytero Beda editum; ut ſecundum quod ibi ſcriptum eſt,
„ interroget confitentem, aut confeſſo modum Pœnitentiæ impo-
„ nat.

3. *ibidem cap.* 105. de viſitandis a Presbytero infirmis, ſic habet:
" Cum Sacerdos audierit aliquem infirmari in ſua plebe, quam citius ad eum
„ pergat: .... poſt hoc omnes jubeat extra cubiculum ſecedere; & appro-
„ pinquans lecto quo infirmus decumbit, eum blande leniterque alloqua-
„ tur, ut .... peccata ſua confiteatur, ut emendationem promittat, ſi Do-
„ minus vitam conceſſerit.

4. *ibidem cap.* 288. " Presbyteri debent admonere plebem ſibi ſubje-
„ ctam, inquit, ut omnis, qui ſe ſentit mortifero peccati vulnere
„ ſauciatum, feria quarta ante Quadrageſimam cum omni feſtinatione
„ recurrat ad vivificantem matrem Eccleſiam, ubi quod male commi-
„ ſit, cum omni humilitate & contritione cordis ſimpliciter confeſſus,
„ ſuſcipiat remedia Pœnitentiæ, ſecundum modum canonicis auctori-
„ tatibus præfixum, tradaturque Satanæ in interitum carnis ut ſpiri-
„ tus ſalvus ſit in die Domini. Non ſolum autem ille, qui mortale
„ aliquid admiſit; ſed etiam omnis homo quicumque recognoſcit ſe
„ immaculatam Chriſti tunicam, quam in Baptiſmo accepit, peccati
„ macula polluiſſe, ad proprium Sacerdotem venire feſtinet; & cum
„ purificatione mentis omnes tranſgreſſiones, omniaque peccata, qui-
„ bus Dei offenſam ſe incurriſſe meminit, humiliter confiteatur; &
„ quidquid ei a Sacerdote fuerit injunctum, ac ſi ab ipſo omnipoten-
„ tis Dei ore eſſet prolatum, ita diligenter intendat, & cautiſſime ob-
„ ſervet.

Idem *lib.* 2. tradens quæ ex laicis ſciſcitanda ſunt, illud memorat *cap.* 65. " Si ad Confeſſionem non veniat vel una vice in anno, id
„ eſt in capite Quadrageſimæ, & Pœnitentiam pro peccatis ſuis ſuſ-
„ cipiat. " Ex his ſequitur non tantum ea ætate de Confeſſione, ſed etiam de tempore Confeſſionis, eandem quæ nunc obtinet legem in Eccleſia viguiſſe.

Secundo Ratherius Epiſcopus Veronenſis *in ſynodica ad Presbyteros per univerſam Diœceſim conſtitutos* tempus idem, & iiſdem fere verbis quibus Regino, Confeſſioni aſſignat. " Feria quarta ante Quadrage-
„ ſimam, inquit, plebem ad Confeſſionem invitate, & ei juxta qua-
lita-

„ litatem delicti Pęnitentiam injungite, non ex corde veſtro, ſed ſicut in „ Pęnitentiali ſcriptum eſt.

In itinerario Confeſſionis, hujus neceſſitatem clarius exprimit: declamamus enim adverſus Presbyteros qui ſeſe luxuriæ ſordibus contaminant, expendenſque hinc præceptum Apoſtoli Confeſſionem imperantis, illinc decretum ſynodi Neocæſarienſis, eum qui tale quid confeſſus fuerit a ſacerdotis faſtigio dejicientis; " Vide, inquit, quanta hic „ continetur adverſitas. Oblata enim non permitteris conſecrare, ſi te „ peccaſſe confiteris; SALUTEM NON CONSEQUERIS, SI TE PEC- „ CASSE NON CONFITEARIS. Quid igitur de vobis faciam fratres, „ & compresbyteri mei? Si peccata veſtra non confitemini; timeo ne „ non ſalvemini: ſi confiteamini; oblata .... contra vetitum con- „ ſecratis.

Tertio in Canonibus Edgari anno 967. peculiaris eſt titulus *de Confeſſione* cujus Canon primus ſic habet; " Quando aliquis voluerit Con- „ feſſionem facere ſuorum peccatorum, viriliter agat, & non erubeſ- „ cat confiteri ſcelera ſua, ſe accuſando; quia inde venit indulgen- „ tia, & quia ſine Confeſſione nulla eſt venia: Confeſſio enim ſanat, „ Confeſſio juſtificat. "*Can.* autem 5. Pęnitens ſic Confeſſionem inſtituere præcipitur: " Confiteor Deo omnipotenti, & confeſſario meo ſpirituali „ medico, omnia peccata quæ unquam perpetravi, ſive in facto ſive in „ cogitatione, &c.

Quarto ejuſdem Confeſſionis neceſſitatis mentio fit, *lib.* 2. *conſuetudinum antiquiorum Cœnobii Cluniacenſis cap.* 11. " Si quis, inquit Ulda- " ricus, opus habet ad Confeſſionem pro aliquo exceſſu venire, acce- „ dit ad Sacerdotem ad quem potiſſimum voluerit; ..... ſurgit Sacer- „ dos, &c.

Ex undecimo ſæculo.

Primo Burchardus *lib.* 9. *de Pœnitentia* multa collegit hinc, & inde apud vetuſtiores ſparſa, quæ quæſtioni noſtræ illuſtrandæ conducunt. *Capite* 2. laudat canonem 288. Reginonis *lib.* 1. *de Eccleſiaſticis diſciplinis* modo a nobis allatum, qui Confeſſionis neceſſitatem luculentiſſime aſtruit. *Capite* 4. ut pudorem excutiat, qui pleroſque avocat a Confeſſione; adducit verba Origenis, qui monet crimina noſtra in noſtrum dedecus noſtramque perniciem eſſe in ultima judicii die a Diabolo propalanda, niſi eum in hac vita antevertamus ſpontanea Confeſſione. *Capite* 6. octo principalia enumerat vitia de quibus Confeſſionem inſtitui oporteat. *Capite* 34. ſanctionem Concilii Cabillonenſis de plena peccatorum, tam eorum quæ in cogitatione, quam aliorum quæ in opere poſita ſunt, Confeſſione facienda uſurpat.

Secundo Petrus Damiani *ſerm.* 58. *qui ſecundus eſt de B. Andrea*, ex

profeſſo de Confeſſione differit; ac 1. quidem in limine ſic præfatur : " „ Quoniam occaſio Confeſſionis ſe obtulit, reddendum nunc eſt quod „ alibi promiſimus, totumque proferendum quod de Confeſſione ſenti- „ mus : VIA ENIM EST SINE QUA NEMO VENIT AD PATREM ; „ quam qui perdidit, perdidit Deum. " Poſtea ſic continua oratione : " Cum igitur de vitiorum abyſſo diſponis emergere, ad illum præcipue „ ſit refugium tuum cui anima tua commiſſa eſt; nec te moveat ſi il- „ literatus ſit : memento quia non eſt poteſtas niſi a Deo. " Tum diſtinctis multis Pœnitentiæ gradibus, " Quartus itaque, inquit, gra- „ dus eſt Confeſſio oris : hæc facienda eſt, quia non eſt pars pecca- „ torum dicenda, & altera retinenda; neque levia confitenda, & gra- „ via diffitenda. " Deinde Sacerdotem monet ne unquam de his quæ SUB SIGNACULO CONFESSIONIS accepit, aliquam faciat mentionem. His ſubjicit quæ impediant Confeſſionem, ac pudorem inprimis; contra quem ſic armat Pœnitentem. " Opponamus ei, inquit, conſideratio- „ nem rationis, reverentiam intuentis Dei : ut enim confiteamur ra- „ tio monet, DEUS COGIT. " Denique ſermonem ita concludit. " „ Ecce quantum potui de Confeſſionis differui Sacramento. " Hic apparet Confeſſionis neceſſitas ex Dei lege profecta, miniſter, integritas, ſigillum, & ſacramentalis dignitas. Quare nullum hactenus fuit hoc teſtimonio plenius aut illuſtrius.

Tertio Anſelmus *hom.* 13. *de decem leproſis*, ad illud Chriſti, *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus* : " Id eſt, inquit, per humilem oris Confeſ- „ ſionem veraciter manifeſtate omnes interioris lepræ veſtræ maculas, „ ut mundari poſſitis.

Lib. 1. *epiſt.* 56. prohibet ne quis Sacerdos alterius Sacerdotis, qui forte in turpe quoddam flagitium clam lapſus eſt, ſecreta Confeſſione abutatur, ut eum ab officio removeat : ne odioſa Confeſsio fiat, ſicque in peccato ſuo multi moriantur. " De lapſis, inquit, ſacros ordi- „ nes habentibus, & ſpontanea humilitate ſecrete quibus debent confi- „ tentibus, nequaquam eſt aſſerendum quod eiſdem ordinibus amplius „ uti nullatenus poſsint .... Ille, cui confitetur, ... magni criminis „ reus eſſe videtur, ſi cogit. Nam ſatis patet quam minus malum ſit „ cuilibet peccatori ad altare cum amore Confeſſionis peractæ & ſpe „ miſericordiæ .... accedere, quam ſe cum odio Confeſſionis, & deſ- „ peratione veniæ .... ingerere.

Quarto Ivo Carnotenſis epiſcopus, præter illa quæ de Pœnitentia & Confeſſione differit ex profeſſo *decreti integra parte* 15. ac præſertim *cap.* 36. de eadem ſic habet *ſerm. in capite jejunii*, ad illud Joelis, *Scindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra* : & ad illud Davidis, *Effundite coram illo corda veſtra*. " *Scindite corda veſtra*, inquit, ut intus „ nihil clauſum remaneat, quod compunctio cordis non expellat, & „ oris Confeſſio non aperiat .... *Effundite coram illo corda veſtra* : id „ eſt, omnem immunditiam cordis veſtri per Confeſſionem evomite.

„ .. Quæ-

„ . . Quæcunque a vobis vel occulta ſuggeſtione vel aliena perſuaſione
„ commiſſa ſunt, ſic in Confeſſione aperiantur, ut etiam de corde pel-
„ lantur; quia tali Confeſſione cuncta lavantur.

Ex duodecimo ſæculo.

Primo Goffridus abbas Vindocinenſis, Alcuini totiuſque veteris Eccleſiæ veſtigiis inſiſtens, cum quidam Guillelmus, quo olim præceptore uſus fuerat, neceſſitatem Confeſſionis intra quatuor crimina circumſcriberet; contra hanc hæreticam novitatem fortiter inſurrexit. *Lib.* 3. *epiſt.* 16. ſic incipit: " Goffridus Vindocinenſis monaſterii ſervus Guillelmo olim ſuo magiſtro: *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem,*" ac deinceps ſic loquitur; " Omnes, inquit, qui in fide non ficta vivere cer-
„ nimur, ut fidei noſtræ veritas . . . . non deſtruatur unanimiter labo-
„ rare debemus. Igitur de propoſita nobis quæſtione, quæ magna ex
„ parte, imo prorſus, ſecundum tuam intelligentiam, FIDEI CATHO-
„ LICÆ OBVIARE VIDETUR; . . . . Propoſuiſti quod ſolummodo qua-
„ tuor peccata Confeſſione indigebant, cætera autem a Domino ſine
„ Confeſſione ſanabantur; quod te inveniſſe aſſeris in expoſitione Be-
„ dæ de Evangelio, ubi decem leproſi ſanati a Domino memorantur.
„ Sed hoc ita intelligendum minime cenſemus; ET JUXTA FIDEM
„ CHRISTIANAM ſic intelligere nec poſſumus nec debemus: determi-
„ nanda eſt enim iſta ſententia ſapienter, ut . . . . illa quatuor pecca-
„ ta . . . . non jam ſoli Sacerdoti, ſicut in cæteris agitur; ſed univer-
„ ſæ Eccleſiæ confiteantur: cætera vero vitia, ſicut dicis, per ſemetip-
„ ſum Dominus ſanat & corrigit, ... videlicet quæ ſibi privata in
„ Confeſſione revelantur, ut ſanentur: Sibi, dico; quia illi qui in e-
„ jus loco eſſe dignoſcitur. CERTUM EST, NIHIL HOC CERTIUS,
„ OMNIA PECCATA VEL CRIMINA CONFESSIONE INDIGERE ET
„ POENITENTIA. " Aurea plane verba: hic enim Goffridus non tantum neceſſitatem Confeſſionis omnium criminum ex profeſſo defendit; ſed etiam illam fidei catholicæ dogma nulli violabile eſſe pronuntiat.

Secundo Radulphus Ardens *concione in litania majori* diſtinguit duo peccatorum genera, mortalia ſcilicet ac venialia; quæritque cui debet fieri Confeſſio utraque. Tum de prima ſic reſpondet: " Confeſſio cri-
„ minalium, inquit, debet fieri Sacerdoti, qui ſolus habet poteſtatem
„ ligandi atque ſolvendi " &c. de altera aliter ſtatuit, affirmatque eam cuivis fieri poſſe.

Tertio Rupertus *lib.* 1. *in Leviticum cap.* 38. Confeſſioni aptans quod præcipitur in antiqua lege de adipe victimæ tenendo præ manibus ab eo qui ſacrificium offert, & armo ac pectuſculo ejuſdem victimæ tradendo Sacerdotibus. " Adipem in manibus tenere, inquit, id eſt car-
„ nis luxuriem refrenare: pectuſculum quoque tenere, id eſt, malas co-
„ gitationes cordi ſuo advenientes per Confeſſionem revelare: . . cum-

„ que ambo oblata Domino conſecraverit, tradet Sacerdoti; prius enim
„ oportet facta carnis atque intentiones cogitationis vocari intus ad ju-
„ dicium coram Domino, & .... cum hoc propoſitum habuerit, quod
„ de cætero emendare velit, tunc demum Confeſſionem puram offeret
„ Sacerdoti : ... nec enim Confeſſio, non ſequente contritione & cor-
„ rectione, ſalvare poterit; magiſque dicenda eſt peccandi profeſſio,
„ quam peccati Confeſſio.

Quarto Petrus Venerabilis abbas Cluniacenſis in ſuo *de miraculis* opere indicat hanc fuiſſe conſtantem Eccleſiæ de Confeſſionis neceſſitate fidem, plurimis etiam prodigiis conteſtatam. *Libro* enim 1. *cap.* 3. hiſtoriam refert cujuſdam juvenis qui adulterii ſuſpectus, cum crimen illud, quod reipſa admiſerat, confiteri noluiſſet ſecreto, viaticum ſibi datum deglutire nunquam potuit, donec Confeſſionem plenam ac ſinceram edidiſſet. *Cap.* 4. narrat de quodam fratre, qui ſcelus aliquod a ſe perpetratum de induſtria celans, in viſu admonitus eſt ut illud confiteretur; quia " Nullatenus poterat ſalvari, niſi quod pernicioſe celaverat,
„ ſalubriter ſtuderet confitendo manifeſtare. " Vide *cap.* 5. *&* 6. &c.

Quinto S. Bernardus & dictis & factis eandem Confeſſionis neceſſitatem declaravit.

Sermone enim 1. *in feſtum omnium ſanctorum*, *num.* 13. " Contra pec-
„ cati conſcientiam, inquit, remedium Confeſſionis eſt inſtitutum, &
„ omnia in Confeſſione lavantur.

*In exhortatione ad milites templi cap.*12. ubi quid *Bethphage* ſignificet aperit : " Quid de Bethphage dicam, inquit, viculo Sacerdotum, ...
„ ubi & Confeſsionis ſacramentum & ſacerdotalis miniſterii myſterium
„ continetur? *Bethphage* quippe, *domus buccæ* interpretatur. Scriptum
„ eſt autem, *Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo*. Non in alte-
„ ro tantum, ſed ſimul in utroque verbum habere memineris : & qui-
„ dem verbum in corde peccatoris operatur ſalutiferam contritionem;
„ verbum vero in ore noxiam tollit confuſionem, ne impediat neceſ-
„ ſariam Confeſſionem : ait enim Scriptura : *Eſt pudor adducens pecca-*
„ *tum; & eſt pudor adducens gloriam* ..... Quod ſi quiſpiam confiteri
„ confunditur, ... talis pudor peccatum adducit, .. quando malum,
„ quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ine-
„ ptus obſtruſo labiorum oſtio, non permittit exire; .... quandoqui-
„ dem *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem* ....
„ Quiſquis igitur verbum in ore habet, & in corde non habet, aut
„ doloſus eſt aut vanus; quiſquis vero in corde & non in ore, aut ſu-
„ perbus eſt aut timidus.

Illud vero memorabile eſt quod refert in ejus vita Guillelmus S. Theodorici abbas qui eodem tempore vixit; primum nempe Bernardi miraculum in gratiam Confeſſionis factum eſſe. Cum enim vir nobilis Josbertus de Firmitate in gravem morbum incidiſſet, cujus vi ab omni ſenſu erat alienatus, ejuſque filius ac omnes amici angerentur, "

„ quod

„ quod ſine Confeſſione obiret; “ vocatus eſt Bernardus, qui ſtatim affuit, eis promiſit fore ut Confeſsionis copiam a Deo haberet, ſi quæ ille male habuerat, reſtituere vellent : conſenſere illi : at Bernardus orationi ſe dedit. Tum vero id prodigiale contigit, ut illico vocis uſum recuperaverit Josbertus, & omnia peccata confeſſus fuerit.

Ita ſanctus ille doctor quam a majoribus hauſerat doctrinam non factis minus quam dictis confirmat.

Adversus hanc totius Eccleſiæ duodecimo ſæculo fidem tot antiquiorum Patrum teſtimoniis firmatam, objicit Dallæus Gratianum qui de Confeſsione ita diſputat, quaſi nihil adhuc ſuper eo capite fixum & conſtans eſſet.

Gratianus ſcilicet *Decreti* 2. *parte*, *cauſa* 33. mulierem quandam inducens, quæ crimen a ſe admiſſum Deo tantum confeſſa fuiſſet, *quæſt.* 3. expendit, “ An ſola Confeſsione cordis crimen poſsit deleri.

Controverſiam proponit his verbis : “ Utrum ſola cordis contritio„ ne & ſecreta ſatisfactione abſque oris Confeſsione quiſque poſsit Deo „ ſatisfacere?

Cum autem hac de re duæ tunc eſſent opiniones, ſic addit : “ Sunt „ enim qui dicunt quemlibet criminis veniam ſine Confeſsione facta Ec„ cleſiæ & ſacerdotali judicio poſſe promereri.

Ac prioris quidem hujus ſententiæ, quæ Confeſsionis Sacerdotibus faciendæ neceſsitatem tollebat, firmamenta explicans, adducit.

Ambroſium ſic ajentem : “ Lacrymæ lavent delictum quod voce pu„ dor eſt confiteri.

Auguſtinum, qui ita habet : “ Nondum pronuntiat ore (pœnitens,) „ & tamen Deus jam audit in corde : quia ipſum dicere quaſi quod„ dam pronuntiare eſt : votum enim pro opere reputatur.

Quibus adjungit varia ex jure civili & Patribus loca, quæ teſtantur voluntatem ac conſilium pro factis haberi.

His porro allatis ſic loquitur : “ Luce clarius conſtat cordis contri„ tione, non oris Confeſsione peccata dimitti.

Quod iterum probat auctoritate.

Proſperi, ſeu potius Juliani Pomerii, ſcribentis, lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus reſtingui æterni ignis incendia : & Prophetæ dicentis, *In quacunque hora peccator fuerit converſus, & ingemuerit, &c.* „ Non enim, inquit Gratianus, dicitur *ore confeſſus fuerit*; ſed tantum „ *converſus fuerit & ingemuerit; vita vivet, & non morietur*. Hinc etiam „ Propheta (Joel) ait *Scindite corda veſtra & non veſtimenta* : oſtendens „ IN CONTRITIONE CORDIS, ... NON IN CONFESSIONE ORIS „ PECCATA DIMITTI. Hinc etiam, ... *Convertimini ad me in toto cor„ de veſtro; & convertar ad vos*. Converſio autem dicitur, quaſi cordis „ undique verſio; ſi autem cor noſtrum undique a malo ad Deum ver„ titur, mox ſuæ converſionis fructum meretur, ut Deus ab ira ſua „ ad miſericordiam converſus peccati præſtet indulgentiam, cujus pri-

„ mo præparabat vindictam : unde datur intelligi quod, etiam ore ta- „ cente, veniam conſequi poſſumus. Hinc etiam leproſi illi, quibus „ Dominus præcepit ut oſtenderent ſe Sacerdotibus, in itinere, ante- „ quam ad Sacerdotes venirent, mundati ſunt. Ex quo facto nimirum „ datur intelligi, quod priuſquam ora noſtra Sacerdotibus oſtendamus, „ id eſt peccata noſtra confiteamur, a lepra peccati mundamur. Hinc „ etiam Lazarus vivus de monumento prodiit : .... hinc etiam, ut „ Dominus oſtenderet quod non ſacerdotali judicio, ſed largitate divi- „ næ gratiæ peccator emundatur, leproſum tangendo mundavit, & po- „ ſtea Sacerdoti ſacrificium ex lege offerre præcepit. Leproſus enim „ tangitur, cum mens peccatoris compungitur. Leproſus ſemeptiſum „ Sacerdoti repræſentat, dum peccatum ſuum Sacerdoti pœnitens con- „ fitetur. Sacrificium ex lege offert, cum ſatisfactionem Eccleſiæ judi- „ cio ſibi impoſitam factis exequitur. Sed antequam ad Sacerdotem per- „ veniat, emundatur, dum per contritionem cordis, ante Confeſſionem „ oris, peccati venia indulgetur. Hinc etiam medici negantur ſuſcita- „ re aliquem, ut reſuſcitatus confiteatur, dum per Prophetam dicitur. „ *Nunquid medici ſuſcitabunt & confitebuntur tibi* .... Si ergo nullus con- „ fitebitur niſi reſuſcitatus, nemo autem vivit gehennæ filius; ... pa- „ tet quod antequam quiſque confiteatur, a reatu ſuæ prævaricationis „ .... per gratiam internæ compunctionis abſolvitur.

Quam in rem nonnullis congeſtis, “ Cum ergo, inquit, ante Con- „ feſſionem .... ſumus reſuſcitati per gratiam, & filii lucis facti, evi- „ dentiſſime apparet quod ſola cordis contritione, ſine Confeſſione oris, „ peccatum remittitur .... Non ergo in Confeſsione peccatum remit- „ titur, quod jam remiſſum eſſe probatur. Fit itaque Confeſsio ad „ oſtenſionem Pœnitentiæ; non ad impetrationem veniæ. Et ſicut cir- „ cumciſio data eſt Abrahæ in ſignum juſtitiæ; non in cauſam juſtifica- „ tionis : ſic Confeſsio Sacerdoti offertur in ſignum veniæ acceptæ ; „ non in cauſam remiſſionis accipiendæ.

His porro in favorem prioris ſententiæ diſputatis,

Alteram in hunc modum exponit. “ Alii e contrario teſtantur, dicen- „ tes ſine Confeſſione oris .... neminem a peccato poſſe mundari, ſi „ tempus ſatisfaciendi habuerit.

Hanc autem opinionem, quæ Confeſsionis neceſsitatem propugnat, variis teſtimoniis viciſsim fulcit : nimirum

Prophetæ dicentis : *Dic tu iniquitates tuas ut juſtificeris.*

Ambroſii, qui ſic loquitur : “ Non poteſt quiſquam juſtificari a pec- „ cato, niſi ante fuerit peccatum confeſſus.

Leonis, qui ſtatuit “ Indulgentiam Dei non poſſe niſi ſupplicationi- „ bus Sacerdotum obtineri.

Aliiſque ſimilibus : quibus adductis ; “ Ex his itaque apparet, in- „ quit, quod ſine Confeſſione oris peccatum non remittitur. Nam ſi „ neceſſe eſt ut iniquitates noſtras dicamus, ut poſtea juſtificemur ; ſi

„ nemo

„ nemo poteſt juſtificari a peccato, niſi antea confeſſus fuerit pecca-
„ tum; ...... ſi nullus veniam accipit niſi Eccleſiæ ſupplicationibus;...
„ concluditur ergo quod nullus ante Confeſſionem oris .... peccati
„ abolet culpam.

Poſtea utriuſque ſententiæ momenta inter ſe componit ac confert: ſingulorum vim explorat; qua ratione ſolvi poſſint aperit; tandem vero, librata & in utramque partem agitata diligenter hac quæſtione, ſic concludit totam diſputationem. “ Quibus auctoritatibus, inquit,
„ vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia ..... innitatur bre-
„ viter expoſuimus: cui autem harum potius adhærendum ſit, lectoris
„ judicio reſervatur; utraque enim fautores habet ſapientes & religioſos
„ viros: unde Theodorus Cantuarienſis epiſcopus ait *in Pœnitentiali ſuo:*
„ Quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt (ut Græ-
„ ci) quidam vero Sacerdotibus ...... (ut tota fere ſancta Eccle-
„ ſia;) quod utrumque non ſine magno fructu fit intra ſanctam Ec-
„ cleſiam, ita duntaxat ut Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, pecca-
„ ta noſtra confiteamur; (& hoc perfectorum eſt.) .... Sed tamen
„ Apoſtoli inſtitutio nobis ſequenda eſt, ut confiteamur alterutrum pec-
„ cata noſtra .... Confeſsio itaque quæ ſoli Deo fit (quod eſt juſto-
„ rum) peccata purgat: ea vero quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipſa
„ purgentur peccata: Deus namque ſalutis & ſanctitatis auctor ....
„ plerumque hanc præbet ..... inviſibili adminiſtratione, plerumque me-
„ dicorum operatione.

Hic eſt Gratiani locus, quem omnibus a nono ſæculo ſcriptorum de Confeſsionis neceſsitate ſententiis tanquam murum æneum opponit Dallæus. Nempe juxta Gratianum, inquit Dallæus, duæ erant inter viros ſapientes & religioſos opiniones de Confeſsionis neceſsitate. Ergo libera tunc fuit & uniuſcujuſque arbitrio relicta. Ergo lex de Confeſsione omnibus neceſſario facienda, poſtmodum a concilio Lateranenſi invecta, Innocentianum vere tormentum eſt.

Distinguo antecedens: juxta Gratianum duæ tunc erant opiniones in Eccleſia de Confeſsionis neceſsitate, quoad effectum, hoc eſt quoad veniam conſequendam; concedo: quoad præceptum; nego. Nimirum duplex quæſtio eſt de Confeſsione; una Catholicos inter & Hæreticos de Confeſsionis neceſsitate quoad præceptum, an videlicet Confeſsio omnibus in crimina lapſis a Chriſto præcepta & in Eccleſia ſemper uſurpata ſit: altera inter Theologos de confeſſionis neceſſitate, quoad remiſſionem peccatorum; an nempe prima gratia contritione ante Confeſſionem & Sacramentum, an vero demum in Sacramento obtineatur extra caſum neceſſitatis. Primam, de lege ac præcepto Chriſti circa Confeſſionem, hic non attingit Gratianus; ſed ſecundam, quæ eo tempore non mediocri animorum contentione in utramque partem agitabatur. Cum enim omnes in eo conſentirent, quod ad Sacramentum amor Dei & charitas requirerentur; in eo diſſidebant, ſcilicet an amor

S 4 ille

ille eaque charitas ſtatim divinam gratiam conciliarent; an vero ad eam impetrandam expectandum eſſet inſuper Sacramentum. Ac ii quidem omnes, plerique ſaltem quorum ſcripta ab eo ævo ad nos uſque pervenerunt, cenſuere peccata deleri contritione ante Sacramentum; ita ut abſolutio, quæ conſequitur, ipſa peccata tunc non ſolveret, ſed ſoluta oſtenderet: attamen multi erant qui aliter ſentirent. Atque hæc eſt controverſia quam expendit Gratianus: diſputat, inquam, de effectu Confeſſionis, non de præcepto.

Quod enim agat tantum Gratianus de effectu, idque unum in dubium vocet, an ante Confeſſionem venia peccatorum contritionis vi vulgo habeatur, conſtat.

Primo Ex ipſo quæſtionis titulo qui ſic concipitur: Si ſola Confeſſione cordis crimen poſſit deleri.

Secundo ex iis, quibus primam opinionem exhibet, verbis: "„ Sunt enim, inquit, qui dicunt quemlibet criminis veniam, ſi„ ne Confeſſione facta Eccleſiæ & ſacerdotali judicio, poſſe pro„ mereri.

Tertio ex eo quod Gratianus his promiſcue locutionibus paſſim utatur: *Sine Confeſſione: ante Confeſſionem: in contritione: non in Confeſſione*: Ergo hæ omnes locutiones idem apud Gratianum ſonant: ac proinde prima, quæ ſola ambigua videri poſſit, ex aliis quæ claræ ſunt quæſtioniſque ſtatum optime repræſentant, explicanda eſt.

Quarto quia de venia, juſtificatione, & remiſſione peccatorum ſemper loquitur Gratianus; non autem de ſalute. Nimirum tunc temporis ambigebatur an ad juſtificationem neceſſaria eſſet Confeſſio; non autem ambigebatur an a Chriſto præcepta eſſet & neceſſaria ad ſalutem.

Quinto quia eo unice ſpectant teſtimonia quæ ſive ex Scripturis ſive ex Patribus adducit. Quid enim aliud volunt iſta ex Prophetis: *Nunquid medici ſuſcitabunt &c. Convertimini ad me & ego convertar ad vos: In quacunque hora peccator fuerit converſus & ingemuerit, vita vivet & non morietur*? Quid iſtud S. Auguſtini: "Nondum pronuntiat „ ore; & tamen Deus jam audit in corde?" Quid illa ex jure civili petita, quæ probant voluntatem pro facto reputari?

Sexto quia idipſum poſtulat varia illa ac multiplex comparatio quam depromit, ſive ex leproſis, qui mundati ſunt antequam ſeſe oſtenderent Sacerdotibus; ſive ex Lazaro, qui ad vitam revocatus fuit antequam ab Apoſtolis ſolveretur; ſive ex Abrahamo, qui juſtus erat ante circumciſionem.

Septimo Quia nihil aliud ipſe Gratianus colligit ex his omnibus; quod manifeſtum erit, ſi paulo attentius conſiderentur quas ex relatis his teſtimoniis infert concluſiones. 1. eſt: "Luce clarius conſtat cordis „ contritione non oris Confeſſione peccata dimitti" 2. "Oſtendens, „ inquit, in contritione cordis, non in Confeſſione oris, peccata di-„ mitti.

„ mitti. 3. “ Ex quo datur intelligi quod, antequam Sacerdotibus pec-
„ cata noſtra confiteamur, a lepra peccati mundamur. “ 4. “ Patet quod
„ antequam quiſque confiteatur peccatum, per gratiam internæ com-
„ punctionis abſolvitur. “ 5. “ Cum ergo ante Confeſſionem, ut pro-
„ batum eſt, ſimus reſuſcitati per gratiam, evidentiſſime apparet, quod
„ ſola cordis contritione, ſine Confeſſione oris, peccatum remittitur.
„ 6. “ Non ergo in Confeſſione peccatum remittitur, quod jam remiſ-
„ ſum eſſe probatur. “ 7. “ Fit itaque Confeſſio ad oſtenſionem Pœni-
„ tentiæ, non ad impetrationem veniæ; in ſignum veniæ acceptæ, non
„ in cauſam juſtificationis accipiendæ.

Octavo quia Petrus Lombardus Gratiani æqualis *in* 4. *ſententiarum*, *diſt.* 17. duplicem proponit quæſtionem; primam de Confeſſionis efficacia, iiſdem omnino verbis quibus hanc ſuam Gratianus; ubi & iiſdem Scripturæ & Patrum teſtimoniis, rationumque momentis utitur, nihil ut ſimilius eſſe poſſit: alteram vero de lege ac præcepto circa Confeſſionem: ac proinde ea quam expendit Gratianus controverſia ad contritionis efficaciam, & Confeſſionis neceſſitatem quoad effectum pertinet, non vero ad præceptum.

Quod autem hic Gratianus diſſerat tantum de effectu, non de præcepto; nec velit liberam tunc extitiſſe, nec in uniuſcujuſque arbitrio poſitam Confeſsionem, multis evinci poteſt.

Primo enim ſi quis in totam hanc diſputationem paulo accuratius oculos intendat, ſtatim perſpiciet omnes variarum iſtarum partium Theologos ſenſiſſe faciendam Confeſsionem; ſed de eo tantum pugnaſſe, an fieret in ſignum veniæ acceptæ, an in cauſam juſtificationis accipiendæ. Notentur verba, juſtis ponderibus examinetur diſputationis ſeries: nihil erit evidentius.

Secundo eodem quaſi manu nos ducit varia illa ac multiplex comparatio quam jam obſervavimus. Gratianus enim confert 1. Pœnitentes cum leproſis, de quibus Evangelium: atqui leproſi illi, licet a Chriſto mundati, ab eo tamen juſsi ſunt ad Sacerdotes adire: ergo pariter &c. 2. Eoſdem componit cum Lazaro: atqui Lazarus, quantumvis vitæ reſtitutus, ab Apoſtolis ſolvi debuit ex mandato Chriſti; nec ei profuiſſet vita, niſi ab iis ſolutus inſuper eſſet: ergo pari jure. 3. Comparat Confeſsionem cum circumciſione: atqui Abraham, quamvis juſtus, circumciſionis legi aſtrictus eſt: ergo ſimilis eſt lex de Confeſsione a Pœnitentibus inſtituenda, etiam poſt acceptam contritionis efficacia juſtitiam.

Tertio quis exiſtimet Gratianum in antiquitate verſatum Confeſsionis neceſsitatem in dubium revocare voluiſſe, quam veteres innumerabilibus teſtimoniis ubique paſsim aſtruunt?

Quarto id de quo agit Gratianus, talis erat naturæ ac conditionis, ut de eo ultro citroque a ſapientibus ac religioſis viris diſputaretur duodecimo, quo ille ſcribebat, ſæculo. Atqui Confeſſionis ex præcepto neceſsitas

ceſſitas talis non erat; nulluſque ſupereſt ex ea ætate, aut memoratur in Theologis, qui eam negaverit. Enimvero quinam fuerunt Gratiano coætanæi aut ſuppares Theologi? Hi nempe. Bernardus, Goffridus Vindocinenſis, Theobaldus Stampenſis, Petrus Cellenſis, Robertus Pullus, Ricardus & Hugo Victorini, Petrus Bleſenſis, Lombardus, Petrus Pictavienſis. Atqui horum nullus eſt qui non propugnaverit Confeſſionis neceſſitatem tanquam certam & conſtantem; nullus qui perhibeat illæſa fide de ea in ſcholis diſputari ſolitum eſſe. De Bernardo jam diximus. Goffridum etiam audivimus aſſeverantem hoc certum eſſe, nihil hoc certius eſſe, id denique ad fidem catholicam pertinere. Jam vero ut reliquos breviter perſtringamus,

Theobaldus Stampenſis *in epiſtola quadam ad Epiſcopum Lincolnienſem*, ſcribit adverſus quoſdam qui Confeſſionem ita neceſſariam arbitrabantur, ut abſque ea de ſalute eſſet deſperandum. Ipſe quidem iis concedit neceſſariam eſſe Confeſſionem; ſed hactenus tamen ut, "Si aliquo „ eventu Confeſſio oris impediatur, non idcirco Confeſſio cordis infru„ ctuoſa reprobetur, " *tom. 3. ſpicilegii.*

Petrus Cellenſis *de diſciplina clauſtrali cap. 20. ibidem*, multa etiam præclara pronuntiat de Confeſſione. Eam alterum baptiſma nominat. Tum denique ſic ait: " Maledictus omnis qui prohibet gladium ſuum „ a ſanguine; id eſt, qui non amputat per Confeſſionem peccata quæ „ ſunt ex carne & ſanguine.

Robertus Pullus *ſententiarum parte 5. cap. 10.* corde contrito & humiliato mox veniam concedi putat; neceſſe tamen eſſe poſtea confiteri. " Cum autem, inquit, corde contrito ante Confeſſionem morte fuerit „ præoccupatus; ne pereat, compunctio intercedit. " *Parte 6. cap. 51.* " idem fuſius repetit. " Quiſquis, inquit, facinora ſua Sacerdoti pan„ dere noluerit, aut timore mundi perterritus, aut inhoneſtate rei verecundatus, is nulla ratione veniam impetrat. " *Ibidem* geminam diſtinguit Confeſſionem, aliam venialium peccatorum, aliam mortalium. Primam " fieri licere coæqualibus; alteram autem ſtatuit, niſi extrema „ urgeat neceſſitas, Sacerdotibus deberi. " *Capite* autem 59. ut Pœnitentia, ſic Confeſſione opus eſſe ſtatuit ad divinam gratiam reparandam: Pœnitentiamque cordis abſque Confeſſione oris non valere. Poſtea ſic addit: " Confeſſionem obnixe & Scriptura mandat, & Eccle„ ſia ſtatuit. Quis niſi nimis audax, nimis præſumptuoſus invertit?

Hugo Victorinus *tomo 2. ſerm. 53.* " Tunc ſalus peccatoris incipit, „ inquit, quando veraciter pro delictis ſuis ingemiſcit; quæ tamen ſa„ lus tunc perficitur, quando id unde ingemuit, ore confitetur: quæ „ ſalutis perfectio, etſi ...... neceſſitatis articulo impediatur, per ſum„ mum tamen Sacerdotem .... adimpletur. In facienda autem Con„ feſſione talis diſcretio eſſe debet, ut quotidiana leviaque peccata al„ terutrum coæqualibus confiteamur; ... porro gravioris lepræ immun„ ditiam Sacerdoti pandere debemus. " *Tomo* autem 3. *lib.* 2. *de ſacram.*

eram. fidei, parte 14. integra differit de Confeſſione; Pœnitentia & remiſſione peccatorum: ac *capite* quidem 1. demonſtrat ex Scripturis, inſtitutione Chriſti & Apoſtoli præcepto, Confeſſionis utilitatem ac neceſſitatem: expendens autem hoc Jacobi dictum: *Confitemini alterutrum peccata veſtra ut ſalvemini*: " Hoc eſt non ſalvamini, niſi confiteami- „ ni. " *Cap.* autem 8. eandem quam modo Gratianus quæſtionem proponit; affirmatque multos ſenſiſſe, quod in ſola cordis contritione, etiam ante Confeſſionem oris, peccata dimittantur: ſed non ideo tamen Confeſſionis Sacerdoti faciendæ neceſſitatem ac legem ſuſtuliſſe. Poſt contritionem enim cordis Confeſſionem quoque oris eſſe neceſſariam: quia " Si quis, etiam poſt impetratam veniam peccatorum, „ confiteri eadem peccata ſua neglexerit, quaſi inſtitutionis divinæ con- „ temptor, reus.... erit. " Quod juſti in Gratianum commentarii loco eſſe poteſt.

Ricardus item Victorinus *de poteſtate ligandi ac ſolvendi cap.* 5. " „ Vera Pœnitentia, inquit, eſt abominatio peccati cum voto caven- „ di, confitendi, & ſatisfaciendi.... Solus.... hac conditione non te- „ netur cui exequendi facultas divinitus denegatur: .... nam ſi facere „ neglexerit, periculum æternum non evadit.

Petrus Bleſenſis librum ex profeſſo ſcripſit *de Confeſſione ſacramentali*, in quo ejus tum fructus tum neceſſitatem commendat hoc inprimis Auguſtini teſtimonio, " Nemo dicat ſibi, Occulte confiteor, & ago Pœ- „ nitentiam apud Deum: ſi enim ſufficiens eſt iſta Confeſſio; ergo ſi- „ ne cauſa datæ ſunt claves Petro.... Si vero pudor prohibeat confi- „ teri; recolat quomodo libri conſcientiarum aperientur coram omni- „ bus in die judicii.

Petrus Lombardus *in* 4. *ſententiarum diſt.* 17. duas, ut monuimus, controverſias movet; unam de vi contritionis, perinde ac Gratianus; alteram vero deinceps de Confeſſione: ibi autem ſancit ex Jacobi mandato & plurium veterum dictis " Indubitanter oſtendi oportere Deo „ primum, ac deinde Sacerdoti offerri Confeſſionem; nec aliter poſſe „ perveniri ad ingreſſum Paradiſi, ſi facultas adſit.

Petrus Pictavienſis *ſententiarum parte* 3. *cap.* 12. ait pariter Confeſſionem eſſe neceſſariam, & quidem ſub pœna peccati mortalis. *Cap.* autem 13. eam fundat in Chriſti verbis & Apoſtoli juſſu.

Hi ſunt Theologi qui duodecimo ſæculo ſcholas obtinuerunt. Eſtne porro apud eos ullum dubii de Confeſſione veſtigium? nullum profecto. Quotquot ergo per eam ætatem extiterunt viri ſapientes ac religioſi, circa Confeſſionis neceſſitatem inter ſe & cum Eccleſia concordarunt; nulluſque omnino eſt qui diſſenſiſſe comperiatur. Non itaque de Confeſſione dubitabant aut diſceptabant ſapientes illi ac religioſi viri quos memorat Gratianus; ſed de alio quopiam capite prorſus diverſo, hoc eſt de contritionis efficacia.

Et ſane Gratianum ſic intelligit Gloſſa quæ poſt hanc diſputationem

de

de contritione, deinceps *ibidem ad diſtinctionem* 5. differit de inſtitutione ac neceſsitate Conſeſsionis.

Instabis 1. Gratianus inducit mulierem, quæ adulterii crimen a ſe admiſſum Deo tantum corde confeſſa fuerat, non autem Sacerdoti: ergo hic agebatur de Confeſsione cordis, quæ Sacerdotis conſcientiam excluderet.

Respondeo 1. Gratianum non explicare an non illa mulier peccatum ſuum poſtea Sacerdoti detexerit.

Respondeo 2. adductam eſſe hanc mulierem in occaſionem inſtituendæ quæſtionis; non in exemplum. Cum ergo fictitia illa mulier ſtatueretur ſoli Deo confeſſa eſſe flagitium ſuum, inde anſam arripuit Gratianus diſputandi an Confeſsio facta Deo ſatis huic mulieri eſſe potuerit ad impetrandam illico veniam, non admodum ſollicitus an Sacerdoti deinceps ſcelus confeſſa fuerit, aut confiteri debuerit; quia ad præſens argumentum id non faciebat.

Instabis 2. Sunt quædam teſtimonia Patrum illic a Gratiano allegata, quæ Confeſſionis neceſſitatem ex præcepto videntur perimere: v. g. illud Ambroſii, " Lacrimæ lavent delictum quod voce pudor eſt „ confiteri.

Respondeo hoc Ambroſii dicto aliiſque forte ſimilibus duo contineri; unum, quod pertinet ad efficaciam contritionis oſtendendam; alterum, quod a vitilitigatoribus forſitan trahi poſſet in detrimentum Confeſſionis: primum uſurpat Gratianus; ad aliud non attendit.

Instabis 3. Gratianus attulit quemdam e Theodoro Cantuarienſi locum in quo dicuntur Græci Confeſſionem nec habere nec admittere: in quo etiam Confeſsio illa uniuſcujuſque arbitrio permitti videtur; quia nempe Confeſsio facta Deo dicitur purgare peccata, Confeſsio autem facta Sacerdoti docere qualiter ipſa purgentur peccata.

Respondeo 1. hunc e Theodoro locum eundem omnino eſſe cum canone 33. concilii Cabillonenſis, *de quo ad ſæculum IX.* ſive ea Synodus illum mutuata fuerit ex Theodoro, tacito ejus nomine; ſive contra quis eum ex Synodo tranſtulerit in Pœnitentiale Theodoro aſcriptum. Quidquid ſit hunc canonem tanquam ex concilio Cabillonenſi laudat additio 3. Capitularium *cap.* 58. eundem verò quaſi ex Theodoro poſtea referunt Burchardus & Ivo, a quibus illud ut pleraque alia Gratianus hauſit.

Respondeo 2. hunc canonem in antiquo codice Theodori quem Uſſerius vidit, in ſynodo Cabillonenſi, & Capitularibus carere iis omnibus laciniis quas Burchardus, Ivo & Gratianus exhibent, & uncinis includi curavimus: atque adeo delendas eſſe omnes iſtas voces *ut Græci* aliaſque ſimiles, veluti ſpurias, & imperite aſſutas: turbant enim ſententiam per ſe fluentem; & e margine, ubi ab aliquo ſciolo notatæ primo fuerant, in textum irrepſerunt: quod etiam Uſſerius ac Dallæus confitentur.

Res-

RESPONDEO 3. in hoc canone ſic turpiter interpolato duo eſſe: alterum ex ipſo fonte derivatum, quod ſignificat eam eſſe vim contritionis & Confeſsionis Deo factæ, ut peccata purget inviſibili Dei operatione; aliud extrinſecus infartum, quod innuit a Græcis non agnoſci Confeſsionis neceſsitatem. Primum ſpectavit Gratianus; ad alterum mentem non advertit, aut quia ad propoſitum non erat, notare omiſit.

INSTABIS 4. S. Thomas *in* 4. *diſt.* 17. Bonaventura *ibid.* Antoninus *in Chronico parte* 2. *t.* 15. *ſect.* 19. Pithæus *in notis*, Eſtius *in* 4. *diſt.* 17. aliique paſsim Gratianum accipiunt de lege Confeſsionis.

RESPONDEO varias eſſe ac olim fuiſſe de hoc Gratiani loco opiniones.

1. enim quidam exiſtimaverunt Gratiani totum hoc non eſſe: de quo Antonius Auguſtinus *in Dialogis*.

2. Thomas, Bonaventura, & Antoninus id interpretati ſunt de ipſa Confeſsione, cujus, etſi a Chriſto inſtitutæ, tunc temporis nullam in Eccleſia fixam legem extitiſſe autumant. His acceſsit Pythæus.

3. Eſtius confitetur Gratianum nihil de Confeſsione certi habuiſſe.

4. Gregorius de Valentia, cum omnes Theologos cerneret duodecimo ſæculo in Confeſsionis neceſsitatem conſpirantes, pronuntiat Gratianum turpiter eſſe hallucinatum cum ait multos ſapientes ac religioſos viros de ea tunc dubitaſſe.

5. Alii ſic intelligunt Gratianum, ut locutus fuerit, non de Theologis ſuæ ætatis, (qua in parte non potuiſſet falli;) ſed de Theodoro Cantuarienſi aliiſque veteribus, quorum mentem non ita bene ceperit, quam tamen refert, ac virorum ſapientum ac religioſorum titulo exornat: atque hi omnes verba Gratiani exponunt de ipſa Confeſsione. Sunt autem plurimi qui exiſtimant Gratianum non de ipſa Confeſsione, ſed de Confeſsionis effectu, ac efficacia contritionis illic diſputare. Hanc expoſitionem amplexi ſumus, quod & minus dura ſit, & Gratiani inſtituto videatur magis conſentanea.

INSTABIS 5. At re ipſa hoc ævo quidam extitere, qui Confeſsionis neceſsitatem inficiati fuerint. Ergo.

DISTINGUO antecedens: quidam aut hæretici, aut nimis audaces ac præſumptuoſi, aut perverſi ac ſcripturæ corruptores; concedo: quidam ſapientes ac religioſi viri, quales ſuos prædicat Gratianus; nego. Non ſane negaverim quoſdam olim, imo & eo ſeculo, perverſæ adeo doctrinæ extitiſſe, ut aperte Confeſsionis neceſsitatem peſſumdare tentaverint; ac multo etiam plures vitæ ſolutioris, filios Belial, id eſt abſque jugo, qui in ipſo Eccleſiæ ſinu ut etiamnum accidit, clam muſsitarent adverſus legem Confeſsionis, quam veluti cuniculis ſubruere nitebantur, cum nomen ſuum profiteri non auderent. Priores memorant Alcuinus & Goffridus *ſupra*; ſed hos *hæreticos*, *ſectarios*, & ca-

catholicæ fidei everſores, appellant. Aliorum mentionem faciunt Robertus Pullus & Hugo Victorinus; ſed hos vocat Pullus *nimis audaces ac præſumptuoſos*, Hugo *perverſos*, qui Scripturas perverterent, quo earum auctoritate malitiam ſuam defenderent. Videant Calviniani quos Confeſsio adverſarios aliquando nacta ſit; & eos talis originis pudeat. Quidquid ſit, non illi profecto habiti ſunt quaſi ſapientes & religioſi viri. Ergo viri illi ſapientes & religioſi, de quibus Gratianus, Confeſsionem non impugnabant. Cæterum non immerito quis ſuſpicari poſſet eos, quos citat Lombardus, quibus nullam peculiarem notam inurit, in alia ſententia fuiſſe verſatos, quam quæ vulgo putatur: eos enim non revellere Confeſsionis legem, ſed tantum ſanxiſſe certis in caſibus eam non eſſe neceſſariam; v. g. ſi quis timeat ex Cofeſsione famæ periculum, & offenſionem aliorum. Id certe indicat ad diſſertationis finem Lombardus.

Ex decimo tertio ſæculo.

Veniendum tandem eſt ad Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. quod ſumma invidia onerant Hæretici, inprimis autem Dallæus, & Calvinus: hic quidem dum conqueritur, ejus demum decretis injectum eſſe fidelibus laqueum Confeſſionis; ille vero cum clamat ab eo invectam eſſe ſervitutem immanem & inauditam, ac ne a ſæviſſimis quidem tyrannis unquam tentatam. Quo jure jam videamus.

Synodus porro poſt damnatos varios circa fidem errores, ſic de Eccleſiaſtica diſciplina, Confeſſione præſertim ac ſacra communione corporis Chriſti, loquitur *cap.* 21. " Omnis utriuſque ſexus fidelis, " poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, " & injunctam ſibi Pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ ſacramentum; " niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem " cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioqui, " & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat " ſepultura . . . . . . Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta " de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote; cum aliter ipſe non poſſit ſolvere vel " ligare.

Dicant, quæſo, cordati, an vel tenuis hic umbra ſit inductæ circa Confeſſionis in univerſum neceſſitatem novitatis. Quis enim non videt de novo dogmate in Eccleſiam importando ne cogitaſſe quidem Synodi Patres? Duo nempe in hoc negotio ſecerni queunt, ipſa ſcilicet Confeſſionis neceſſitas, ipſiuſque Confeſſionis tempus, & certus miniſter. Primum ad fidem pertinet: ſecundum ad diſciplinam. Jam vero fidem pro conſtanti, & certa habent; atque adeo ne attingunt quidem:

in

in definiendis autem aliis diſciplinæ capitibus toti verſantur. Quantum hæc agendi ratio abeſt ab introducenda, in re tanti ad fidem momenti, novitate!

Et vero ſi quid in fide novaſſent Præſules, quantas putamus oriundas ſtatim fore in republica Chriſtiana turbas? Si enim, cum proprium Sacerdotem in miniſtrum neceſſarium annuæ Confeſſionis definierunt, ob hanc ſanctionem tot certamina concitata ſunt; quis ſibi perſuadeat, omnes omnium gentium populos in alio longe graviori jugo, ſine ulla pugna, illico acquieviſſe? Atqui nullus tunc legitur extitiſſe tumultus, nulla contentio. Ergo.

Certe non magis dici poteſt Concilium Lateranenſe inſtituiſſe Confeſſionem, & primam de ea legem fixiſſe, quia fixit tempus; quam cenſeri debeat inſtituiſſe Euchariſtiam, & ejus ſuſcipiendæ neceſſitatem, cum decrevit eam in Paſchate ab unoquoque eſſe ſuſcipiendam: atqui hoc abſurdum eſt ac ridiculum: ergo & alterum.

Adde quod id ſynodus Lateranenſis non poſſit dici invexiſſe, quod ab omnibus retro Patribus, & Conciliis ſancitum jam pridem fuerat. Atqui hanc, de Confeſſione Sacerdotibus facienda, legem a Chriſto inſtitutam omnes antiqui Patres, omnes Synodi ſuis teſtimoniis aſſeverant per ſingula, quæ huc uſque præceſſerant, ſæcula. Ergo.

Denique iſtiuſmodi legem non invexit in orbem Chriſtianum ſynodus Lateranenſis, ſi eandem nobiſcum agnoſcant Græci: non enim illam ab iſta Synodo hauſerunt, neque poſt hæc tempora. Atqui Græci hanc eandem legem cum Latinis admittunt. Ergo.

Quid quod ne nova quidem erant hæc ipſa duo diſciplinæ capita de Confeſſione annua, & proprio ſacerdote, quæ Synodus Lateranenſis generali lege ſancienda eſſe tunc judicavit? Confeſſionem enim annuam notant 1. Chryſoſtomus *ſerm. in majore hebdomada habito*, *pag.* 481. tum enim faciendam eſſe puram & diligentem peccatorum Confeſſionem: 2. Sonnatius Archiepiſcopus Remenſis *in Eccleſiæ ſuæ ſtatutis*: 3. Theodulphus Aurel. Quadrageſimam, ut Sonnatius, huic Confeſſioni aſſignans: 4. Regino Prumienſis abbas in locis *nuper* memoratis: 5. Burchardus Wormacienſis *lib.* 16. *cap.* 2. ſtatuens quoque monendos eſſe populos, ut feria quarta ante Quadrageſimam ad Confeſſionem accedant; 6. Ratherius Veronenſis: 7. Odo Pariſienſis *in ſtatutis*, vetans ne quis ultra annum Confeſſionem ſuam differat, *tomo* 10. *Conciliorum*. Imo & Chrodegandus Epiſcopus Metenſis *in regula*, *cap.* 31. *tomo* 3. *Spicilegii*, præceperat ut ter per annum populus fidelis ſuam Confeſſionem ſuo Sacerdoti faciat.

Sacerdotem autem proprium ut Confeſſionis miniſtrum deſignaverat jam ante 1. Sonnatius *concilio Remenſi* anno 639. Chrodegandus, de quo mox; Hayto Baſileenſis *cap.* 181. Regino, & Sanctus Petrus Damiani.

At,

At, inquies, S. Thomas, Bonaventura, & Antoninus teſtantur Confeſſionis neceſſitatem ante Concilium Lateranenſe non fuiſſe in fidei dogma ſuſceptam.

Respondeo 1. ab illis haberi Confeſſionis neceſſitatem ut dogma a Chriſto revelatum & ab Apoſtolis traditum Eccleſiæ: eam enim exiſtimant jure divino eſſe neceſſariam: & eo ipſo quod dicunt id fuiſſe a ſynodo Lateranenſi declaratum, ſatis indicant illud idem ſemper fidei dogma extitiſſe: nullum enim eſt fidei dogma, quod a Chriſto non ſit, aut a Conciliis inſtitui poſſit.

Respondeo 2. falſum id eſſe quod aiunt, Confeſſionis ſcilicet neceſſitatem in hominum opinione libere fuiſſe verſatam ante concilium Lateranenſe. Nullus enim unquam fuit, qui impune Confeſſionis neceſſitatem laceſſeret.

Respondeo 3. illud ab ipſis eſſe dictum in favorem Gratiani, & nonnullorum, qui ante hanc ſynodum non ita commode de Confeſſionis neceſſitate locuti eſſe videbantur. Ut ergo eorum honori conſulerent, id excogitaverunt, nondum ſcilicet hoc fuiſſe ab Eccleſia definitum: poſſe autem aliquid etiam a Chriſto revelatum ſine hæreſeos nota in bium revocari ab eo qui id non credit, quandiu non intervenit Eccleſiæ decretum.

Probationes ex ratione.

Ad tot & tam aperta antiquitatis teſtimonia quæ hactenus relata ſunt multiplex ratio accedit.

Prima eſt, Quod non ſolum Eccleſia Græca, ſed etiam omnes Orientis ſectæ ab ea jam dudum avulſæ, cum Latinis in hac de Confeſſione doctrina conſentiant & ſemper conſenſerint.

De Græcis a nono ſæculo, hoc eſt ab initio circiter ſchiſmatis ad hoc uſque tempus, veterum Eccleſiæ Græcæ doctorum de Confeſsione placita recenſuimus. Vide Bellarminum *lib. 3. de Pœnitentia cap.* 5. Morinum *in Appendice*, ubi plures eorum libros rituales affert; Leonem Allatium *lib. 3. de perpetua utriuſque Eccleſiæ conſenſione*, ubi quorumdam calumnias in Græcos, quaſi Confeſsionis neceſsitatem non admitterent, fortiter retundit multis argumentis; Jacobum Goar *in Euchologio*, qui Confeſsionis apud Græcos uſitatæ ritum ipſum exhibet; Schelſtratum *ad ſynodi Antiochenæ Canonem* 2. id ex profeſſo diſputantem fuſe; Natalem Alexandrum *in diſſertatione polemica de Confeſſione*; auctorem libri de perpetuitate fidei *tomo 3. ad finem*. Quod ſi vero ipſa Græcorum monimenta ſcrutari volueris, adi Theophanem Cerameum; Balſamonem *in ſcholiis ad interrogata quorumdam Monachorum*, *in notis ad can. 6. ſynodi Carthaginenſis*; Nomocanonem græcum a Cotelerio editum; Nicolaum Cabaſilam *in expoſitione Liturgiæ cap.* 29. Simonem Theſſalonicenſem *in Dialogo de ſacramento Pænitentiæ*; Jeremiam Conſtantinopoli-

politanum Patriarcham *ad quæſita Lutheranorum*. Adjice acta omnia tentatæ identidem ac redintegratæ Græcos inter & Latinos unionis: nihil enim reperies unquam ea in parte Græcis objectum. Ab ipſis poſtulatum eſt quidem poſt ſynodum Florentinam jam abſolutam, non cur eam Græci a Chriſto inſtitutam & neceſſariam non crederent; ſed cur ita ſentientes, Confeſsionem tamen vulgo non uſurparent antequam ſacris operarentur.

De Maronitis conſule *tomum* 3. Perpetuitatis fidei de Euchariſtia *ad calcem*.

De Coptis & Æthiopibus Vanslebium *in hiſtoria Eccleſiæ Alexandrinæ*; Morinum *in præfatione ad ritum Neſtorianum de ſacris ordinationibus;* Perpetuit. fidei *tomo* 3. *lib. ult. cap.* 19. Natalem Alexandrum *ſupra*, & Schelſtratum itidem *ſupra*, *cap.* 9. *art.* 4.

Quæ cum ita ſint, dubium eſſe non poteſt quin Græci, aliæque chriſtiani nominis in Oriente gentes, idem de Confeſsione, quod nos, exiſtiment. Id autem non hauſerunt a ſynodo Lateranenſi, quam non agnoſcunt; nec ab ulla alia, cui una cum Latinis interfuerint; de hoc enim nunquam fuit inter utramque Eccleſiam diſceptatum.

Ac proinde ex his multiplex conſecutio fluit in gratiam hujus de Confeſſione, quam propugnamus, legis.

1. eſt, Quod vetuſtior ſit ſynodo Lateran. cui eam imperite affingunt Hæretici.

2. Quod antiquior ſit ipſo ſchiſmatis exordio; exinde enim nunquam id jugum a nobis accepiſſent.

3. Quod etiam antevertat originem variarum illarum, quibus Oriens miſerabiliter diſcerpitur, ſectarum: alias enim in idem cum Græcis ac Latinis dogma non conſpirarent.

Atque adeo iſta lex prioribus ſæculis obtinebat. Jam vero ſi his ſæculis obtinebat, profecto ab Apoſtolis venit. Quis enim hoc onus impoſuit? Quando id contigit? Quo tandem pacto omnes orbis chriſtiani partes pervaſit? Certe quod ſemper & ubique retentum eſſe comperitur, & a nullo Epiſcopo nulloque Concilio inſtitutum eſſe legitur, id recte dicitur eſſe apoſtolicæ traditionis; ut obſervat Auguſtinus. Atque hæc prima ratio probat nullam unquam ab Eccleſiæ origine mutationem in hoc fidei dogma obrepſiſſe.

Secunda autem ratio oſtendit nullam etiam obrepere potuiſſe. Si enim aliud Apoſtoli docuerunt, aliud Eccleſia tenuit cum hæreſes ultimæ natæ ſunt, medio tempore inducta novitas eſt. At illud fieri omnino non potuit. Vel enim id factum ſimul ac ſemel, ita ut uno eodemque temporis puncto omnes ubique laquei libido inceſſeret; vel lapſu temporis, quemadmodum alias ſemper accidit, ita ut unus primo cæteris novitatem propinaret, deinde pauci ad ejus partes ſeſe adjungerent, poſtea plures, denique univerſi conſenſerint. At primum ridiculum; alterum autem eſt non minus abſurdum. Quis enim adeo demens & audax, ut chriſtianæ

reipublicæ jugum hactenus inſuetum, & intolerabile, ut Hæretici clamant, illud *animarum tormentum* proponeret; aut a ſe propoſitum, ab aliis accipiendum eſſe ſperaret? Sed, ut quis eo inſaniæ venerit; an ad ejus vocem innatus libertatis amor ita in omnibus extinctus fuit, ut illico laqueos induerent? At in familiis diſſidia ſaltem eſſe debuerunt, in imperiis motus, in Eccleſia rixæ, contentiones ac certamina. Quis autem ea de re diſputationum unquam vidit veſtigia? Quis libros hinc & inde editos legit? Quis de ſynodis ultro citroque habitis quidquam audiit? Ergo non, ut ſolet, ulla in Confeſſione inducenda novitas invaluit progreſſu temporis, a pravis initiis contagio creſcente & ubique tandem obtinente. At non etiam ſimul ac ſemel. Ergo nulla novitas, nulla mutatio hac ex parte in Eccleſiam invehi potuit.

Objicies 1. Quæcunque ex antiquitate in gratiam Confeſſionis eruuntur teſtimonia, ea omnia pertinent ad Pœnitentiam publicam. Atqui Pœnitentiæ publicæ obnoxia non fuerunt omnia peccata mortalia. Ergo ex his teſtimoniis elici non poteſt omnium peccatorum mortalium Confeſſionis neceſſitas.

Respondeo 1. nonnullos quondam eſſe opinatos cuncta lethifera peccata fuiſſe olim Pœnitentiæ publicæ ſubjecta: quod ſi ita eſſet rueret adverſariorum ratio. Sed hoc deinceps ac brevi expendemus.

Respondeo 2. Pœnitentiam publicam certo certius actam eſſe ſaltem de pluribus peccatis occultis; non eſſe autem unquam actam ſine prævia Confeſsione, quæ ubique neceſſaria prædicabatur ad ſalutem: atque adeo fuiſſe quondam certa peccata occulta, quorum Confeſsio neceſſario edenda eſſet. Si autem Confeſsio quorumdam arcanorum neceſſaria viſa eſt, eodem jure neceſſaria eſt omnium. Illa enim Confeſsio multorum occultorum, cujus neceſsitas adeo commendabatur, vel nitebatur in generali illa Chriſti ſententia qua omnia delicta Apoſtolorum judicio ſubmiſit, vel in peculiari ejuſdem mandato de reparanda offenſione, vel in lege Eccleſiæ. Atqui ea Confeſsio occultorum non fundabatur 1. in lege Eccleſiæ; nec enim Eccleſia judicat de occultis, neque in arcana cordis jus ullum habet, niſi Dei lex circa idem præceſſerit: 2. non fundabatur etiam in præcepto Chriſti de reparanda offenſione; ignota enim vulgo crimina nullum cuiquam ſcandalum objecerant. Ergo ſupereſt ut fundaretur in hac generali Chriſti ſententia. *Quæcunque ſolveritis &c.* Atqui ibi nihil excipit Chriſtus. Ergo ſi hinc educitur certorum quorumdam peccatorum Sacerdoti aperiendorum neceſſitas, eadem ratione & educetur omnium: ac proinde ſi vera eſſet adverſariorum obſervatio, nulla nempe apud Patres teſtimonia Confeſſionis occurrere, niſi quæ ſpectent ad Pœnitentiam publicam, ea nobis ſatis eſſet. Hoc vidit Dallæus. Hinc eſt quod omnes ingenii nervos contendat, ut probet non niſi in publicis ac manifeſtis criminibus uſurpatam olim eſſe Pœnitentiam publicam: ſed fruſtra, ut aliquando oſtendemus.

Res-

Respondeo 3. falſiſſimum eſſe Patres de Confeſſione mentionem nunquam feciſſe, niſi ubi de Pœnitentia publica diſſerunt. Ut enim omittamus ſcriptores, qui poſt ſeptimum ſæculum floruerunt, & occultorum ſcelerum Confeſſionis neceſſitatem frequenter inculcant, licet tunc temporis de occultis Pœnitentia publice non ageretur; nullam omnino rationem habent Pœnitentiæ hujus Origenes *hom.* 2. *in Pſ.* 37. & *hom.* 3. *in Levit. ſupra*, Lactantius *lib.* 7. *inſtit. cap.* 17. Athanaſius, Hilarius, Baſilius *in regulis brev.* Ambroſius *in Pſ.* 38. Chryſoſtomus *in libris de ſacerdotio*, & cæteri quos laudavimus paſſim: ſine ullo enim Pœnitentiæ publicæ reſpectu, generatim pronuntiant Confeſſionem criminum omnium eſſe neceſſariam; hancque neceſſitatem ſæpiſſime derivant ex illis Chriſti vocibus: *Et tibi dabo claves regni cœlorum*; ... *& quodcunque ſolveris &c.* ut eorum dicta recolenti manifeſtum erit. Ergo.

Objicies 2. Plurimi ſunt Eccleſiæ doctores qui Confeſſionis Deo ſoli factæ ſufficientiam prædicant. Ergo.

Respondeo 1. id ab iis dici ut oſtendatur veniæ facilitas, non ut Confeſſionis ejuſdem Sacerdoti poſtmodum faciendæ neceſſitas excludatur. Quod ad Chryſoſtomum, ſynodum Cabillonenſem & Gratianum notavimus.

Respondeo 2. Confeſſionem Sacerdoti factam hacce locutione non raro poſſe ac debere intelligi, v. g. Tertullianus *lib. de Pœnitentia cap.* 9. procul dubio loquitur de Confeſſione coram Sacerdote inſtituenda; quod etiam concedit Dallæus. Atqui de ea ſic ait: " Exomologeſis " eſt qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, " &c. Anaſtaſius Sinaita; " Confitere Chriſto per Sacerdotem " peccata tua. " Fulgentius *in Confeſſionis formula*: " Confiteor tibi, Domine Pater cœli & terræ. " In ſimili Joannis Jejunatoris libello, " Confiteor, inquit, peccator tibi, Pater æterne, Rex cæli & terræ. " In alio Egberti, Sacerdos preces fundit " Pro iis qui Deo peccata ſua " confeſſi ſunt. " Denique Goffridus Vindocinenſis explicans ex profeſſo quandam Bedæ ſimilem locutionem, qua dicebatur Deus ea per ſemetipſum ſanare quæ ſibi ſecreta Confeſſione revelantur; " Sibi di- " co, inquit, quia illi qui in ejus loco eſſe dignoſcitur.

Objicies 3. Si prioribus Eccleſiæ ſæculis Confeſſio pro neceſſaria fuiſſet habita, ea profecto in mortis periculo, & ante ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſuſceptionem frequentata eſſet. Atqui id non legitur. Ergo.

Nego minorem quoad utramque partem.

Ac 1. quidem de Confeſſione ante mortem non uſurpata, ſupra quam dici poteſt, falſa eſt. An non enim hujuſce Confeſſionis & reconciliationis neceſsitatem ante obitum commendant plerique veteres? Quid enim aliud ſibi volunt v. g. Clemens Romanus *in epiſtola* 2. dum ait: " Dum vivimus, ex toto corde noſtro convertamur ad Domi- " num: ..... poſtquam enim ex hoc mundo egreſsi fuerimus, nec

„ confiteri peccata, nec Pœnitentiam agere poterimus. " Cyprianus ſic „ ſcribens : " Confiteantur ſinguli delictum ſuum, dum adhuc qui de- „ liquit in ſæculo eſt, dum admitti Confeſsio ejus poteſt. " Auguſti- nus *epiſt.* 128. " Quantum exitium ſequitur eos qui de iſto ſæculo vel „ non regenerati exeunt, vel ligati ! " Auctor homiliæ 41. *inter Auguſtinianas* hortans unumquemque peccatorem ut Pœnitentiam, dum ſanus eſt, auſpicetur; " Neſcit enim, inquit, ſi poſsit Pœnitentiam ac- „ cipere & confiteri Deo & Sacerdoti. " S. Leo *epiſt.* 82. " Multum „ enim utile ac neceſſarium eſt ut ante mortem peccatorum reatus ſa- „ cerdotali ſupplicatione ſolvatur. " Victor Uticenſis *de perſecutione Vandalica*, dum Chriſtianos inducit ſic verba facientes ad Epiſcopos in exilium miſſos : " Qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & re- „ conciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi?

Quid ſi addam recentiores, Bedam *in epiſt. Jacobi*, Jonam Aurelianenſem *lib.* 3. *de inſtitutione laicali cap.* 14. concilium Pariſienſe anni 829. *can.* 29. Reginonem *de Eccleſiaſticis diſciplinis*, & alios, qui conceptis verbis aſſerunt ab infirmis in ejuſmodi diſcrimine magno ſtudio uſurpandam eſſe Confeſsionem, quod neceſſaria omnino ſit, & a Sacerdotibus poſtulandam eſſe reconciliationem? An dubium erit quin omni ævo hiſce Patrum monitis Chriſtiani obſecuti fuerint, atque adeo in hoc caſu Confeſsionem frequentaverint? Sed nec exempla deſunt; Iſidori Hiſpalenſis, ut *in ejus vita* narratur; Roberti epiſcopi Cœnomanenſis, *tomo* 3. *Concil.* Hildeboldi epiſcopi Sueſsionenſis, *apud Hincmarum*; Dacconis, apud Gregorium Turon. *lib.* 5. *hiſtoriæ cap.* 25. & Aimoinum, *lib.* 3. *cap.* 29. S. Anbonis, 1. *part.* 3. *ſæculi Benedict. pag.* 504. cujuſdam monachi 2. *parte* 4. *ſæculi Bened.* patris S. Samſonis Dolenſis *ſæculo* 1. *Bened.* Mathildis, apud Bollandum 14. *martii*; plurium apud Petrum Venerabilem *in opere de miraculis*; Joſberti de Firmitate, *in vita S. Bernardi*; Ricardi Anglorum regis, in chronico Nicolai Trivetti *tom.* 8. *ſpicilegii &c.* Id autem adeo neceſſarium eſſe videbatur, ut qui peccata ſua non confiterentur, in æternæ damnationis periculum venire; qui vero ea confiteri noluiſſent, æternum reipſa damnati eſſe putarentur. Hinc anxia cura Philiberti abbatis Gemeticenſis de quodam monacho jam animam efflante : hinc illud Bedæ de nobili viro qui, a Rege Anglorum monitus ut ſaltem in extremis poſitus Confeſsionem peccatorum ederet, renuit, ſempiternis flammis tradito : hinc illud aliud Bonifacii de Ceolredo Merciorum rege " Sine pœnitentia & Confeſ- „ ſione de hac luce ad tormenta inferni migrante : " hinc denique illud ſynodi Calchutenſis in Anglia *can.* 20. " Si quis autem, quod ab- „ ſit, ſine Pœnitentia aut Confeſsione de hac luce deceſsit, pro eo mi- „ nime orandum eſt.

Confeſſionem autem, Pœnitentiam ac reconciliationem, Euchariſtiæ perceptioni præire debuiſſe conſtat, 1. ex veteri Eccleſiæ diſciplina, quæ graviorum criminum reos ad communionem, niſi juſta Pœnitentia pur-

purgatos, non admittebat: 2. ex S. Cypriano *lib. de lapſis*, ubi eorum ſcelus exaggerat, qui ante actam legitimam Pœnitentiam Chriſti corpus tangere auderent: 3. ex S. Leone, qui tradit " Peccatores ſalubri „ ſatisfactione purgatos, per januam reconciliationis ad communionem „ Sacramentorum admitti " oportere: 4. ex formulis Confeſſionum Fulgentii, Alcuini, Egberti & aliorum: 5. ex Fortunato *in vita S. Marcelli*: " Quidam, inquit, dum vellet ad communionem accedere, „ non poterat ad altare pertingere: quem conſpiciens Pontifex interrogavit, quid fecerit: .... cujus Confeſſionem agnoſcens, dixit ei: „ Veni, accede, & ultra non pecces. Qua juſſione abſolutus, ad „ communionem acceſſit: " 6. ex Anaſtaſio Sinaita *ſerm. in ſacram ſynaxim*, " In Confeſſione .... abſtergere peccatorum maculas, ſicque „ ad intemerata myſteria accedere oportet; " 7. ex Vita S. Bathildis *apud Mabillonium in 1. parte 3. ſæc. Bened. pag.* 60. 8. ex Egberto *in Dialogo, tomo 6. Conciliorum*; 9. ex Alcuino *epiſt.* 71. 10. ex concilio Calchutenſi, *ſupra* 11. ex Paulino Aquileienſi *in libro de ſalutaribus documentis, tomo 6. novæ editionis S. Auguſtini*. " Unuſquiſque antequam „ corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti accipiat, ... quando illud accipere debemus, antea ad Confeſſionem recurrere debemus, „ & omnes actus noſtros curioſius diſcutere & peccata obnoxia, ſi in „ nobis ſenſerimus, cito feſtinemus per Confeſſionem & veram Pœnitentiam abluere; ne cum Juda proditore .... pereamus.

Objicies 4. Cum tanta putatur eſſe Confeſſionis neceſſitas ut æterna ſalus ſine ea haberi non poſſit, fieri non poteſt quin illius uſus celeberrimus ſit. Et vero antiqua, ex iis quæ jam oculis cernuntur, æſtimemus. Nihil ſane eſt quod nunc in Sacerdotum muneribus majori ſtudio commendetur & excolatur, nihil in aliorum officiis de quo diligentius admoneantur. Si Presbyteri cujuſpiam vita ſcribitur; quid prædicatur magis quam illius in excipiendis Confeſſionibus labor & induſtria? Si cujus contra e plebe, nunquam omittitur in Confeſſione obeunda ſedulitas. Atqui nihil ſimile apud veteres legitur. Ergo non eadem tunc fides fuit, quæ jam viget apud Latinos.

Respondeo 1. mutari poſſe Eccleſiæ diſciplinam, non mutata fide.

Respondeo 2. infrequentiorem reipſa olim Confeſſionis conſuetudinem extitiſſe quam nunc ſit; idque pluribus de cauſis: 1. eſt, quod plurimi ad vitæ uſque finem Baptiſma differrent: 2. quod qui citius Baptiſmo initiabantur, hauſtam e ſacro fonte ſanctitatem acriori cura ſervarent: 3. quod qui adeptam ſemel juſtitiam amitterent, non niſi magnis laboribus ad ſacra iterum admitterentur: 4. quod Confeſſio primis his temporibus ut neceſſitatis potius officium quam ut pietatis ſimplex exercitatio haberetur: quo fit ut mirum non ſit ſi nunc tantopere in vitis Sanctorum celebretur Confeſſionis frequentia; quia magna pars pietatis eſſe ducitur: olim autem non ita.

Respondeo 3. non ita rarum fuiſſe quondam Confeſſionis uſum; ut videri vult Dallæus.

Nam quod pertinet ad Epiſcopos & Presbyteros; quam ſollicite in eam ſui muneris partem tunc incubuerint ſatis intelligitur ex veteri hiſtoria ingentique illa tot de Confeſſione ſententiarum copia, quam ſive ex Patrum operibus, ſive ex Conciliis deprompſimus. An non autem v. g. Ambroſii in audiendis Confeſſionibus ſingularis humanitas miris laudibus a Paulino commendatur? Quid vero aliud arguunt innumerabiles illæ Confeſſionum formulæ in utraque Eccleſia, in gratiam Pœnitentium edi paſſim ſolitæ, quæ a ſexto ſæculo ad nonum in tantam multitudinem excreverant, ut etiam Eccleſiæ oneri eſſent? Quid illud a ſingulis Presbyteris tam ſedulo exactum, ut ſcilicet Pœnitentiale ſuum bene ſcirent; de quo conſule capitularia nec non Haitonem Baſileenſem. Quid tandem illud Liturgiæ veteris, in qua unuſquiſque Sacerdos orabat pro iis qui ſibi peccata ſua confeſſi fuerant? An non ſingula iſta Confeſſionis uſum, eumque creberrimum indicant?

De Laicis vero nihil neceſſe eſt ut quidquam poſt hæc addamus. Et certe de Confeſsione annua, de Confeſsione ante ſacram Euchariſtiæ communionem uſurpari conſueta, de Confeſsione ante mortem, jam diſſeruimus: nunc de præcipuis per annum diebus feſtis adjice Egbertum *in Dialogo ad finem*, ubi hunc in Anglia morem antiquitus fuiſſe teſtatur, & Chrodegandum *ſupra*.

ARTICULUS IV.

De multiplici Confeſſionum genere.

SAcramentalis Confeſſio eſt declaratio peccatorum Sacerdoti facta ad gratiam Dei conſequendam.

Hujus Confeſſionis multiplex modus ac diverſa ratio diſtingui poteſt. Alia enim poteſt eſſe ſecreta; alia publica; quod Sacramenti non intereſt: alia peccatorum venialium; alia mortalium: alia denique generalis, ut vocant, omnium ſcilicet a Baptiſmo admiſſorum; alia particularis ab certo duntaxat tempore: alia voce; alia per litteras.

Quæres 1. an Confeſſio publica aliquando fuerit in uſu.

Respondeo 1. nuſquam in Eccleſia paſſim legem invaluiſſe de ejuſmodi Confeſſione, nedum ullum ſit Chriſti de ea mandatum; nec conſulte facturos eos qui illam generatim præciperent.

Hæc conſtant 1. ex S. Leone *epiſt.* 136. *ſupra*, qua pravam hanc conſuetudinem, nonnullorum temeritate alicubi invaleſcentem, revelli voluit: 2. ex Sozomeno itidem *ſupra*: 3. ex concilio Tidentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. " Etſi Chriſtus non vetuerit quin aliquis .... delicta „ ſua publice confiteri poſſit, non eſt tamen hoc divino præcepto

„ man-

„ mandatum; nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut „ delicta præſertim ſecreta, publica eſſent Confeſſione aperienda.

Respondeo 2. non eſſe vetitum quin " Aliquis in vindictam ſuorum „ ſcelerum & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ec- „ cleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publice confiteri poſſit, " ut eadem Synodus *ibidem* loquitur.

Respondeo 3. Confeſſionem publicam reipſa quondam multis in caſibus uſitatam fuiſſe: quod oſtendunt

Primo Irenæus, *ſupra pag.* 223.

Secundo Origenes *hom.* 2. *in Pſalm.* 47. *ſupra pag.* 225. ubi peccatores monet ne id onus, ſi ſibi a prudenti medico imponatur, detrectent.

Tertio Socrates ac Sozomenus in hiſtoria abrogationis Presbyteri Pœnitentiarii, *ſupra pag.* 233. *& ſequ.* niſi enim matrona illa quam memorant, ſcelus ſuum palam expoſuiſſet, nunquam id ad populum manaſſet.

Quarto Joannes Climacus, eo in loco quem retulimus *pag.* 256.

Taceo Apoſtatas, Hæreticos, Schiſmaticos, alioſque id genus; non enim illi in Eccleſiæ gremium prius admittebantur, quam perfidiam ſuam coram omnibus eſſent elocuti: de quo Euſebius *hiſt. lib.* 5. *cap.* 28. *lib.* 6. *cap.* 2. *lib.* 7. *cap.* 6. Beda *ſupra*, & Goffridus Vindocinenſis.

Sileo pariter hoc peculiare inſtitutum monachorum, qui culpas coram omnibus enuntiare jubebantur: de quo Baſilius.

Respondeo 4. præter hanc publicam coram omnibus Confeſſionem, aliam inſuper obtinuiſſe, quæ coram pluribus ſimul Sacerdotibus inſtitueretur.

Talis Confeſſio fuit

Primo Theodori Cantuarienſis Epiſcopi, cujus meminit *vita Vilfridii*.

Secundo Iſidori Hiſpalenſis, ut narratur *in ejus vita*.

Tertio Roberti Cœnomanenſis *tomo* 3. *Conciliorum Galliæ*.

Quarto Hildeboldi epiſcopi Sueſſionis *apud Hincmarum*.

Quinto Arnoldi, regis, totiuſque ejus exercitus Romam obſidentis, *in annal. Fuldenſibus ad ann.* 895.

Sexto Ebbonis archiepiſcopi Remenſis *tomo* 2. *ſpicilegii*.

Septimo Judithæ imperatricis, 2. *parte IV. ſæculi Benedictini*.

Octavo Goffridi epiſcopi Altiſſiodorenſis, *in libro de geſtis Epiſcoporum Altiſſiodorenſium*.

Nono Taginonis Epiſcopi Magdeburgenſis *apud Ditmarum lib.* 6.

Decimo Theodardi Archiepiſcopi Narbonenſis *tom. ſecundo biblioth. Labb.*

Undecimo Epiſcopi Exerſtrienſis *apud Mathæum Paris*.

Decimoſecundo Angliæ Regum; Guillelmi hoc nomine I. *in ejus*

vita ; Henrici I. *apud Ordericum lib.* 13. *hiſtoriæ* ; Henrici II. *apud Malmesburienſem* ; Ricardi *apud Trivettum* , *tomo* 8. *ſpicilegii* ; Ferdinandi in Hiſpania *apud Marianam lib.* 9. *cap.* 5. Michaelis Palæologi *apud Gregoram lib.*4.

Adi Mabillonium *præfatione in tertiam partem ſæculi III. Benedictini*.

QUÆRES 2. an Confeſſio venialium vetuſta ſit.

RESPONDEO ita eſſe.

Primo enim Tertullianus *lib. de pudicitia* , poſtquam diſtinxit peccata in remiſſibilia & irremiſſibilia , & in remiſſibilium ordine recenſuit pleraque venialia, horum veniam ab Epiſcopo concedi poſſe ſtatuit : non potuit autem venia concedi ſine prævia Confeſſione.

Secundo Columbanus *in Pœnitentiali ſuo* non tantum gravia ; ſed etiam alia quæ per negligentiam admiſſa ſint delicta , aperiri ſuadet ; *apud Cointium in annalibus Eccleſiaſticis Francorum tomo* 2. *artic.* 29. " Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum ad mortem, & non arguit „ eum , legis Evangelii tranſgreſſor notetur . . . . & fateatur Sacer„ doti , ut quandiu conſcientia mala reticuit , tandiu in afflictione „ pœniteat . Qui parvum peccatum reticuit , ſimili correptione , non „ eadem afflictione pœniteat ; ſed plagis triginta ; aut quindecim pſal„ mos canat.

Tertio omnia id genus in Confeſſionibus ſuis exponere conſueviſſe Theodorum Studitam affirmat ejus vitæ auctor.

QUÆRES 3. an antiqua ſit Confeſſionum generalium conſuetudo.

RESPONDEO eſſe : utpote cujus a primis fere ſæculis exempla ſuppetant.

Primum eſt mulieris de qua Socrates ac Sozomenus ; ea enim perhibetur omnia quæ a Baptiſmo perpetrarat , confeſſa eſſe.

Secundum eſt Eligii epiſcopi Noviomenſis, qui in ipſo ſanctioris vitæ, quam auſpicabatur, limine , omnia ab adoleſcentia ſua coram Sacerdote confeſſus eſt acta, ut ait *in ejus vita* Audoenus.

Tertium S. Tillonis qui Eligii diſcipulus fuit, & iiſdem fere verbis dicitur " Omnia ſuæ adoleſcentiæ coram Sacerdote confeſſus acta: " *apud Bollandum die* 7. *Januarii*.

Quartum Clotarii regis *apud Gregorium Turonenſem lib.*4. *hiſt. cap.*21. " Rex Clotarius, inquit, adveniens Turonis ad ſepulchrum beati Mar„ tini, cunctas actiones quas fortaſſe negligenter egerat replicans, & orans „ cum grandi gemitu ut pro ſuis culpis beatus confeſſor Domini miſericor„ diam exoraret &c.

Quintum Pipini , de quo ſic Hincmarus *in Analectis ad capitularia Caroli Calvi* : " Exhortandus Pipinus ut puram Confeſſionem de „ omnibus peccatis ſuis , quæ ab ineunte ætate perpetravit , ſecrete „ faciat :

Sex-

Sextum Hildeboldi Sueſſionenſis, qui ſæpe jam a nobis memoratus eſt.

Septimum illius, de quo ſic Anſelmus *lib.3. epiſt. 66.* " Facite Confeſſionem omnium peccatorum veſtrorum ab infantia veſtra, quantum recordari poteſtis.

De hoc apud eos more, qui monaſticum inſtitutum amplecti meditabantur, conſule ſæculum V. Bened. Uldaric. Cluniac. *l.3. c.23.* & ſtatuta Ord. Carthuſ. *p.2.c.11.*

Quæres 4. an Confeſſio unquam facta ſit per litteras ad abſentes miſſas.

Respondeo ita eſſe. Sic enim

Primo quædam mulier, auctore & probante Joanne Eleemoſynario, cum nempe ipſi auſa non eſſet ſcelus ſuum coram confiteri. Id *in vita Joannis* notatur.

Secundo quidam Anglus, cujus meminere Patres Concilii Cloveſhoviæ habiti, *cap.* 27. " Nuper quidam dives ſecundum hoc ſæculum „ petens reconciliationem pro magno quodam facinore ſuo citius ſibi „ dari, affirmans in ſuis litteris idem nefas .... in tantum eſſe ex„ piatum, ut ſi deinceps vivere poſſit trecentorum annorum, ... per„ ſolutum eſſet.

Tertio Robertus ille Cœnomanus *in epiſt. ad ſynodum Duziaſenſem.*

Quarto Hildeboldus *epiſt. ad Hincmarum*, *in notis Sirmundi ad tom.* 3. *Concil. Galliæ.*

Quinto Potamius Bracarenſis epiſcopus *in ſcripto Præſulibus Concilii Toletani XII. dato* : " Delatum eſt, inquiunt Patres, conventui no„ ſtro epiſtolium confuſæ Confeſſionis, ... quod Potamius Bracaren„ ſis eccleſiæ epiſcopus de factis propriis ſuiſque verbis adnotat, & ar„ ticulis. Quo reſerato, quid obliteranda pagina, & abolenda litte„ rarum elementa, fletibus potius quam ſermonibus lacrymoſa concio „ recenſuit. Tunc ſolitarie tantum ſecretimque adunatis Pontificibus „ Dei, prædictum epiſcopum adeſſe coram nobis fecimus .... Qui „ mox flebili voce, ... cum unius Dei nominis juramento clamavit „ ſe & vere eadem mala de ſe confiteri, & ad hæc confitenda nulla ſe vio„ lentia prægravari.

Sexto Epiſcopus Lincolnienſis, quod memorat Gregorius VII. *lib.* 1 *epiſt.* 34.

Septimo Bernarius, apud Ditmarum *lib.6.*

Octavo Thomas Cantuarienſis in litteris ad Alexandrum III. de quo Baronius & Matthæus Paris *ad an.* 1164.

Quæres 5. an ejuſmodi Confeſſionibus repenſa abſolutio ſit.

Respondeo ſcripto dediſſe abſolutionem,

Primo Apoſtolum Corinthio inceſto, quem ante Pœnitentiæ addixerat, ut nonnullis videtur : de quo interpretes, ac præſertim Chryſoſtomus.

Se-

Secundo Preſbyterum quemdam morbi vi lecto affixum Serapioni; cujus hiſtoria a Dionyſio refertur apud *Euſeb. lib. 6. cap. 36.* Cum enim idolis ſacrificaſſet tormentis victus, nec recipi potuiſſet in Eccleſia, ut ſupplex poſtulaverat; in morbum incidit, cujus vi triduum obmutuit. „ Quarto autem die paululum relevatus nepotem ad ſe accerſit, præci- „ piens, ut aliquem ex Preſbyteris advocaret: quæ cum dixiſſet iterum „ fuit mutus. At Presbyter, cum ipſe lecto decumberet, puero exi- „ guam Euchariſtiæ partem dedit, præcipiens ut eam madefactam in „ os ſenis infunderet ...... Particulam igitur puer, quam apportarat, „ madefactam in os ſenis infudit; atque ille ſimul atque eam pedeten- „ tim per fauces demiſerat, illico extremum ſpiritum edidit ..... An „ non igitur ſatis conſtat, inquit Dionyſius, eum fuiſſe reſervatum, & „ uſque eo in vita manſiſſe quoad eſſet penitus culpæ vinculis ſo- „ lutus, & ita labe, qua erat idolis immolando aſperſus, omnino „ deleta?

Tertio Patres ſynodi Duciazenſis Roberto Cœnomanenſi: " Quapro- „ pter, inquiunt *epiſt. ad ipſum*, ... tibi peccata tua confitenti, per „ eccleſiaſticam apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus no- „ ſter Jeſus Chriſtus tradidit.... Apoſtolis ſuis, dicens, *Accipite Spiri-* „ *tum-ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, ...fiat tibi ſe- „ cundum fidem tuam: gratia & potentia ſua, virtute Spiritus-ſancti.... „ dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, ... & „ perducat te ad vitam æternam.

Quarto Hincmarum Hildeboldo: is enim eſt titulus epiſtolæ Hincmari: " Exhortatoria Hincmari metropolitani ad Hildeboldum diœce- „ ſanum epiſcopum corporea infirmitate detentum, in qua juxta peti- „ tionem litterarum Confeſſionis illius, ſua auctoritate eum per abſen- „ tiam corporalem reconciliando abſolvit.

Quinto Gregorium VII. Lincolnienſi & Leodienſi epiſcopis: " Ab- „ ſolutionem, inquit *lib. 1. epiſt. 34. ad Lincolnienſem epiſcopum*, pec- „ catorum tuorum, ſicut rogaſti, auctoritate principum Apoſtolorum „ Petri & Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi „ mittere dignum duximus. " *& lib. 2. epiſt. 61. ad Leodienſem epiſco-* „ *pum:* " Quia in extremo videris poſitus, fraterna compaſſione du- „ cti auctoritate B. Petri Apoſtolorum principis, abſolvimus te a „ peccatis tuis.

Sexto Ditmarum Bernario, ut ipſemet narrat.

Septimo Alexandrum III. Thomæ Cantuarienſi. Cum enim ſanctus ille Henrico II. regi, qui aliqua Eccleſiæ jura invadebat, aſſentatus eſ- ſet in concilio Clarendunenſi, compunctione tactus ſuum peccatum per litteras Alexandro III. aperuit, aſſerens ſe ad altare non acceſſurum " „ Donec per ipſum dominum Papam mereretur abſolvi. " Pontifex vero in hunc modum reſcripſit: " Si aliquid, inquit *apud Matth. Pa-* „ *ris ad annum* 1164. te recolis commiſiſſe de quo propria te debeat

„ con-

„ conſcientia remordere, quidquid ſit, Sacerdoti ..... tibi conſulimus „ per Pœnitentiam confiteri; quo facto & miſericors Dominus .... tibi conſuetæ pietatis ſuæ miſeratione dimittet; & nos de BB. Petri „ & Pauli apoſtolorum ejus meritis confidentes, te ab eo quod eſt „ commiſſum abſolvimus & idipſum fraternitati tuæ auctoritate apoſtolica relaxamus, conſulentes utique ac mandantes, ut poſtea a Miſſarum celebrationibus propter hoc non debeatis abſtinere.

Octavo epiſcopum quemdam, cujus nomen latet, apud Harmenopulum *ſect.* 5. *tit.* 3. *Epitomes canonum*, *in ſcholiis ad canonem* 54. *Baſilii*: „ Sub Luca patriarcha, inquit, militi cuidam qui cædem voluntariam „ commiſerat epiſcopus quidam intra perexiguum tempus abſolutionem „ per ſcripturam conceſſerat.

Quæres 6. an id omnibus probatum fuerit.

Respondeo id improbatum fuiſſe

Primo A S. Thoma *quodlibeto* 7. *art.* 1. " Ex inſtitutione Eccleſiæ tenetur homo, inquit, qui poteſt, ut verbo confiteatur; ut ore confitens magis erubeſcat.

Secundo a ſynodo Nemauſenſi anno 1284. " Non debet confiteri per „ nuncium nec per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio & præſentialiter; ut qui per ſe peccavit, per ſeipſum confiteatur & erubeſcat.

Præiverat auctor libri *de vera & falſa Pœnitentia* apud Auguſtinum, quem exhibet Gratianus *de Pœnitentia diſt.* 1. *can.* Quem pœnitet: " Præcepit Dominus, inquit, mundandis leproſis ut oſtenderent ora ſua Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata ...... Non „ alium ſtatuatis..... Qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis; erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis. In hoc enim quod per „ ſe ipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit „ venia criminis.

Quæres 7. an non vetitum id ſit.

Respondeo hanc conſuetudinem abrogatam eſſe a Clemente VIII. *tom.* 3. *Bullarii pag.* 132.

Hunc antevertiſſe videtur ſynodus Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. ſic ajens: " „ Eos, qui ſe crimine aliquo poſt Baptiſmum contaminaverint, ante „ hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit Chriſtus, ut per Sacerdotum ſententiam, quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerent, „ poſſent liberari.

Quæres 8. an nulla jam futura eſſet ejuſmodi Confeſſio.

Respondeo Theologos hac in parte non conſentire; de quo adi Suarez *diſp.* 19. *de forma Pœnitentiæ*; & Iſambertum noſtrum *diſp.* 18. *de Pœnitentia*, *art.* 6.

Quæres 9. an ejuſmodi Confeſſio & abſolutio per ſe nulla ſint.

Respondeo non eſſe: Sacramenta enim non ſunt ejus generis, ut ex partibus naturalibus ac vero quodam nexu copulatis conſtare debeant.

Satis

Satis eſt ſi moralis conjunctio ſit, quæ inter abſentes conſiſtere poteſt: id enim a ſola Dei voluntate pendet.

ARTICULUS V.

De variis Confeſſionis Proprietatibus.

QUATUOR illæ ſunt: Neceſſitas, Veritas, Integritas, & Secretum.

De Neceſſitate Confeſſionis,

QUÆRES 1. an Confeſſio ſit neceſſaria neceſſitate medii.

RESPONDEO ita eſſe. Illud enim neceſſarium eſt neceſſitate medii, quod a Deo inſtitutum eſt ut medium ac via ad reparandam gratiam amiſſam. Atqui, ut Baptiſmus, ſic & Pœnitentiæ ſacramentum ex divina inſtitutione requiritur ad recuperandam gratiam.

QUÆRES 2. quandonam lex illa obliget.

RESPONDEO hac lege teneri per ſe proculdubio quemlibet peccati lethalis reum in periculo mortis; ex accidenti autem cum Sacramentum ſuſcipere aut miniſtrare debet, cui gratiam præviam eſſe oporteat: quin etiam teneri quemlibet peccati mortalis reum, cum adeſt Confeſſarii copia, ſentiunt Guillelmus Pariſienſis & Bonaventura; idque propter ſalutis diſcrimen cui ſeſe objicit.

QUÆRES 3. an de Confeſſione ſit aliqua Eccleſiæ ſanctio.

RESPONDEO eſſe, & quidem concilii Lateranenſis, quod nuper memoravimus, de Confeſſione quotannis ſaltem ſemel facienda.

QUÆRES 4. qua anni parte iſta Confeſſio peragi debeat.

RESPONDEO 1. nullam a concilio Lateranenſi aſſignari: ac proinde juxta illud, ſufficere ſi quis ſemel quovis anno peccata ſua confiteatur.

RESPONDEO 2. pluribus poſthac Synodorum decretis fixum eſſe, ad hanc Confeſſionem annuam, tempus paſchale, propter Euchariſtiam eo tempore ſuſcipiendam.

QUÆRES 5. an huic præcepto Confeſſione ſacrilega fiat ſatis.

RESPONDEO non fieri ſatis; tum quia Eccleſia tantum fixit tempus Confeſſionis illius legitimæ, quæ in univerſum a Chriſto imperata fuerat; tum quia Alexander VII. hanc proſcripſit propoſitionem: “„ Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Ec„ cleſiæ.

QUÆRES 6. an hujuſmodi præcepto obligentur qui peccatis duntaxat venialibus obnoxii ſunt.

RESPONDEO non obligari, juxta plurimorum ſententiam; tum quia Eccleſia nihil poteſt in materia Sacramentorum; atque adeo non poteſt

teſt materiam ex libera neceſſariam facere; tum quia legem Chriſti, de Confeſſione generatim poſitam, ad certum tempus alligare ſolum voluit: lex autem Chriſti non pertinet niſi ad peccatorum lethalium reos.

Quæres 7. an qui non paret huic Eccleſiæ decreto, is ipſo ſtatim facto in excommunicationem incurrat.

Respondeo non incurrere: non enim eſt illa excommunicatio latæ, ut ajunt, ſententiæ, ſed ferendæ, ſervata legitimi judicii forma.

De Veritate Confeſſionis.

Quæres, an ſi quis inter confitendum ſciens ac prudens neget aliquod peccatum lethale, is violati Sacramenti ſcelere, hoc eſt ſacrilegio ſeſe devinciat.

Respondeo ita eſſe ex communi omnium ſententia.

De Integritate Confeſſionis.

Quæres 1. quotuplex ſit Confeſſionis integritas.

Respondeo duplicem eſſe, unam materialem, ut loquuntur; alteram formalem.

Materialis eſt, quæ omnia ſine ulla exceptione admiſſa peccata complectitur: formalis quæ ea duntaxat quæ in memoriam redeunt, aut Confeſſionis legibus ſubjiciuntur.

Quæres 2. quænam neceſſaria ſit.

Respondeo materialem non requiri: quia penes hominem non eſt omnium recordari peccatorum: quot enim incautis & non ſatis attendentibus obrepunt? quot fugiunt ex animo? 2. quia certi ſunt caſus in quibus exiſtimant Theologi hominem peccatorum mortalium reum poſſe non omnia, quorum etiam meminit, confiteri; ut ſi ingens ex illa Confeſſione timeat periculum, nec ad alium Sacerdotem accedere poſſit. Qua de re lege S. Thomam *in ſuppl. q.* 8. *art.* 4. *ad* 5.

Quæres 3. an ad integritatem formalem neceſſe ſit omnia confiteri peccata, quæ in memoriam redeunt; an non liceat ita partiri Confeſſionem, ut uni Sacerdoti quædam, alia alteri detegantur.

Respondeo omnia aperienda eſſe & quidem ſimul. Ita enim definiunt

Primo Origenes *hom.* 3. *in Lev. ſupra*: Omni genere pronuntianda „ ſunt cuncta quæ egerimus; ſi quid in occulto, ſi quid in ſermone „ ſolo, vel etiam intra cogitationem.

Secundo Hilarius *in Pſ.* 137. " Confitendum eſt, inquit, ut Propheta „ docuit, ex toto corde; non ex parte, neque aliqua adhuc nobi- „ ſcum cognitorum peccatorum operatione reſidente.

Tertio

Tertio Chryſoſtomus *de ſacerdotio lib.* 2. *cap.* 4. " Nihil horum (pec-
„ catorum ,) inquit , relinquendum eſt quod probe non excutiat (Sa-
„ cerdos :) ..... quin omnia accurate & ſtudioſe perſcrutatum , tum
„ demum oportet illum ſua ipſius remedia congrue, apte, accommoda-
„ te afferre . " *Hom.* 30. *in Geneſim* : " Facienda , inquit , diligens &
„ pura peccatorum Confeſſio . " *Hom.* 9. *in epiſt.ad Heb.* " Sin autem
„ dicit, inquit , Sum peccator , eaque (peccata) per ſpecies non cogi-
„ tat ac ſupputat ; non ceſſabit &c.

IV. Auctor libri *de vera & falſa Pœnitentia*, *cap.* 9. id fuſe diſputat.
Ex eo autem *capitib.* 14. *&* 15. id refert Gratianus *de Pœnitentia diſt.*
5. *cap.* Conſideret : " Conſideret qualitatem criminis in loco , in tem-
„ pore , in perſeverantia , in varietate perſonæ : ..... omnis iſta va-
„ rietas confitenda eſt : . . . . cautus ſit ne verecundia ductus dividat
„ apud ſe Confeſſionem , ut diverſa diverſis velit Sacerdotibus manife-
„ ſtare ; quidam enim uni celant , quæ alii manifeſtanda reſervant .

Quinto Chrodegandus *in regula*, *cap.* 14. " Si ullus de Clero , quod
„ abſit , quando ſuam Confeſſionem ſuo Epiſcopo facit , ſic repletus ſit
„ ſpiritu diabolico , quod auſus ſit de ſuis peccatis aliqua ſuum Epiſ-
„ copum celare , & vadit quaſi per alios Sacerdotes ſuas Confeſſiones
„ donando ; .... ſi Epiſcopus hoc per aliquod ingenium inveſtigare po-
„ tuerit , corporalem diſciplinam &c.

Sexto Concilium Cabillonenſe ſecundum , *can.* 32. " Sed & hoc ,
„ inquit , emendatione indigere perſpeximus , quod quidam dum con-
„ fitentur peccata ſua Sacerdotibus , non plene id faciunt &c.

Septimo Theodulphus Aurelianenſis *in Capitulari num.* 31. " Confeſ-
„ ſiones , inquit , dandæ ſunt de omnibus peccatis quæ ſive in opere ,
„ ſive in cogitatione perpetrantur .

Octavo Petrus Damiani *ſerm.* 2. *in S. Andream* , de Confeſſione , "
„ Hæc , inquit , pure facienda eſt ; quia non eſt pars peccatorum di-
„ cenda , & altera retinenda &c.

Nono Galo *in ſtatutis cap.* 154. " In Confeſſione Sacerdos pro poſ-
„ ſe ſuo pluribus modis perſuadeat ut confiteatur integre : unde vere
„ aliter dicat ei non valere .

Decimo Petrus Cellenſis *de diſciplina clauſtrali cap.* 21. " Nihil omit-
„ tit vera Confeſſio quin accuſet omnes exceſſus ..... Evolvendæ ſunt
„ cogitationes & rimandæ intentiones in Confeſſione , ut nec minima
„ peccati ungula evadat ; ..... ſit enim in Confeſſione criminale venia-
„ le : ſed paucorum eſt diſcernere .... inter veniale & mortale
„ &c.

Decimoprimo Petrus Bleſenſis *ſerm.* 39. idem ſtatuit.

Decimoſecundo S. Bernardus *ſerm.* 16. *in Cantica* " Omne quod re-
„ mordet conſcientiam confitere humiliter , pure , fideliter .

Decimotertio Auctor *meditationum apud eundem* .

Decimoquarto Auctor *ſermonis* 4. *de diverſis*, *apud eundem* .

De-

Decimoquinto Synodus Remenſis an. 1334. *can.* 15. " Suadeant Sa-
„ cerdotes peccatoribus ut integre ſua peccata confiteantur, quia par-
„ ticularis Confeſſio nihil valet.

Decimoſexto Concilium Lingonenſe anno 1404. *can.* 82. " Presbyte-
„ ri inducant ad pure & integraliter confitendum peccata ſua per mo-
„ dum quo ea fecerunt.

Decimoſeptimo Synodus altera Remenſis anno 1583. *can.* 2. & 4. "
„ Moneant Parochi neminem poſſe peccatorum veniam conſequi, priuſ-
„ quam de peccatis confiteatur; .... nec credat ſe abſolutum, ſi par-
„ tem aliquam peccatorum uni, & reliquam alteri confiteatur; aut,
„ dum uni tantum confitetur, peccatum aliquod reticeat.

Merito itaque ſynodus Tridentina *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. " Ex his colligi-
„ tur, inquit, oportere pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum
„ poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione
„ recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, ac tantum adverſus duo ul-
„ tima decalogi præcepta commiſſa.

Quæres 4. an explicandæ ſint in Confeſſione peccatorum eæ, ut ajunt, circumſtantiæ quæ ſpeciem eorum mutant.

Respondeo ita eſſe, idque ex modo dictis ſequi, & definitum eſſe a concilio Tridentino *ibidem* ſic ajente contra Lutheranos: " Colligitur
„ præterea eas etiam circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe,
„ quæ ſpeciem peccati mutant; quod ſine illis peccata ipſa neque a
„ pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant. " Quo
„ loco ratio additur cur illud uſurpari debeat, ſane efficaciſſima.

Atque hæc profecto fuit veteris Eccleſiæ mens & diſciplina; cum enim nihil aliud prædicent Patres, nihil aliud ſanciant Concilia, quam examinari cauſas ſingulorum, delictorum pondus æſtimari, ut pro criminum varietate ſua cuique Pœnitentia indicatur, variiſque morbis proprium remedium afferatur; quis non intelligit ad id neceſſe fuiſſe ea omnia confiteri quæ ſpeciem peccati mutant?

Quæres 5. an aperiendæ quoque ſint eæ circumſtantiæ quæ peccatum duntaxat aggravant.

Respondeo ita eſſe, quamvis nonnulli e Catholicis aliter opinentur.

Nempe is ſemper fuit Eccleſiæ ſenſus, ea conſuetudo; neque aliud ratio ipſa patitur.

Primo Scriptor libri *de vera & falſa Pœnitentia capit.* 14. *ſupra pag.* 603.

Secundo Auctor *de viſitatione infirmorum apud Auguſtinum lib.* 2. *cap.* 5 Pœnitentem alloquens, " Aperi ei (Sacerdoti,) inquit, penetralium
„ tuorum abditiſſima latibula, conſcientiarum verecundarum penitiora
„ revela repagula: ... deſignanda ſunt in quibus peccaſti loca & tem-
„ pora; cum quibus peccaſti perſonis, non nomina ipſorum; ætas in
„ qua peccaſti; quo gradu jam Eccleſiæ inſerviebas; utrum ſemel, an

„ ex

„ ex conſuetudine ; utrum neceſſitate, an voluntate cecidiſti: his enim
„ omnibus ſua inſtant judicia.

Tertio Joannes Jejunator *in Pœnitentiali*, " Oportet eum, inquit,
„ qui Confeſſionem ſuſcipit, videre & adoleſcentiam, & vires, ſene-
„ ctutis & imbecillitatem, & loci differentiam, & modi per quem
„ malum factum eſt ; an ex vino vel ex ſocietate, &c.

Quarto in Capitularibus *lib. 7. cap.* 379. " Quærendum eſt Sacerdo-
„ ti, cum accipit cujuslibet fidelis Confeſſionem peccatorum, qualiter
„ 1. peccatum perpetratum eſt, aut ſi poſtea iteratum, aut frequenter
„ actum ſit ; ſi ſponte, ſi coactus, ſi per ebrietatem : .... & cum vi-
„ derit unde radix illius proceſſit, tunc congruam adhibeat medici-
„ nam.

Quinto Theodulphus *capitulari* 31. " Confeſſiones dandæ ſunt de
„ omnibus peccatis : .... diligenter debet inquiri quomodo aut qua oc-
„ caſione peccatum perpetrarit.

Sexto Concilium Wormatienſe *can.* 5. " Debet Sacerdos in Pœni-
„ tentia danda ſingulorum cauſas ſigillatim conſiderare, originem quo-
„ que, modumque culparum ; .... temporum etiam & perſonarum,
„ locorum quoque & ætatum qualitates inſpicere.

Septimo Pœnitentiale Romanum edicit ut " Pœnitentes de circum-
„ ſtantiis interrogentur, ne quid veneni, aut pudore, aut ignavia,
„ aut denique oblivione, intra pectus remaneat.

Octavo aliud Pœnitentiale *apud Morinum in appendice* id declarari vult in confitendis pravis cogitationibus, quod videlicet in loco ſancto acciderint. Aliud e bibliotheca Navarrica, " ſacerdos, inquit, inſtruat
„ quod ſingula peccata & eorum circumſtantias confiteatur, & caveat
„ ne verecundia ductus dividat Confeſſionem ; ſed integre confitea-
„ tur.

Nono Galo *in ſtatutis* : " In Confeſsione caveant ſibi Sacerdotes ne
„ inquirant nomina perſonarum cum quibus peccaverunt pœnitentes,
„ ſed circumſtantias tantum.

Decimo Concilium Londinenſe an. 1200: *canon.* 4. " Ut Sacerdotes
„ in Pœnitentiis imponendis diligenter attendant circumſtantias, quali-
„ tatem perſonæ, quantitatem delicti, tempus, locum, cauſam, mo-
„ ram in peccato factam, devotionem Pœnitentis.

Decimoprimo Innocentius III. *ſerm.* 2. *de Martyribus*: " Debet pec-
„ cator omnem omnino peccati circumſtantiam confiteri ſecundum quod
„ magis peccavit, in loco, in tempore, in numero, in perſona ; ſe-
„ cundum ætatem, ſecundum ſcientiam, ... ſecundum ordinem ; ſi
„ facile, ſi frequenter, ſi manifeſte, ſi perſeveranter. Hæc omnia cri-
„ men exaggerant, & ideo debet ſingula confiteri, ne delictum alle-
„ vet, vel peccatum excuſet. " Vide & *in Pſ. pœnitentialem* ad illa verba : *Ecce enim veritatem dilexiſti.*

Decimoſecundo Jacobus de Vitriaco *ſermone in capite jejunii* : " Sit
„ inte-

„ integra Confeſsio , ut omnia peccata quæ recolit , cum omnibus cir-
„ cumſtantiis aggravantibus peccatum , uni ſingillatim & decenter con-
„ fiteatur : ..... non enim unum peccatum ſine altero dimittitur.

Decimotertio Concilium Tridentinum, etſi ab hac quæſtione inter Theologos agitata pro ſuo more abſtinere voluit, ubi tamen de circumſtantiis ſpeciem mutantibus verba facit, rationem adducit quæ in aggravantes etiam valeat: ait enim priores ideo eſſe manifeſtandas, quod ſine eo fieri nequeat ut de gravitate criminum recte cenſere poſsint. Sacerdotes, & pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere. Atqui eadem cauſa locum habet in circumſtantiis gravius peccatum facientibus. An non enim alia gravitas eſt inceſtus cum matre, alia ejuſdem cum ſorore criminis? Ergo.

Decimoquarto Cetechiſmus Romanus conceptis verbis idem quod nos docet.

Decimoquinto Innocentius XI. huic propoſitioni cenſuram inuſſit: “ Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſue„ tudinem. Atqui conſuetudo aggravat ſolummodo peccatum. Ergo.

His multiplex ratio ſuffragatur.

Prima eſt quam ex ſynodo Tridentina mox attulimus: Sacerdotes enim ſunt judices & miniſtri.

Secunda eſt quod ſi circumſtantias aggravantes confiteri neceſſe non ſit, jam non poſſent Epiſcopi quædam ſibi crimina reſervare, ea tantum ratione ab allis diſcrepantia. Atqui id Epiſcopi uſurpant: inceſtum enim in primo gradu ſibi reſervant, non in ſecundo. Ergo.

Quæres 6. an confitenda ſint peccata dubia.

Respondeo ita eſſe, ſive quis ambigat an ea admiſerit, ſive an non ea ante confeſſus fuerit, ſive tandem an ſint mortalia.

Scilicet pars ea, quæ tutior eſt, in dubio ſemper eſt amplectenda, maxime autem in adminiſtratione Sacramentorum, ac eorum præſertim quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem. Quanto enim gravius eſt periculum cui ſeſe quis objicit, tanto gravius eſt peccatum.

Equidem juxta humanas leges ſcelera dubia non plectuntur; ſed quia ad pœnam duntaxat ſunt inſtitutæ. In ſacramento autem Pœnitentiæ contra, judicium inſtituitur in ſalutem & utilitatem rei, quam Confeſſioni integræ alligavit Chriſtus. Violandæ porro ejuſmodi integritati ſeſe exponeret quiſquis peccata dubia reticeret. Qui vero amat periculum, in illo peribit. Ergo.

Quæres 7. an inter confitendum declarandi ſint peccatorum ſocii

Respondeo 1. non eſſe declarandos, niſi id vel magna utilitas, vel neceſſitas flagitaverit: inde enim eſt quod Lanfrancus *in libro de celanda Confeſſione* eos arguat, qui non arbitrabantur indulgentiam conſequi, niſi ſociorum ſuorum nomina detexerint. Quamvis enim hoc unum ibi Lanfrancus vetet ne ſcilicet ſociorum prodantur nomina; id tamen perſonas etiam ſpectat, ne ſine gravi cauſa detegantur.

Respondeo 2. multis in caſibus declarandos eſſe, etiamſi forte eo ipſo innoteſcant Sacerdoti Confeſſiones excipienti.

Primo cum non poteſt aliter peccati ſpecies explicari. Sic qui ſorori vitium obtulit, non tantum generatim ſtupri accuſare ſe, ſed etiam inceſti gradum detegere debet.

Ita enim fiebat olim; quod liquet ex omnibus Pœnitentialibus libellis & canonibus. In exemplum ſit Baſilius *in epiſtola ad Amphil.* " Cum ſorore coitus inquit *can.* 67. homicidæ tempore punietur. " " *Can.* 75. " Qui cum propria ex patre vel ex matre ſorore pollutus eſt, ... triennio defleat. " *Can.* 79. " Qui in ſuas novercas inſaniunt, " ſunt eidem canoni obnoxii, cui & ii qui in ſuas ſorores inſaniunt. " Ex quo colligitur ſorores, & novercas declarari in Confeſſione tum oportuiſſe.

Secundo Cum id facit ad peccati gravitatem cognoſcendam. " Ita Burchardus *lib.* 19. Occidiſti tu liber ſervum ſenioris tui qui nihil in " te peccavit, ſed juſſu ſenioris tui, quadraginta dies, id eſt, carrinam " in pane & aqua cum ſeptem ſequentibus annis pœniteas, & ſenior " tuus ſimiliter &c. Si autem ſervus conſervum tuum juſſu domini tui " occidiſti; dominus tuus quadraginta dies, id eſt, carrinam, in pa- " ne, & aqua cum ſeptem ſequentibus annis pœnitere debet; & " tu tres quadrageſimas. " Itaque libertas, & ſervitus inter confitendum non modo explicabantur, ſed etiam ſenior ac dominus declarabatur.

Nec dicas ea crimina fuiſſe publica, aut ignotos Sacerdotibus fuiſſe criminum ſocios.

Utrumque enim falſum eſt.

Nam 1. quod ſpectat ad ipſa crimina, nullum diſcrimen canones ſtatuunt. Deinde, quæ inter conjuges præter legitimum matrimonii uſum admittuntur, ea certe arcana ſunt: atqui hæc ipſa aperiebantur Sacerdotibus. Denique aliquando Concilia conceptis verbis loquuntur de occultis. Triburienſe *can.* 43. " Si quis cum qualibet fornicatus " fuerit, & eo neſciente, filius ejus vel frater ejuſdem, & rei in- " ſcius, cum eadem ſe polluerit, & poſtquam ſe pollutum eſſe co- " gnovit, confeſſus fuerit, & hoc ſe neſcire cum juramento confir- " maverit; quia hoc pœnituit & confeſſus fuit, poſt peractam con- " gruam Pœnitentiam legitimo utatur matrimonio. " Wormacienſe *can.* 62. " Si quis cum matre & filia in adulterio manſit, neſciente " matre quod cum filia manſerit, ſimiliter & filia neſcia, & poſtea il- " le vir, ſi acceperit mulierem, dimittat eam, & uſque in diem " mortis ſuæ non habeat uxorem; & illa mulier quam reliquerit, ac- " cipiat virum; & illa mulier & filia cum quibus in adulterio man- " ſit, ambabus neſcientibus quod cum matre, & filia manſiſſet, ha- " beant viros: nam in notitiam earum ſi venerit hoc ſcelus, dimit- " tant viros.

2. au-

2. autem quod ſpectat ad criminum ſocios, quo tandem pacto ignoti illi tum eſſe poterant? Enim vero quinam Confeſſiones tum excipiebant? nempe Epiſcopi, Parochi eorumque vicarii. Nondum enim erant ut nunc monachi ad quos peccatores paſſim diverterent. Epiſcopi autem ac Parochi iiſdem tum locis affixi erant per omnem vitam; nec enim ita facile ad alias Eccleſias migrabant: ac proinde nullus erat quem probe non noſſent. Igitur non poterat verbi gr. uxor facinus confiteri ſuadente viro a ſe admiſſum, non poterat ſervus dominum indicare, quin illi ſtatim in mentem ac notitiam Sacerdotum venirent.

Nec addas conſulendum eſſe famæ proximi.

Nam 1. in infamiam ſocius criminis inde non incurrit. 2. Si quid illic pœnæ eſſe videatur, hanc crimine ſuo commeruit. 3. Olim Epiſcopi auctores erant uxoribus ut viros ſuos, quos noſſent parum caſte vivere, deferrent ad Eccleſiæ tribunal, quo corrigerentur; ut ex Auguſtino liquet. Nunc etiam licet reos deferre ad judicem, cum id poſtulat boni publici ratio: multo autem magis declarare, ſi juridice interrogatus fueris: ergo potiori longe jure cum Chriſti præceptum urget, & propria ſalus, eaque æterna, procuranda eſt.

De hoc argumento conſule Morinum *de adminiſtratione Pœnitentiæ*, *lib.* 2. *cap.* 12. *& ſeq.* fuſiſſime ex veteris Eccleſiæ mente ac decretis diſputantem.

De Sigillo Confeſſionis.

Quæres 1. an Sacerdos ſecreto Confeſſionis teneatur, & quo jure.

Respondeo teneri, & jure quidem tam naturali, quam divino & Eccleſiaſtico.

Primo Jure naturali. Ipſa enim ratio dictat, quæ ſponte ſecreto acceperis, ea eſſe fideliter cuſtodienda nec prodenda: quoddam enim veluti pactum ſecreta committentem inter, & audientem intercedit: ſtandum autem pactis, quid notius? 2. Unuſquiſque jus habet a natura in propriam famam: eam ergo violari nefas fuerit; præſertim autem ab eo cui volenti tota credita eſt. 3. tandem, id alteri faciendum non eſt, quod tibi fieri nolueris: at profecto nemo eſt qui velit arcana ſua, & maxime quæ in dedecus vergere poſſint, vulgari. Ergo.

Secundo Jure divino. In hoc enim judicio Sacerdos Chriſti vices gerit ac perſonam ſuſtinet. Chriſtus porro occulta crimina eſſe ſinit, nec illuminabit abſcondita tenebrarum, nec manifeſtabit conſilia cordium, niſi in die revelationis juſti judicii Dei. Ergo.

Tertio Jure Eccleſiaſtico. Id enim non tantum religioſe ſemper obſervavit Eccleſia; ſed multis etiam canonibus ſanxit.

De Ambroſio ſic narrat Paulinus. "Cauſas criminum, quas rei con-
„ fitebantur, nulli niſi Domino ſoli apud quem intercedebat, loquebatur: "
prorſus ex Eccleſiæ ſenſu.

Sozomenus de inſtitutione presbyteri Pœnitentiarii diſſerens: "Cum
„ . . . . ad impetrandam veniam peccata confiteri neceſſarium ſit, odio-
„ ſum Sacerdotibus ab initio viſum eſt, tanquam in theatro, audiente Ec-
„ cleſiæ multitudine, delicta pronuntiare. Presbyterum itaque aliquem vi-
„ tæ integritate ſpectabilem, SECRETORUM ETIAM TENACEM AC SA-
„ PIENTEM huic officio præfecerunt.

S. Leo: "Reatus conſcientiarum ſufficit ſolis Sacerdotibus indicari in
„ Confeſſione ſecreta.

Auctor libri *de ſalutaribus documentis cap.* 52. "Sacerdos, ut ſapiens, &
perfectus medicus, primum ſciat curare peccata ſua, & poſtea aliena vul-
„ nera detergere & ſanare, ET NON PUBLICARE.

Gregorius ut putatur VII. *in decreto* quod refert Gratianus *de Pœ-
nitentia diſt.* 6. *cap.* Sacerdos, & Magiſter ſententiarum *lib.* 4. *diſt.* 21.
" Sacerdos ante omnia caveat, inquit, ne de his, qui ei confiten-
„ tur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, ne-
„ que, quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, de-
„ ponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſe peregrinando
„ pergat.

Hinc ſynodus Lateranenſis: "Caveat autem omnino (Sacerdos,)
ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo prodat peccatorem; ſed
ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſo-
„ næ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio
„ ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio de-
„ ponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam Pœniten-
„ tiam in arctum monaſterium detrudendum.

Hanc eandem legem ſupponit ſynodus Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. ab ipſis Eccleſiæ
incunabulis obtinuiſſe.

Ratio favet: Hinc enim gravis & odioſa fieret Confeſſio; & eo gravior
ac odioſior, quod non ſponte, ſed divino urgente juſſu, fiat. Unde quam-
vis certis in occaſionibus ſecreti ab amico forte commiſſi ſigillum recludere
liceat, quando ſcilicet in perniciem alterius cedit, non ſequitur & Confeſ-
ſionis ſecretum reſerari poſſe.

Obſervabis autem 1. hocce ſigillo obligari eum etiam Sacerdotem qui ab-
ſolutionem Pœnitenti non conceſſerit.

Obſervabis 2. eodem aſtringi quicunque aliena peccata Confeſſionis
via comperta habuerit; verbi gr. interpretem, ſi quis adhibitus fue-
rit, &c.

QUÆRES 2. an cognitione, quam Confeſſionis via conſecutus eſt,
Sacerdos uti poſſit ad exteriorem Eccleſiæ aut Societatis guberna-
tionem.

RESPONDEO minime. Sic enim Clemens VIII. ann. 1594. 16.
Maii.

Maii: “ Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes; quam Confeſſarii „ qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant dili- „ gentiſſime ne ex notitia quam de aliorum peccatis in Confeſſione „ habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. “ Adde cenſuram Facultatis Pariſienſis in Amadæum Guimenium.

Quæres 3. quænam ſub Confeſſionis ſigillum cadant.

Respondeo ea omnia quæ ad peccatorum declarationem dicta ſunt, ſive ſint ipſa facta; ſive circumſtantiæ ſcelus aggravantes, ſive alia eo pertinentia.

Quæres 4. an Sacerdos de iis loqui poſſit quæ in Confeſſione audiit, poteſtate ſibi de eo a Pœnitente facta.

Respondeo poſſe; quidquid Scotus contradicat. Sigillum nempe in gratiam Pœnitentis inſtitutum eſt. Cum ergo Pœnitens illud relaxat ac jure ſuo cedit, nulla amplius eſt ſecreti ſervandi neceſſitas.

Notabis tamen 1. conſenſum Pœnitentis debere eſſe expreſſum, & explicatum, ſimulque liberrimum; non vero extortum: 2. rariſſime id eſſe uſurpandum, eo quod invidiam & odium Confeſſioni creare poſſit: 3. ſi id repoſcat publici boni ratio, ſuadendum potius eſſe Pœnitenti, ut ipſemet rem in ſe ſuſcipiat.

Quæres 5. cujus generis ſit peccatum ſecreti illius violatio.

Respondeo eſſe peccatum mortale, etiamſi aliunde id quod revelatum eſt levius eſſe videatur: verſatur enim illud delictum in materia admodum gravi, quia odioſam facit Confeſſionem.

Hactenus de Confeſſione, cujus quoniam idem eſt, qui Pœnitentiæ Sacramenti, miniſter; de eo poſtmodum diſſeremus.

QUÆSTIO QUINTA.

De Satisfactione.

Nunc ſupereſt Pœnitentiæ pars, quæ Satisfactio nominatur, excutienda; de qua Eccleſiæ doctrinam proponit ſynodus Tridentina, *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. *&* 9. necnon & *can.* 12. 13. 14. *&* 15. quorum hæc ſumma eſt.

Primo “ Falſum omnino eſſe & a verbo Dei alienum culpam remitti, „ quin univerſa etiam pœna condonetur.

Secundo “ Divinæ juſtitiæ rationem exigere ut aliter a Deo in gratiam recipiantur qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint, „ aliter vero qui ſemel a peccati, & Dæmonis ſervitute liberati, & „ accepto Spiritus ſancti dono, ſcientes templum Dei violare & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint. Divinam clementiam „ de-

„ decere ne ita nobis abſque ulla Satisfactione peccata dimittantur, ut
„ occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii & contu-
„ melioſi Spiritui ſancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis
„ iram in die iræ. " Has ſatisfactorias pœnas magnopere " a pecca-
„ to revocare & quaſi freno quodam coercere; cautioreſque, & vigi-
„ lantiores in futurum Pœnitentes efficere, mederi peccatorum reli-
„ quiis, vitioſos habitus tollere, amovere imminentem a Domino
„ pœnam, nos Chriſto, qui pro nobis ſatisfecit, conformes fa-
„ cere.

Tertio ſatisfactionem iſtam non ita noſtram eſſe, ut non ſit per Chri-
„ ſtum Jeſum, in quo vivimus, meremur, ſatisfacimus, facientes fructus
„ dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, &
„ per illum acceptantur a Patre: neque ex hujuſmodi ſatisfactionibus vim
„ meriti & ſatisfactionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel obſcurari, vel ali-
„ qua ex parte minui.

Quarto " Debere Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & pruden-
„ tia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate,
„ ſalutares & convenientes Satisfactiones injungere, non tantum ad
„ vitæ novæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam
„ ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem: claves
„ enim Sacerdotibus non ad ſolvendum duntaxat, ſed ad ligandum
„ conceſſas.

Quinto " Deo ſatisfieri non ſolum pœnis ſponte a nobis pro vin-
„ dicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura de-
„ lictorum impoſitis; ſed etiam, quod maximum amoris argumen-
„ tum eſt, temporalibus flagellis a Deo inflictis & a nobis patienter
„ toleratis.

Hæretici contra docent

Primo remiſſa culpa nullam remanere pœnam deinceps luendam in illius ultionem.

Secundo eandem eſſe peccati ante, & poſt Baptiſmum admiſſi rationem.

Tertio Satisfactionem, quæ a Catholicis exigitur, officere Chriſti Satisfactioni.

Quarto pœnas non debere infligi ab Eccleſiæ miniſtris, nec exactas olim eſſe ad vindictam delicti; ſed ad cautelam in futurum, morum emendationem, probationem veræ Pœnitentiæ, & exemplum aliorum.

De quo Lutherus *ſermone de Indulgentiis*, *in aſſertione articuli quinti*; Confeſſio Auguſtana *de Satisfactione*, Kemnitius *in examine Concilii Tridentini*, Calvinus *lib.* 3. *inſtitutionum cap.* 4. & Dallæus *in peculiari de hac re libro*.

Atque hæc ad fidem pertinent: alia autem ſunt capita quæ ſpectant ad diſciplinam Eccleſiæ: quæ ut ſigillatim ac breviter explanentur, ſit

AR-

ARTICULUS I.

De Satisfactione in univerſum.

SAtisfactio generatim definiri poteſt ſpontanea caſtigatio ad reſarciendam injuriam Deo illatam, & pœnam peccato debitam expungendam.

Illa autem caſtigatio vel libera eſt, pro Pœnitentis ſcilicet arbitrio; vel injuncta: hæc autem imponitur, vel intra ſacramentum Pœnitentiæ; vel extra, ut a judice Eccleſiaſtico in foro externo: quæ intra Sacramentum, aut privata eſt, aut publica.

Rurſus Satisfactio alia ſuſcipitur ad abolendam culpam & ſimul utramque pœnam tam æternam quam temporalem, alia ad abolendam tantum pœnam temporalem remiſſa culpa ſuperſtitem. Nimirum in peccato tria ſunt; actus, affectus, & reatus pœnæ æternæ ei debitæ. Contritionis efficacitate tollitur peccati actus & affectus: reatus autem pœnæ æternæ non tollitur vulgo niſi in Sacramento ipſo, cujus vi gratia infunditur: tunc autem pœna æterna in temporalem mutatur in hac vel in altera vita luendam; niſi iſta Satisfactio præceſſerit. Quæ ergo Satisfactio antevertit Sacramentum, ea ad culpam & pœnam æternam ſimul ac temporalem expungendam refertur; quæ autem Sacramentum ſequitur, ad temporalem pœnam duntaxat: prior meritoria dicitur ſolum ex congruo; poſterior ex condigno: hæc magis in uſu eſt hoc ævo; illa quondam frequentius uſurpabatur, cum abſolutio non concedebatur plerumque niſi poſt legitimam Pœnitentiam: ſed utraque perinde eſt. Quod enim inutilis non ſit ea Satisfactio quæ Sacramento ipſaque gratia prior eſt, modo ex charitate Dei obeatur, & antiquitas omnis oſtendit, & firmat Eſtius, quem vide.

His poſitis tria diſputabimus adverſus heterodoxos; Primum an dimiſſa culpa & pœna æterna, remaneat adhuc aliqua pœna temporalis in peccati ultionem luenda: Secundum an ea piis & laborioſis operibus noſtris expungi ac redimi poſſit: Tertium an hujuſmodi operibus Deo vere ſatisfacere dicendi ſumus.

ASSERTIO PRIMA.

Est aliqua poſt peccati labem abſterſam, & reconciliationem cum Deo, pœna adhuc dependenda in delicti vindictam.

Probatur I. ex Scripturis, quæ plura iſtius dogmatis argumenta & exempla ſubminiſtrant.

Primum eſt exemplum Adami, cui *Geneſ. 3. v. 19.* in pœnam ſceleris dictum eſt inter alia, *In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram de qua ſumptus es; quia pulvis es, & in pulverem re-*

verteris : quam in pœnæ communionem poſteros etiam traxit. Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Non dubium quippe eſt quin Adamus cum Deo in gratiam redierit : certum quoque eſt originis maculam Baptiſmo ablui : & tamen ut Adamo ſic & omnibus deinceps hominibus ſubeunda mors fuit.

Nec dicat Calvinus mortem eſſe ad exercitationem virtutis. Mortem enim oppetunt infantes baptizati, quibus profecto virtutum nulla exercitatio incumbit.

Secundum eſt eorum qui diluvio perierunt. Credibile enim eſt ex iis multos ſcelerum pœnituiſſe. Unde & 1. *Petri* 3. *verſ.* 19. & 20. dicitur Chriſtus poſt mortem *His qui in carcere erant ſpiritibus prædicaſſe, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*. Atqui hi, perinde ac alii, aquis extincti ſunt in odium criminum : ut ipſemet admonet *Geneſis 6. verſ.* 5. 6. 7. Ergo.

Tertium eſt Moyſis & Aaron, quibus in ultionem delicti ad aquas contradictionis hæſitatione ac diffidentia admiſſi, *Quia non credidiſtis mihi*, inquit Deus Num. 20. 21. *ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*. De Aaron autem ſpeciatim verſ. 24. *Pergat*, inquit *Aaron ad populos ſuos; non enim intrabit terram quam dedi filiis Iſrael, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis* : Moyſi vero Deuter. 32. 49. *Aſcende in montem iſtum Abarim*, inquit, ... *& morere*, ... *ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus*; ... *quia prævaricati eſtis contra me in medio filiorum Iſrael ad aquas contradictionis* ... *Videbis terram, & non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Iſrael*. Quis enim neget gratos & acceptos tunc extitiſſe Deo Moyſen & Aaron? Atqui illi plectuntur, quia olim non crediderant, quia prævaricati erant. Ergo pœnas Deus ab iis etiam repetit, quibus peccata condonavit. Quid enim pœna eſt, niſi malum quoddam ob culpam præcedentem inflictum. Atqui futuri temporis & emendationis nullam hic mentionem facit Scriptura, ſed præteriti delicti quod punitur. Ergo.

Quartum eſt Iſraelitarum : cum enim illi vitulum aureum conflaſſent & adoraſſent Exodi 32. iratus eſt Dominus, aitque ad Moyſen : *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos*, verſ. 10. Moyſis vero rogatu placatus eſt Dominus, verſ. 14. An autem idcirco in populum non animadvertit? Imo vero : nam 1. ejus afflatu Moyſes occidit viginti tria millia hominum : 2. autem de reliquis ſic ait Deus verſ. 34. *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum* : ac proinde poſt remiſſum peccatum ſupereſt adhuc ultio quæ divinæ juſtitiæ ſatisfaciat.

Quintum eſt eorumdem *Num.* 14. qui cum adverſus Moyſen murmuraſſent, dixit Dominus ad Moyſen, verſ. 11. & ſeqq. *Uſquequo detrahet*

het mihi populus iſte? ... Feriam .... eos peſtilentia atque conſumam. Et ait Moyſes ad Dominum : ... Dimitte obſecro peccatum populi hujus ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ .... Dixitque Dominus : Dimiſi juxta verbum tuum. Vivo ego, & implebitur gloria Domini univerſa terra .... Omnes homines qui viderunt majeſtatem meam, & ſigna quæ feci in Ægypto, ... non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum; nec quiſquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam : quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras & ſcietis ultionem meam.

Sextum Davidis, qui cum adulterium & homicidium a ſe perpetratum confeſſus eſſet, ajens *Peccavi Domino* : ſic ei reſpondit Nathan 2. Reg. 12. verſ. 13. & 14. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum : non morieris : verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Dei; propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morietur.* Ecce culpa remittitur, mors etiam intentata, quæ ſymbolum erat mortis æternæ: & tamen alia pœna poſt hoc luenda denuntiatur.

Septimum eſt ejuſdem, poſtquam numerando ſubditos Deo diſplicuiſſet : dixit enim David ad Dominum, *Peccavi valde in hoc facto; ſed precor, Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtulte egi nimis.*

Quis ambigat hac ex toto animo peccati Confeſſione placatum Deum? At non ita tamen placatus eſt, ut omnem illico pœnam relaxaret : miſit enim ſtatim Gad qui Davidi diceret : *Trium tibi datur optio : elige unum ex his, quod volueris, ut faciam tibi : ... aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos; .. aut certe tribus diebus erit peſtilentia in terra tua, &c.* quæ referuntur libro 2. Reg. cap. 24.

Octavum eſt ejus filiorum, de quibus ſic loquitur Deus Pſ. 88. 30. *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam; ... viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum : miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.*

Nonum eſt eorum de quibus Chriſti corpus indigne ſumentibus ita pronuntiat Apoſtolus 1. Cor. 11. 30. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi. Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Cauſa itaque ejuſmodi morborum ac mortis erat illa indigna Euchariſtiæ ſuſceptio : ea porro mors in pœnam a Deo infligebatur etiam poſt condonatum ſcelus : ſic enim addit Paulus : *Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.*

Quid ergo manifeſtius, quam pęnas temporales, ipſamque adeo mortem, infligi in ſcelerum præteritorum vindictam? hoc enim diſerte ac frequenter Scriptura commemorat. Et vero mors eſſe non poteſt ad profectum & morum emendationem; qui enim non eſt, corrigi non poteſt.

Probatur 2. ex Patribus.

Primo enim ita aperte ſentiunt qui docent aut orandum eſſe pro mortuis; aut eſſe aliquem poſt hanc vitam locum in quo peccata expur-

purgentur; aut a nobis Deo eſſe pro peccatis ſatisfaciendum : iſta enim ſingula conſiſtere non poſſunt, niſi poſt remiſſionem peccati aliquid reſtet adhuc expiandum. Atqui multi ſunt e veteribus qui purgatorium agnoſcunt; quod videre eſt apud eos qui de controverſiis fidei ſcripſerunt : multo autem plures qui dicant eſſe orandum pro mortuis; ut ex iiſdem liquet. Qui autem Satisfactiones a nobis exigunt, ii ſunt fere innumerabiles, ut brevi notabimus. Ergo.

Secundo idem diſerte tradunt inter cæteros.

Chryſoſtomus *in homil. de Pœnitentia & Confeſſione* : Ne peccantes, „ inquit, & inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remiſit „ nobis ſupplicium; ſed vidit hoc manifeſte, quod peccatis ipſis non „ minus damnoſum ſit non puniri; propter hoc imponit pęnam.

Auguſtinus *in Pſal.* 50. ad hæc verba : *Veritatem dilexiſti* : " Hoc „ eſt, inquit, impunita peccata, eorum etiam quibus ignoſcis, non „ relrquiſti : ſic prorogaſti miſericordiam, ut ſervares & veritatem.

Gregorius Magnus *lib. 9. Moral. cap.* 27. in eundem ſenſum ait Davidem punitum fuiſſe ob peccatum præteritum, quamvis remiſſum quoad culpam; quia Dominus delictum ſine ultione non deſerit. " Nequa- „ quam igitur, inquit, peccato parcitur; quia nullatenus ſine vindicta „ laxatur : ſic David audire poſt Confeſſionem meruit : *Dominus tranſtu-* „ *lit peccatum tuum* : & tamen multis poſt cruciatibus afflictus ac fugiens, „ reatu culpæ quam perpetraverat exolvit.

At inquies cum Calvino, Chryſoſtomus poſt verba mox allata ſic habet : " Propter hoc imponit pęnam, non de peccatis ſumens ſuppli- „ cium, ſed ad futura nos corrigens. " Auguſtinus autem *lib. 2. de* „ *pecc. meritis cap.* 33. & 34. oſtendit mortem eſſe ad exercitationem virtutis.

Respondeo nos id non inficiari : cum enim a ſuis pœnas exigit Deus, non patrem minus quam judicem agit : miſericordia & veritas obviant ſibi, juſtitia & pax oſculantur ſeſe. Tanta enim ejus bonitas eſt ut, ſupplicium peccato debitum, in illius qui plectitur commodum vulgo convertat; neque enim hæc pugnant. Sic intellige Chryſoſtomum: ſimul enim ait " Nos non manere inultos, non remitti ſupplicium, im- „ poni pęnam. " Eodem modo interpretare Auguſtinum : nam dum ſtatuit mortem eſſe exercitationem virtutis, non negat eſſe ſimul præteriti peccati pęnam & ultionem : Certe *lib.* 13. *de civ. Dei*, *cap.* 6. utrumque ſimul conjungit : " Cum, inquit, ex primi hominis perpetuata pro- „ pagine procul dubio ſit mors pęna naſcentis; tamen ſi pro pietate „ juſtitiaque pendatur, fit gloria renaſcentis; & cum ſit mors peccati „ retributio, aliquando impetrat ut nihil retribuatur peccato. " Et vero, an exercitatio virtutis mors eſſe poſſit infantibus baptizatis? an iis juſtis qui ſubita morte rapiuntur?

Objicies 1. Sublata cauſa tollitur effectus. Atqui pęna eſt effectus peccati. Ergo.

Dis-

Distinguo antecedens : ſublata cauſa tollitur effectus, id eſt, ſi nulla eſt cauſa nullus eſt effectus; concedo : id eſt, ceſſante cauſa effectus ſimul tollitur; ſubdiſtinguo : effectus cum ea neceſſario connexus; concedo : effectus cum ea non neceſſario connexus; nego. Sic moriente pictore tabella non deſtruitur. Porro quod dimiſſo peccato pęna adhuc luenda ſuperſit, id pendet ex arbitrio Dei, qui illam in Baptiſmo condonat, in Pęnitentiæ autem Sacramento alio miſericordiæ genere repoſcit.

Objicies 2. Teſtatur Deus ſæpe in Scripturis ſe peccatorum ejus non recordari, qui ad cor redierit : iniquitates ei non nocere.

Respondeo hæc intelligenda eſſe de pęna æterna, non de temporali.

Objicies 3. Chriſtus nullam unquam pęnam repetiit ab iis quibus peccata condonabat.

Respondeo in Chriſto fuiſſe poteſtatem, quam Theologi vocant *excellentiæ*, nullius aſtricta legibus : cum ergo pęnæ aut infligendæ aut relaxandæ eſſet ſummus arbiter, eam pro libito remittere potuit : non remiſit tamen niſi quia ſimul charitatem perfectiſſimam inſpirabat, vi cujus omnis culpa ſimul & pęna ſolveretur; ut in Peccatrice & Latrone patet. Cum autem ita incenſa eſt charitas & ita inflammatus dolor, revera nulla pęna eſt imponenda : hanc in pectore cernebat Chriſtus; atque adeo pęnam non injungebat : Sacerdotes vero quid in corde lateat, ignorant, certiſque circumſcribuntur legibus, quas pro arbitrio inflectere non poſſunt; idcirco Satisfactiones expetunt.

ASSERTIO II.

Poenæ temporales peccatorum Pęnitentia, piiſque ac laborioſis operibus, ſeu ſponte ſuſceptis, ſeu a Sacerdote injunctis, redimi poſſunt.

Quod ut plenius intelligatur, obſervandum eſt duplex eſſe hujuſmodi pœnarum temporalium genus : aliæ enim ſunt quas nunquam relaxare conſtituit Deus in hac vita; talis eſt mors, quam nemo unquam piis operibus declinare potuit : aliæ autem ſunt quæ non ita ſunt ratæ ac fixæ : de his quæſtio eſt an aliqua ratione tolli queant.

Probatur autem ex Scripturis.

Primo enim 2. Paral. 7. 13. *Si clauſero cœlum & pluvia non fluxerit ;... converſus autem populus meus .... egerit Pœnitentiam a viis ſuis peſſimis: Et ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.*

Secundo Jerem. 18. 7. *Repente loquar adverſus gentem & adverſus regnum, ut deſtruam & diſperdam illud. Si Pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, . . . agam & ego Pœnitentiam ſuper malo quod cogitavi ut facerem ei.*

Tertio Daniel Nabuchodonaſori regi, cui pœna peccatis debita in viſu oſtenſa fuerat, cap. 4. 24. *Quamobrem Rex*, inquit, *conſilium meum pla-*

placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.

Quarto Ninivitæ poſtquam flagitiis ſuis iram Dei & civitatis ſuæ everſionem ſibi a Jona intentatam meruiſſent, pœnam hanc in cinere & cilicio Pœnitentiam agentes a ſe ſuiſque averterunt, *Jonæ cap. ult.*

Certum itaque eſt pęnas temporales peccatis debitas ac deſtintas, Pęnitentia piiſque ac laborioſis operibus redimi poſſe.

Haud intereſt vero an ejuſmodi opera ſponte ſuſcepta ſint, an a Sacerdote injuncta: utrumque enim legitimum ſemper habitum fuit.

Ac primo quidem, quod vis ea ſit operum in eum finem ab unoquoque ſuſceptorum & de iis fides, conſtat.

1. Ex Jobo: cum enim verbo lapſus eſſet, *Inſipienter*, inquit cap. ult. verſ. 3. *locutus ſum; .... idcirco me reprehendo & ago Pœnitentiam in favilla & cinere.*

2. Ex Davide, qui ad placandum Deum ſibi iratum humi jacuit & jejunavit 2. *Reg.* 12. 16.

3. Ex Achab qui, cum audiſſet Prophetæ minas, *Scidit veſtimenta ſua & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite. Factus eſt aut ſermo Domini ad Eliam Thesbitem dicens. Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus*: 3. Regum 21. 27.

4. Ex Tobia cap. 4. 11. ubi vim eleemoſynæ declarans, *Eleemoſyna*, inquit, *ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

5. Ex Daniele *ſupra* ut peccata eleemoſynis redimantur ſuadente.

6. Ex Apoſtolo ſic ſcribente: *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

7. Ex Auguſtino *ſupra in Pſalm.* 50. „ Impunita peccata eorum etiam quibus ignoſcis non reliquiſti ..... Ignoſcis confitenti; ignoſcis, ſed ſeipſum punienti: ſic ſervatur miſericordia & veritas.

8. Ex Gregorio itidem *ſupra, lib. 9. moral. cap.* 27. „ Dominus delictum ſine ultione non deſerit. Aut enim ipſe hoc homo in ſe pęnitens punit; aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.

His tota antiquitas conſonat: Quid enim aliud agunt Tertullianus *in lib. de Pænitentia*, Cyprianus *in opere de lapſis*, Pacianus *in Paræneſi ad Pœnitentiam*, Ambroſius *in epiſtola ad Virginem lapſam*, quam ut Pęnitentes reſipiſcant, digniſque laboribus peccata a ſe admiſſa expient? verba ſingulorum mox dabimus. Quapropter illud quoque indubitatum eſſe oportet, peccati pęnam expungi poſſe piis operibus ſponte ſuſceptis. Quod ſi ita eſt, multo magis

Secundo redimi poteſt & exſolvi operibus a Sacerdote homini pœnitenti injunctis. Cum enim Chriſtus Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus quidlibet ſolvendi ac ligandi poteſtatem fecerit; eo certe major erit efficacia

ficacia operum a Sacerdotibus præſcriptorum, quod eorum miniſterio gratiam ſuam ac reconciliationem Deus alligaverit.

Unde Gregorius *lib.* 3. *in* 1. *Reg. cap.* 7. " Afflictio Pœnitentiæ, in-
„ quit, ad delenda peccata idonea eſt, cum Sacerdotis judicio fuerit im-
„ petrata; cum ab eo confitentium actibus diſcuſſis, pro modo criminis,
„ onus eis decernitur afflictionis.

Adde quæ de Satisfactione veterum teſtimonia modo proferemus; ea enim fere in Satisfactiones a Sacerdotibus impoſitas cadunt.

ASSERTIO III.

Ejusmodi piis ac laborioſis operibus Deo vere ſatisfacere dicendi ſumus.

Est contra Lutherum *in aſſert. art. quinti*, ubi aperte confitetur ſe hoc *Satisfactionis* vocabulum odiſſe; Melanchtonem *in apologia confeſſionis Auguſtanæ* ajentem Satisfactionis ſpectacula olim inſtituta eſſe, tum exempli cauſa, tum ad probandos hos qui petebant recipi ab Eccleſia; rem fuiſſe prorſus politicam; Calvinum denique *lib.* 3. *inſtit. cap.* 4. *ſect.* 39. ubi " Vocarunt autem ut plurimum (antiqui) *Satisfactionem*,
„ non compenſationem quæ Deo redderetur; ſed publicam teſtificatio-
„ nem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant, cum in commu-
„ nionem recipi vellent, Eccleſiam reddebant de ſua Pœnitentia cer-
„ tiorem: indicebantur enim illis certa jejunia & alia, quibus ſe prio-
„ ris vitæ vere & ex animo pertæſos eſſe approbarent; vel potius prio-
„ rum memoriam obliterarent: atque ita dicebantur non Deo, ſed Ec-
„ cleſiæ ſatisfacere.

Probatur aſſertio 1. ex Scripturis.

Prov. 15. 27. *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata*: 16. 6. *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas.*

Daniel 4. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.*

Si enim miſericordiis pauperum peccata redimantur ac purgentur, certe dici vere poteſt iiſdem ſatisfieri; redemptio enim non minus ad juſtitiam pertinet quam Satisfactio: imo & ex ipſa vocis ſignificatione majorem longe vim habet; ipſique Hæretici malint nos dici *ſatisfactores*, quam aliqua ex parte *redemptores* noſtrorum peccatorum.

Et vero cum affirmat Scriptura peccata eleemoſynis redimi, vel id intelligitur de culpa pœnaque omni, etiam æterna, peccatis debita, quarum condonationem eleemoſynæ impetrent; vel de ſola pœna temporali ſuperſtite. Si hoc poſtremum concedant adverſarii, habemus quod volumus: ſi primum, multo plura largiuntur: minus enim fuerit a Deo obtinere eleemoſynis indulgentiam alicujus pœnæ temporalis, quam culpæ ſimul & totius etiam pœnæ ſempiternæ. Ergo.

Probatur 2. ex Patribus.

Irenæus

Irenæus *lib.* 3. *cap.* 37. loquens de Pœnitentia Adami : " Per ſuccin-
" ctorium, inquit, in facto oſtendit Pœnitentiam ſuam, foliis ficulneis
" ſeipſum contegens, exiſtentibus aliis multis foliis quæ minus corpus
" ejus vexare potuiſſent: condignum tamen inobedientiæ amictum fe-
" cit. " Ac deinceps hæc Adamo de ſe loquenti verba aptat. " Quo-
" niam eam quam habui a ſpiritu, ſanctitatis ſtolam amiſi per inobe-
" dientiam ; & nunc cognoſco quoniam ſum dignus tali tegumento,
" quod delectationem quidem nullam præſtat, mordet autem ac pungit
" corpus. " Ibi agnoſcit culpam Adamus : & quoniam pœna dignum ſe ſimul exiſtimat, ait a ſe de induſtria præ cæteris tegumentum ex ficulneis foliis eſſe contextum, quod corpus vexaret, morderet ac pungeret. Ergo id ſpectabat Adamus, juxta Irenæi mentem, ut pœnam admiſſi criminis a ſe ipſe repoſceret.

Tertullianus *de Pœnitentia* adhuc luculentius *cap.* 7. " Pœnitere non
" pigeat, inquit : .... offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes: habes cui
" ſatisfacias, & quidem volentem. " *Cap.* 8. " Confeſſio Satisfactionis
" conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ .... Satisfactio confeſſione
" diſponitur; confeſſione Pœnitentia naſcitur ; Pœnitentia Deus miti-
" gatur. " *Paulo* autem *ante*, *cap.* 6. " Quam porro ineptum eſt, quam
" iniquum, Pœnitentiam non adimplere & veniam delictorum ſuſtinere;
" hoc eſt, pretium non exhibere, ad mercem manum mittere : hoc
" enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit; hac Pœnitentiæ com-
" penſatione redimendam proponit impunitatem. " Quid accuratius ? *Satisfactionis* enim nomine 1. utitur, quod tantopere horrent Hæretici : 2. hanc Satisfactionem prædicat fieri Deo ipſi, non autem ſoli Eccleſiæ : addit pœnas a Deo deſtinatas Pœnitentiæ laboribus expungi : impunitatem his redimi : hoc eſſe pretium : hanc compenſationem.

Origenes *homil.* 6. *in Exod.* " Feciſti homicidium, Diaboli pecuniam ſuſcepiſti : adulterium, Diaboli pecunia eſt..... Si quis forte hujuſmodi
" pecuniam a Diabolo deceptus accepit, non uſquequaque deſperet : ....
" pœnitendo, flendo, SATISFACIENDO, deleat quod admiſſum eſt. " *Homil.* 15. *in Levit.* poſtquam docuit peccata in hac vita redimi poſſe, ſic pergit : " Si tamen invenerit manus tua pretium quod reſtituat. Qua-
" le pretium ? Pœnitentiæ ſine dubio lacrymis congregatum, & mani-
" bus, id eſt labore boni operis, inventum.

Cyprianus *de lapſis*, " Dominus, inquit, orandus eſt ; Dominus no-
" ſtra SATISFACTIONE placandus.......Orare oportet impenſius, ...
" diem luctu tranſigere, ... ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio &
" ſordibus volutari....Qui ſic Deo SATISFECERIT .... non ſolum Dei
" veniam merebitur ; ſed coronam. " & alibi ſæpiſſime.

Lactantius *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 17. " Deus Pœnitentiam nobis .... pro-
" poſuit, ut ſi cor nudaverimus, id eſt, ſi peccata noſtra confeſſi, SA-
" TIS DEO FECERIMUS, veniam conſequamur.

Hilarius *cap.* 4. *in Matt.* " Quia charitas, inquit, plurimum peccato-
" rum

„ rum tegit, & errorum noſtrorum ambitioſa apud Deum patrona eſt,
„ noviſſimum pœnæ quadrantem ſolvemus, niſi pretio ipſius aliquanto-
„ rum criminum culpa redimatur. “ Sic perſpicue aſcribens charitati
„ vim redimendarum pœnarum peccati.

Ambroſius *ac virginem lapſam*, “ Grande ſcelus, inquit, grandem neceſſariam habet SATISFACTIONEM. “ *Lib. de eleemoſyna & jejunio cap.* 20. “ Habemus plura ſubſidia quibus peccata noſtra redimamus. Pe-
„ cuniam habes; redime peccatum tuum. Non venalis eſt Dominus,
„ ſed tu ipſe venalis es: peccatis tuis venundatus es; redime te operi-
„ bus tuis, redime te pecunia tua.

Gregorius Nazianzenus *in ſancta lumina* poſt multa de Pœnitentia, ſic ſubjungit: “ Æquale eſt malum, & dimiſſio abſque caſtigatione, &
„ caſtigatio abſque venia: quandoquidem illa totas relaxat habenas; hæc
„ vero nimium reſtringit. “ Quo uno dicto, & Novatianos jam diu natos, & Hæreticos hoc noſtro tempore aliquando orituros ex æquo percellit.

Pacianus *in Parœneſi ad Pœnitentiam*, “ In quantum, inquit, pœnæ
„ veſtræ non peperceritis, in tantum Deus vobis parcet.

Innocentius I. *epiſt.* 1. *ad Decentium cap.* 7. “ Cæterum, inquit, de
„ pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare; .... ac tum de-
„ bere dimitti, cum viderit congruam SATISFACTIONEM.

S. Hieronymus *in caput* 1. *Joelis*: “ Præteritas delicias, per quas of-
„ fenderat Deum, vitæ auſteritate compenſet.

Auguſtinus *in Pſalm.* 5. ad illa verba: *Et a peccato meo munda me*:
„ Implora, inquit, miſericordiam; ſed attende juſtitiam. Miſericordia
„ eſt ut ignoſcat peccanti; juſtitia eſt ut puniat peccatum. Quid ergo?
„ quæris miſericordiam? Peccatum impunitum remanebit? ....Reſpon-
„ deant lapſi .... cum David, ut miſericordiam mereantur ſicut David,
„ & dicant: Non Domine, non erit impunitum peccatum meum, non
„ impunitum erit; ſed ideo nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio. “ *ſerm.* 351. *num.* 12. “ Non ſufficit mores in melius
„ commutare & a factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta
„ ſunt SATISFIAT DEO per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis
„ gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemo-
„ ſynis.

Chryſoſtomus *homil.* 41. *ad populum Antiochenum*: “ A nobis ultionem
„ ſumamus; ita placabimus judicem.

S. Leo *in epiſt. ad Ruſticum* de Sacerdotibus Pœnitentiam meditantibus, “ Hujuſmodi lapſis ad promerendam Dei miſericordiam privata
„ eſt petenda ſeceſſio, ut illis SATISFACTIO ſi fuerit digna, ſit etiam
„ fructuoſa.

Cæteros prætermittimus; Auctorem quæſtionum apud Juſtinum *quæſt.* 79. Gelaſium I. *epiſt.* 1. *ad epiſcopos Lucaniæ*; Theophylum Alexandrinum *paſchali prima*; Maximum *homil. in die Cinerum*; Severum Sulpi-

tium

tium *lib.* 2. *Dialogorum de vita S. Martini cap.* 12. Caſſianum *collat.* 20. *&* 23. Theodoretum *in Epitome divinorum decretorum, cap. de Pœnitentia*; Paulinum *epiſt.* 12. *ad Severum.* Salvianum Maſſilienſem *lib.* 1. *de miſericordia*; Caſſiodorum *in Pſalm.* 37. Gregorium Magnum *lib.* 6. *in* 1. *Reg. cap.* 15. Heſychium *lib.* 2. *in Levit. cap.* 6. Iſidorum *lib.* 2. *de ſummo bono*; *cap.* 13. Cæſarium Arelatenſem *ſerm.* 1. *de eleemoſyna*; Bedam *in Pſalm.* 1. Rabanum *lib.* 6. *in Eccleſiaſten, cap.* 7. Radulphum *lib.* 1. *cap.* 1. *in Leviticum*: Petrum Damiani *de S. Andrea*; Bernardum *ſerm.* 4. *in Cantica*; uno verbo omnes quotquot de hoc argumento ſcripſerunt: nullus enim eſt qui ab aliis diſſentiat.

Neque vero hanc perpetuam ac venerabilem veterum in hoc capite conſenſionem diffitentur Illyricus *in Centuriis*; Calvinus *lib.* 3. *inſtitutionum cap.* 3. *ſect.* 16. Kemnitius *in* 2. *parte examinis concilii Tridentini*; ſed illos egregios Eccleſiæ doctores reprehendere malunt, quam ſequi. Illyricus eos arguit, quod ſanam doctrinam obſcuraverint; Calvinus, quod multiplici exceſſerint modo; Kemnitius, quod per hyperbolem locuti ſint. Quod quis ferat?

His itaque miſſis, ut ad Patres redeamus: ex eorum teſtimoniis jam jam allegatis liquido conſtare arbitror, Satisfactionem a pœnitentibus ipſi Deo exhiberi, in illius, quam alias divina juſtitia exigeret, pœnæ compenſationem.

Nec eſt quod reponant adverſarii, Deo dici Satisfactionem exhiberi, quia Deus jubet offenſionem publicam ex peccatis ortam reſarciri.

Nam contra 1. Patres Satisfactionis neceſſitatem non ex ſcandalo repetunt, ſed ex divinæ juſtitiæ ratione. 2. ut brevi probabimus, Satisfactiones etiam privatas indicebant, iis nempe quos certis de cauſis nolebant publicari: non ergo in eum tantum finem, ut Eccleſiæ honos repararetur; & quæ ex fidelium ſceleribus in ipſam redundaverat, infamia elueretur. 3. Pœnitentiæ publicæ peccata etiam occulta ſubjiciebant. 4. Ad Pœnitentiæ ſtationes revocabant eos, quos imminente forte obitu, abſolutione & ſacro Chriſti corpore dignati fuerant, ſi ſanitatem recuperaſſent. Ex his enim ſequitur ipſam Pœnitentiæ publicæ diſciplinam non ſoli aliorum exemplo, ſed Pœnitentium ſaluti potiſſimum inſerviiſſe.

Objicies 1. Chriſtus pro nobis ſatisfecit quantum neceſſe fuit: ergo.

Distinguo antecedens: quantum neceſſe fuit, quoad pretii ſufficientiam ac dignitatem; concedo: quoad pretii illius applicationem, ita ut poſt Chriſti Satisfactionem nihil neceſſe ſit a nobis fieri ad eam nobis applicandam; Nego. Quamobrem fatemur 1. Chriſtum ſolum Satisfactioni plenæ obeundæ parem extitiſſe: 2. ab eo reipſa præſtitam eſſe non tantum plenam, ſed & abundantem Satisfactionem. Sed hæc Satisfactioe debet unicuique applicari; quod fieri poteſt duobus modis:

1. ita

1. ita ut plena nobis criminum indulgentia concedatur: 2. ita ut major pœna peccatis debita, hoc eſt æterna, in temporalem mutetur a nobis luendam. Priorem viam utpote bonitati ſuæ magis conſentaneam ſequitur Deus in Baptiſmate; ſed alteram in Pœnitentiæ ſacramento. An vero id Satisfactionis Chriſti vim enervat? minime gentium. Profecto hæ qualeſcunque pœnæ, quas ad applicandam Chriſti Satisfactionem poſtulamus, non magis officiunt Chriſti Satisfactioni, quam opera bona & Sacramenta, quæ ad reconciliandam ſibi gratiam Dei uſurpant adverſarii, ejuſdem Chriſti meritum obſcurant: idcirco enim illa ſive opera bona, ſive Sacramenta, Chriſti meritis non nocent, quia nempe gratia Chriſti nituntur, & nihil a Deo obtinent niſi Chriſti intuitu. Atqui nos idem prædicamus de laboribus illis, quos Satisfactionum nomine cum omnibus veteris Eccleſiæ doctoribus appellamus. Certe ipſi Hæretici agnoſcunt in Baptiſmate condonari nobis peccatum originis, nec tamen ſimul tolli appendices ejus, pœnas, morbos, miſerias hujus vitæ & mortem. An vero id elevat Satisfactionis Chriſti pretium ac dignitatem? nequaquem ſane: quia videlicet omnium quidem pœnarum extinctionem promeruit morte ſua Chriſtus; ſed cum illius beneficii pro ſua ſapientia moderandi ſummus ſit arbiter, hoc diſpenſat ut libet. Ac 1. quidem erga eos qui nondum baptizati fuerint humanius agit: deinceps vero paulo ſeverius, ut par eſt, cum iis qui per ſummum nefas gratiam ſemel acceptam conculcaverint. Nonne autem ita agere potuit? Quid ibi iniqui eſt? Quid contra juſtius? Quid etiam nobis utilius, ut concilium Tridentinum notat? Una tantum eſſe poſſet difficultas, una quæſtio, an ſcilicet ita rem fieri Chriſto placuerit. Sed hunc nodum jam diſſolvimus: ex Scripturis enim & Traditione mox evicimus Chriſto id placuiſſe.

Instabis. Cui pro quopiam eſt abunde ſatisfactum, is non poteſt deinceps ab eodem quidquam repoſcere. Atqui Chriſtus abunde pro hominibus Deo fecit ſatis. Ergo nihil amplius poteſt Deus a nobis ad expianda crimina pro jure ſuo poſtulare.

Distinguo majorem: niſi liber ſit in acceptanda, atque adeo certis legibus aſtringenda hac Satisfactione; concedo: ſecus; nego. Nimirum Deus poterat pro jure ſuo a nobis, utpote reis, exigere dignam ac juſtam Satisfactionem pro injuria ſibi illata; & cum hujuſmodi Satisfactioni præſtandæ idonei non eſſemus, poterat nobis veniam ſcelerum nunquam concedere: *Sic* autem *dilexit mundum*, *ut Filium ſuum unigenitum daret*, qui noſtri vadis inſtar, ei Satisfactionem debitam loco noſtro offerret: hanc quidem acceptavit Deus; ſed eam pro arbitrio aut potius pro ſua ſapientia temperavit.

Objicies 2. Satisfactio eſt juſta compenſatio vel injuriæ illatæ vel pœnæ debitæ, idque ex propriis & alias indebitis. Atqui nihil tale Deo exhibere poſſunt homines. Ergo.

Distinguo antecedens: Satisfactio ad ſtrictos juſtitiæ apices; concedo;

cedo : Satisfactio quælibet ; nego . Satisfactio duplex diſtingui poteſt : alia parfecta , & omnibus ſuis numeris abſoluta; alia imperfecta , quæ gratia creditoris eget, ut ſi quis decem millia aureorum exigere poſſit & media ſit parte contentus : perfecta eſt Satisfactio qua Chriſtus pro nobis perfunctus eſt : noſtra vero pro modulo noſtro imperfecta admodum eſt ; eam enim multiplex gratia Dei præcedit & comitatur : 1. eſt, quod ſponſorem pro nobis acceperit, imo & dederit: 2. quod pœnas æternas, quas jure ſummo a nobis repetere poterat, commutat in temporales: 3. quod has ipſas pœnas temporales , quas graves ac diuturnas eſſe oportebat , brevibus ac exiguis laboribus redimi velit : 4. quod gratiam ſemper ſubminiſtret ad Satisfactionis illius qualiſcunque pretium ac valorem neceſſariam : 5. quod Satisfactioni imputet opera quæ alias a nobis , idque multiplici nomine , exigere poſſit . Noſtra ergo Satisfactio tenuis & imperfecta eſt, ſive charitatem habitualem ac ſanctificantem antevertat, ſive ſequatur: neque enim definitum eſt ab Ecclesia Satisfactionem eam , quæ ab homine etiam juſto dependitur Deo pro pœna temporali, eſſe Satisfactionem ex condigno. Scholæ namque variant, aliis Theologis eam eſſe ex condigno , aliis ſolum ex congruo , aliis nec ex condigno nec ex congruo , ſed ex ſola Dei benignitate liberalique promiſſione pendere ſentientibus.

ARTICULUS II.

De Satisfactione & Pœnitentia Privata.

POEnæ peccatis debitæ & in Satisfactionem impoſitæ duplici modo perſolvi poſſunt , ſecreto ſcilicet , & palam : hinc Pœnitentia duplex ; privata, & publica.

Diſſeremus 1. de privata, quæ cum generalior eſt & ad plures extenditur, tum etiam cum poſtrema diſputatione majorem habet affinitatem. Si enim demonſtraverimus privatam Pœnitentiam in uſu quondam extitiſſe, eo manifeſtius erit, quod modo contendebamus , in ea injungenda non tam honoris Eccleſiæ, quam Pœnitentium ſalutis rationem habitam eſſe. Sit itaque

ASSERTIO.

Pœnitentia privata ſemper in Eccleſia viguit.

Probatur 1. quia, ut jamjam oſtendebamus , conſtans illud & immotum apud veteres fuit, peccata nempe nonniſi Satisfactione aliqua elui poſſe. Atqui multa fuerunt olim peccata etiam mortalia , quæ Pœnitentiæ publicæ non erant obnoxia, ut brevi declarabimus. Ergo.

Probatur 2. quia vel ipſa peccata ſolemni Pœnitentiæ alias ſubjicienda , aliquando certis de cauſis ipſi ſubducebantur ; ſic v. g. mulie-

res

res adulteræ, quæ delicti conſcientia ſtimulante vulnus ſuum Sacerdoti aperiebant, non ante vulgi oculos juxta Eccleſiæ canones, legitima Pœnitentia defungebantur, ſed clam, ne hujus flagitii ſuſpectæ aut a viris acciperentur inclementius, aut ad judices delatæ capitali ſupplicio afficerentur; quod notat Baſilius *epiſt. ad Amphilochium can.* 34. " Adul-
„ terio igitur pollutas mulieres & confitentes ob pietatem, vel quo-
„ modocunque convictas, publicare quidem patres noſtri prohibue-
„ runt, ne convictis mortis cauſam præbeamus: eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus Pœnitentiæ.

Sic poſt quartum ſaltem ſæculum, Clerici, ut ajunt, majores, cum a Pœnitentia palam ac publice obeunda immunes eſſent, ſi in gravia crimina prolaberentur, ad Pœnitentiam ſecreto agendam in monaſteria aut aliquam alium privatum locum mittebantur.

S. Leo *epiſt. ad Ruſticum*: " Hujuſmodi lapſis, inquit, ad promeren-
„ dam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis Sa-
„ tisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.

S. Ambroſius *ex Sozomeno lib.* 8. *cap.* 6. juſſit Geruntium diaconum præſcripto tempore manere domi, & Pœnitentia expiari.

Concilium Hibernicum *apud Gratianum diſt.* 82. *capite* Presbyter, de Presbytero in fornicationem lapſo " Ut tribus quidem menſibus priva-
„ to loco a cæteris remotus pane & aqua a veſpera in veſperam uta-
„ tur, ... ſacco indutus humi adhæreat: . . . nec enim debet Sa-
„ cerdos publice pœnitere ſicut Laicus.

Probatur 3. quia Patres aliam a publica Pœnitentiam diſerte admittunt, etiam pro iis qui ſeſe gravibus noxis contaminaverint.

Gregorius Nyſſenus *in Epiſtola canonica ad Letojum can.* 6. " Qui la-
„ tenti ablatione, inquit, ſibi alienum uſurpat, deinde per Confeſſio-
„ nem peccatum ſuum Sacerdoti declarat, vitii ſtudio in contrarium
„ mutato, ægritudinem curabit; dico autem largiendo quæ habet pau-
„ peribus: ſin autem nihil aliud præter ſolum corpus habeat, jubet
„ Apoſtolus per corporalem laborem ei morbo mederi.

Auguſtinus *de fide & operibus cap. ultimo*, triplicem ſecernit Pœnitentiam poſt Baptiſmum: aliam publicam pro gravioribus delictis quæ excommunicatione plectenda ſint; aliam ſecretam pro minus gravibus; aliam quotidianam pro levibus ac venialibus. De hoc alibi fuſius.

ARTICULUS III.

De Pœnitentia Publica.

Antequam ad ea ſigillatim diſputanda deſcendamus quæ ad Pœnitentiam publicam pertinent, nonnulla univerſe breviter exponenda ſunt.

SECTIO PRIMA.

De Pœnitentia Publica generatim.

Historiam Pœnitentiæ publicæ primo trademus, deinde varios illius gradus ac ſtationes paucis deſcribemus.

De varia Eccleſiæ diſciplina circa Pœnitentiam Publicam.

Ut omnis hujus Pœnitentiæ hiſtoria ab ipſa ſui origine ad nos uſque brevi quadam & adumbrata delineatione informetur, ſeptem omnino temporis intervalla ſecernenda ſunt: 1. ſub Apoſtolis: 2. ab Apoſtolis ad Montanum: 3. exinde ad Novatianos: 4. hinc ad ſynodum Nicænam: 5. ab ea ad ſæculum ſeptimum: 6. deinceps ad duodecimum: 7. a duodecimo ſæculo ad noſtram ætatem.

Primo itaque ſub Apoſtolis breviores & minores fuiſſe videntur Pœnitentiæ, nec ulli venia ab iis negata memoratur.

De brevitate Pœnitentiæ lege utramque ad Corinthios epiſtolam. Cum enim in priore, *cap.* 5. quemdam inceſtum, qui omnibus offenſioni & Eccleſiæ dedecori erat, Paulus tradidiſſet ſatanæ in interitum carnis, hoc eſt, ut antiqui interpretantur, Pœnitentiæ ſubdidiſſet; eundem anno ſequenti reconciliari voluit, ne abundantiori triſtitia abſorberetur, II. *cap.* 2. *verſ.* 6. *&c.*

Adde quod de Joanne perhibet Euſebius ex Clemente *lib.* 2. *cap.* 17. Cum enim Joannes juvenem quemdam Sacerdoti commiſiſſet, & idem juvenis evaſiſſet in famoſum latronem poſt Baptiſma acceptum, eum beatus Apoſtolus multis magniſque laboribus quæſitum a ſe & inventum ad Eccleſiam reduxit; nec inde abſtitit, quin prius eum communioni reſtituiſſet. Brevem autem moram, aliquot ad ſummum menſium, extitiſſe, ex eo colligitur, quod eo loci ſe non contuliſſet niſi ut Eccleſiam illam inviſeret.

Secundo ab Apoſtolis ad Montanum eadem paſſim lenitas obtinuit: quam in rem lege quod habet Tertullianus de Marcione identidem ab Eccleſia pulſo, & ad eam ſubinde redeunte; quod Irenæus de iis mulieribus quæ a Marco corruptæ illico poſt flagitii ſui confeſſionem receptæ ſunt *lib.* 2. *cap.* 9. quod Euſebius *lib.* 6. *cap. ult.* narrat de Natalio qui ab Hæreticis deceptus, poſt aliquot lacrymas admiſſus eſt; quod auctor *apoſtol. conſtit. lib.* 2. *cap.* 16. de aliquot hebdomadarum Pœnitentia. Fuere tamen tum certi caſus, certæque regiones, in quibus major viguit ſeveritas: ſic Marcio tandem in perpetuum ejectus fuit: ſic illa Diaconi uxor, de qua Irenæus *ibid.* quæ Marcum aſſectata fuerat, omne tempus vitæ ſuæ in Exomologeſi conſummavit.

Imo & nonnulli tunc extitiſſe putantur, in Africa præſertim, qui gravio-

graviorum criminum reis abſolutionem non eſſe tribuendam cenſuerunt: de quo poſtea.

Quidquid ſit, ibi non leves fuiſſe Pœnitentiæ hujus publicæ labores Tertullianus indicat in libro *de Pœnitentia*; ubi eos graphice depingit.

Cæterum nullum erat certum agendæ Pœnitentiæ tempus præſcriptum; id enim Epiſcoporum judicio ac prudentiæ permittebatur.

Tertio a Montano ad Novatianos eadem quæ ante diſciplina fere invaluit, niſi quod indulgentius forte agi cœptum ſit erga mœchos, ut innuit idem Tertullianus initio libri *de pudicitia*: quod alias excutiemus.

Quarto a Novitianorum exorta hæreſi ad concilium uſque Nicænum partim auſterior, partim mitior fuit, ſaltem in Africa.

Ac mitior quidem fuit quoad veniam impertiendam. 1. S. Cyprianus *epiſt.* 52. teſtatur ſe multum de priſtina ſeveritate remiſiſſe. 2. Libellatici ſtatim admiſſi ſunt, cum ante longa Pœnitentia probarentur. 3. Sacrificatis in exitu tum primum ſubventum eſſe creditur, modo Pœnitentiam inchoaſſent, cum antea non concederetur niſi poſt emenſum curriculum legitimæ Pœnitentiæ, ac forſan etiam omnino non concederetur.

Non defuerunt tamen aliqui qui durius ſemper agerent erga graviora crimina, quæ ab omni venia arcerent, v. g. Patres concilii Illiberitani.

In eo autem auſterior fuit ubique Eccleſia, quam ante, quod tunc inſtitutum ſit, ut diutius Pœnitentia protraheretur, & celebratiſſimæ illæ quatuor ſtationes per id temporis excogitatæ ſint, quas ante Euchariſtiæ ſuſceptionem per plures annos decurrere oportuit.

Poſt concilium Nicænum priſcus vigor in multis laxatus eſt. 1. enim omnibus in exitu Pœnitentiam petentibus, abſolutio data eſt, quibus ante in eo caſu recuſabatur. 2. Clerici majores Pœnitentiæ publicæ exempti ſunt. 3. Hæretici ſine Pœnitentia recepti; imo & ſæpe ſervato honoris gradu.

In hoc autem ſeveritas major fuit quod, cum præteritis ſæculis qui poſt Pœnitentiam inchoatam inſtante obitu venia & ſacro Chriſti corpore donati fuerant, pleno deinceps communionis jure gauderent ſi forte recuperaſſent ſanitatem, nec ad id quod reliquum erat Pœnitentiæ inceptæ perficiendum adigerentur; contra poſt concilium Nicænum iidem inter Pęnitentes iterum relegati ſunt ad Pęnitentiam abſolvendam.

Porro idem qui prius perſtitit Pęnitentiæ publicæ variarumque ejus ſtationum apparatus, eadem temporis præſcripti diuturnitas; imo in hanc partem ubique paſſim eo diligentius incubuere Epiſcopi, quod morum depravatio ſenſim major in dies gliſceret.

Atque hæc acris ac conſtans diſciplina per trecentos circiter a nnos duravit.

Witaſſe de Pœnitentia. X 3 Se-

Septimo autem ſæculo inclinare cępit, pluresque mutationes pati.

Primo enim paulatim exolevit agendæ de peccatis occultis palam ac publice Pęnitentiæ uſus, cum antea eſſet frequentiſſimus.

Secundo Peregrinationes in Pęnitentiam impoſitæ ſunt. Theodorus *in Pœnitentiali Romano tit.* 3. *cap.* 24. " Si quis fornicatus fuerit; .... ſi „ Epiſcopus, viginti quinque annos pęniteat: quinque ex his in pane „ & aqua: ex omni officio deponatur: peregrinando finiat dies vitæ ſuæ. " Quam tamen conſuetudinem multi improbarunt: ſic Rabanus *Penitentialis cap.* 11. " Parricidium, inquit, quàm ſit deteſtabile cri- „ men..... Dominus ipſe oſtendit, cum ad Cain parricidam ait: *Va-* „ *gus & profugus eris ſuper terram* ..... Sed quia in modernis tempo- „ ribus parricidæ profugi diſcurrunt per diverſa loca, & variis vitiis „ & gulæ illecebris deſerviunt, melius mihi videtur ut in uno loco „ manentes Pęnitentia diſtricta ſemetipſos caſtigent, ſi forte a Domini „ bonitate indulgentiam facinoris ſui percipere mereantur. " Adjice Ca- „ pitularia, *lib.* 1. *cap.* 79. " Nec iſti nudi, inquiunt, cum ferro ſi- „ nantur vagari, qui dicunt ſe data ſibi Pęnitentia ire vagantes. Me- „ lius videtur ut, ſi aliquod inconſuetum & capitale crimen commi- „ ſerint, in uno loco permaneant laborantes & ..... Pęnitentiam a- „ gentes, ſecundum quod canonice ſibi impoſitum ſit.

Tertio Pęnitentiæ publicæ in Eccleſia coram omnibus obeundæ loco Monachica profeſſio inducta eſt, aliquando alterutrius optione data, aliquando non item. *Capitul. l.* 6. *c.* 90. " Qui occiderit Monachum „ aut Clericum, arma relinquat, & Deo in monaſterio ſerviat cun- „ ctis diebus vitæ ſuæ, nunquam ad ſæculum reverſurus; & ſeptem annos publicam Pęnitentiam gerat.

Pęnitentiale Romanum *tit.* 1. *cap.* 11. uxoris interfectori ſic loquitur: " Duo conſilia ptoponimus tibi: accepta tecum deliberatione, „ duorum elige magis quod placeat, ... ne ſis ipſe tuimet homici- „ da & in æternum pereas. Relinque hoc malignum ſæculum quod te „ traxit ad tam immaniſſimum peccati facinus: ingredere monaſterium: „ humiliate ſub manu Abbatis " &c. Hæc eadem habent Burchardus *lib.* 6. *cap.* 40. & Ivo *parte* 8. *decreti cap.* 126. *& parte* 10. *cap.* 10. Vide & Morinum *lib.* 7. *cap.* 15.

Quarto redimendæ Pęnitentiæ mos inolevit, in quidem precibus ad certum numerum dictis, certa pecuniæ ſumma; aliiſque id genus: ſic autem Pęnitentiale Romanum *tit.* 9. *cap.* 25. ritum hunc deſcribit: " Pro uno die quo in pane & aqua jejunare debet, quinquaginta pſal- „ mos flexis genibus in Eccleſia, ſi fieri poteſt, decantet: ſin autem, „ in loco convenienti eadem faciat & unum pauperem paſcat, & eo- „ dem die, excepto vino, carne & ſanguine, ſumat quidquid velit. Ex hac vero Pęnitentiarum redemptione orta eſt ſequenti ævo ratio Pęnitentiæ plurimorum annorum intra pauciſſimos dies abſolvendæ, ita ut ſex dierum ſpatio Pęnitentia centum annorum defungerentur; quemad-

madmodum narrat Petrus Damiani *in vita Dominici Loricati*. Inde etiam conſuetudo profluxit Pęnitentiam ad centum & mille annos infligendi: inde indulgentiæ illæ multorum millium annorum. Morinus *lib.* 10. *cap.* 18. & alii. 2. Spontaneis flagellationibus, quæ Undecimo circiter ſæculo natæ ſunt; ut oſtendit Morinus *lib.* 7. *de ſacram. Pœnit. cap.* 14. Atque is redimendæ Pęnitentiæ modus a Monachis potiſſimum uſurpatus eſt. Cum enim alii Pęnitentiam ſibi impoſitam pecunia redimerent, ipſi vero, utpote paupertatis voto conſtricti, idem præſtare non poſſent; quod nequibant ære, hoc corpore exſolvebant: quam rationem perſtringit Petrus Damiani *lib.* 6. *epiſt.* 8. 3. Sacris expeditionibus. Nomen enim ſacræ militiæ dantes omni deinceps Pęnitentiæ onere levabantur: ita concilium Claromontanum ſecundum an. 1095. *can.* 2. " Quicunque pro ſola devotione, non pro honoris vel " pecuniæ adeptione, ad liberandam Eccleſiam Dei Jeruſalem profectus " fuerit, iter illud pro omni Pęnitentia reputetur. 4. Certa erogatione ſtipis, & quidem parvæ, ad ædificandam vel reparandam quandam Eccleſiam, ſimiliaque opera, atque etiam aliquando profana: hac via Mauricius epiſcopus Pariſienſis ingens illud B. Virgini templum extruxit: qua de re cum aliquando Petri Cantoris ſententiam exquireret, reſpondiſſe fertur Petrus, multo conſultius facturum eſſe Epiſcopum, ſi populum ſuum ad agendam Pęnitentiam ſedulo exhortaretur. Ut ut ſit hæc redimendæ Pęnitentiæ ratio in Eccleſiam ſub Decimoſecundum ſæculum invecta, nimia veniæ facilitate veterem omnem diſciplinam enervavit, ut recte obſervat Morinus *lib.* 10. *capite* 20.

Decimo igitur tertio ſæculo vix ulla Pœnitentiæ publicæ cura fuit; non tamen penitus extincta eſt. Robertus enim de Flammesburg pœnitentiarius Pariſienſis, & Petrus Pictavienſis, qui ea circiter ætate florebant, in manuſcriptis quæ extant in bibliotheca Victorina, ejus meminerunt, ajunt quidem facile redimi poſſe; ſed Robertus auctor eſt Pœnitentibus ut eam peragant; contra Guillelmus Pariſienſis Pœnitentias canonicas *carnificinas* vocat, ſatiuſque eſſe pronuntiat modicam eleemoſynam in conſtructionem Eccleſiæ alicujus conferre, quam immodicis macerationibus ſe divexare, *de ſacramento Ordinis cap.* 13. *& de ſacramento Pœnitentiæ cap.* 20. Rariorem quoque ævo ſuo extitiſſe ſolemnem Pœnitentiam teſtatur Durandus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 4. *ad* 3. ibi autem pro more ſolemnem Pœnitentiam a publica diſtinguit: ſolemnis fiebat emenſione quatuor illorum graduum ac ſtationum quas *ſupra* indicavimus & brevi exponemus: publica non ita: de quo Morinus *lib.* 5. *cap.* 25. Pœnitentiam publicam certis in caſibus uſurpari voluit ſynodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. eamque reipſa multi ab hoc tempore uſurparunt, & etiamnum hodie uſurpant.

De quatuor Pœnitentiæ gradibus ſeu ſtationibus.

Jamjam notavimus occaſione Novatianæ hæreſeos inventos eſſe ac ſancitos quatuor in obeunda Pœnitentia canonica gradus : quorum 1. fuit *Flentium* 2. *Audientium* 3. *Proſtratorum* 4. *Conſiſtentium*.

Horum primus meminit *epiſtolæ ſuæ canone ultimo* Gregorius Neocæſarienſis, cognomine *Thaumaturgus*, qui paulo poſt mortuus eſt anno 265. " Fletus, inquit, ſeu Luctus eſt extra portam oratorii, ubi peccato-„ rem ſtantem oportet fideles ingredientes orare ut pro ſe precentur. „ Auditio eſt intra portam, in narthece, ubi oportet eum qui pecca-„ vit ſtare poſt Cathechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, in-„ quit, Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus cen-„ ſeatur. Subjectio autem ſeu ſubſtractio eſt, ut intra templi portam „ ſtans cum Cathecumenis egrediatur. " Sed hunc canonem ſuppoſititium eſſe cenſet Morinus *lib. 6. de Pœnitentia* : 1. quia vox, *inquit*, non quadrat in ſcriptorem de ſe loquentem : 2. quia *Narthecis* nomen non ante quintum ſæculum hoc ſenſu uſurpatum eſt : 3. quia canon iſte deeſt in antiquo codice octingentorum annorum, qui tunc temporis in bibliotheca Seguieriana ſervabatur : 4. quia hi gradus non ſunt tantæ antiquitatis. Verum hæc decretoria non ſunt. 1. enim vox illa, *inquit*, perperam irrepſit, & reipſa in aliis editionibus abeſt. 2. Ait quidem Morinus, ſed non probat, *Narthecis* vocabulum eſſe tertii ſæculi. 3. Codex Seguierianus mutilus eſſe potuit, eoque canone ita carere. Et vero hunc canonem habebat codex ille vetuſtus quo Balzamon utebatur, cum eum commentariis illuſtraret. 4. tandem, falſum eſt hoſce Pœnitentiæ gradus eſſe ævi longe poſterioris ; quippe qui occaſione Novatianorum inſtituti ſint. Et certe eoſdem non obſcure commemorat idem Gregorius in aliis canonibus ejuſdem epiſtolæ. Deinde eoſdem quaſi jampridem uſitatos recenſent, tam ineunte quàm medio quarto ſæculo, ſynodus Ancyrana ac Nicæna, Baſilius ac Gregorius Nyſſenus *in epiſtolis canonicis*. Hos ipſos poſtea referunt Joannes Raitha *ad ſcalam S. Joannis Climaci ;* Harmenopulus *in epitome canonum ſect. 5. tit. 3. ad canonem 58. epiſtolæ Baſilii* ; Blaſtares *in Nomocanone litt. M.* Ariſtænus *in canone 21. concilii Ancyrani* ; Gabriel Philadelphienſis *de Pœnitentia cap.* 10. Noſtra autem ætate de iis egerunt Beveregius *in can.* 11. *Nicænum pag.* 72. *col.* 1. Allatius *de Narthece num.* 19. & 20. Goar *in Euchologio pag.* 22. Albaſpinæus *in obſervationibus lib. 1. cap.* 12. Petavius *de Pœnitentia publica lib.* 2. *cap.*17. Morinus *lib. 6.* Natalis Alexander *tomo 6. pag.* 380. Schelſtratus *ad concilium Antiochenum*, & alii plures.

Ut vero hæc facilius intelligantur, & ubinam varii illi Pœnitentium ordines eſſent apertum ſit, operæ pretium erit obſervare Eccleſias olim diviſas fuiſſe in tres partes, ſanctuarium videlicet, navem, & veſtibulum.

Prima

Prima itaque pars Eccleſiæ , ſi a ſummo initium ſumas , erat *ſanctuarium* ſeu *chorus* a reliqua Eccleſia cancellis ſeparatus : ibi altare in medio , pone quod erat Epiſcopi & omnium ſimul cum eo Sacerdotum conſeſſus.

Secunda pars Eccleſiæ *navis* appellata eſt , quam in duo iterum partiebatur pulpitum quoddam excelſum in medio poſitum; (*ambonem* vocabant Græci , quod in illud aliquot hinc & inde gradibus aſcenderetur .) Adi Cyprianum *epiſt.* 34. Socratem *lib.* 6. Sozomenum *lib.* 9. *cap.* 2. Ordinem Romanum , &c. In ambone cantabantur Pſalmi, legebantur Evangelium a Diacono , a Subdiacono Epiſtola , Scripturæ a Lectoribus , quæ ex eodem ſuggeſtu deinceps ab Epiſcopo aut Sacerdote explicabantur plebi.

Tertia pars , a ſummo templo ad imum deſcendentibus , erat *veſtibulum* græce νάρθηξ id eſt *ferula*, nomine, quod inſtar priſcæ ferulæ latitudinem longitudine excederet . Porticus quædam hæc erat , totam Eccleſiæ frontem æquans , interioribus templi portis connexa , ingentibuſque fulta columnis marmoreis , quales hodieque multæ Romæ in vetuſtis Eccleſiis viſuntur . De hoc veſtibulo Procopius *de ædificiis lib.* 1. *cap.* 4. Cangius *in Conſtantinopoli Chriſtiana* , & *in gloſſario* , Paulus Silentiarius *parte* 2. *v.* 13. Allatius *de Narthece* , aliique innumerabiles .

Extra Eccleſiam autem erat atrium , quod omnium primum in eam ingredientibus occurrebat , undequaque cinctum tribus aut quatuor porticibus , quarum in medio area erat ſub dio fontem & aquam luſtralem habens ori , manibus & pedibus eorum qui in templum intrabant abluendis inſervientem : de quo Euſebius *lib.* 10. *hiſt. cap.* 24. & *lib.* 3. *de vita Conſtantini cap.* 34. Paulinus *natali* 9. Sidonius *lib.* 2. *epiſt.* 10. Fortunatus *lib.* 9. *poemate* 15. Paulus Silentiarius *parte* 2. *Conſtantinopoleos Cangianæ q.* 174. &c. Hoc igitur atrium ſimile fuit iis , ut ajunt , clauſtris , quæ in ipſo monaſteriorum aditu ad deambulandum patent : ob aream interjacentem atrium illud dictum eſt a ſcriptoribus latinis mediæ & infimæ latinitatis *Paradiſus* , *Paraviſus* & *parviſus* . quod Cangius *in Vocabulario* animadvertit.

In hoc atrio erant Flentes ; in veſtibulo ſeu narthece Audientes ; in infima Eccleſiæ parte, pone fores & ante ambonem, Proſtrati; ambonem inter & cancellos chori , cum cæteris fidelibus , Conſiſtentes .

Primus itaque Pęnitentiæ gradus nominatur *fletus* πρόσκλαυσις : ibi Pęnitentes (ut videre eſt apud Cyprianum *de lapſis*, Eligium *hom.* 8. & Iſidorum *lib.* 2. *de officiis cap.* 16.) ſaccum ac lugubres veſtes induti , cinere conſperſi caput , ſqualoris pleni , ſe reos palam ac publice profitebantur , deflebant crimina , & ad Fidelium in Eccleſiam ingredientium genua advolvebantur , eis ſupplicantes ut pro ſe apud Deum & Epiſcopum intercedere dignarentur : nedum enim Pęnitentiæ onus deſu-

deſugerent, ejus agendæ copiam inſtar magni muneris ambiebant: eis autem manus non imponebantur, nec ullę peculiares pro iis ad Deum preces fundebantur; quippe qui non tam eſſent Pęnitentes quam Pęnitentiæ candidati.

Ea ſtatio mire depicta eſt ab Hieronymo *epiſt.* 30. *ad Oceanum*, de Fabiola. " Quis hoc crederet, inquit, ut poſt mortem ſecundi viri
„ in ſemetipſam reverſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes, jugo
„ ſervitutis excuſſo, agere ſe liberius, adire balnea, volitare per pla-
„ teas, ... ſaccum indueret, ut errorem publice fateretur, & to-
„ ta urbe ſpectante Roma, ante diem Paſchæ in baſilica quondam
„ Laterani . . . . ſtaret in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Presbyte-
„ ris & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida,
„ ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret. Quæ peccata fletus iſte
„ non purget? . . . . Aperuit cunctis ſuum vulnus, & decolorem in
„ corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſuta habuit latera, nu-
„ dum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa eccleſiam Domini; ſed
„ extra caſtra cum Maria ſorore Moyſi ſeparata conſedit, ut quam
„ Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret . . . . Faciem, per quam ſecun-
„ do viro placuerat, verberabat; oderat gemmas, linteamina videre
„ non poterat, ornamenta ſugiebat: ſic dolebat quaſi adulterium com-
„ miſiſſet.

Secundus Pœnitentiæ gradus *auditio*, *ἀκρόασις*, dicitur, quod qui ad Pœnitentiam obeundam poſt diuturnas preces admiſſi fuerant, iis in veſtibulum ac narthecem Eccleſiæ introire concederetur; ibique extra interiores valvas, pſalmorum cantum, lectionem Scripturæ, Epiſcoporumque ac Sacerdotum ſermones & homilias audire una cum Infidelibus, Hæreticis, & Catechumenis infimi ordinis, cum quibus etiam ante oblationem in ſacro fieri ſolitam, imo & ante alios ſive Pœnitentes, ſive Catechumenos ejiciebantur.

Neque vero etiam tunc cenſebantur proprie Pœnitentes, ſed ad Pęnitentiam potius aſpirantes: quare nec ipſis imponebantur manus, nec ullæ pro iis peculiares preces fundebantur, nec ulla eis laborioſa opera injungebantur: an vere, & ex animo ſcelerum eos pęniteret, explorabatur.

Tertius Pęnitentię gradus eſt *ſubſtratio*, *ὑπόπτωσις*. In hac autem ſtatione Pęnitentes proprie demum vocabantur.

Ibi vero illi flexis genibus, facie lurida, fœtore obſiti, & lacrymis perfuſi, pedibus nudis, demiſſo crine aut raſo, pro varia uniuſcujuſque regionis in luctu conſuetudine, antequam ſacrum inchoaretur, ſubjicieciebant capita Deo & Sacerdotibus, ex toto corde veniam flagitantes, ut ſtatuit concilium Laodicenum *can.* 19.

Crebræ ſuper eos fiebant manum impoſitiones ante ſacrum, ut eadem Synodus decernit; ſed præſertim tempore jejunii, ut ex Concilio Carthaginenſi IV. diſcimus: " Omni tempore jejunii, inquit *can.*

„ 80.

„ 80. manus Pęnitentibus a Sacerdotibus imponantur. “ Huic autem impoſitioni manuum conjuncta erat oratio: unde Auguſtinus *lib. de Baptiſmo contra Donatiſtas*, *cap.* 16. “ Quid eſt, inquit, aliud impoſitio manuum, quam oratio ſuper hominem? “ Hac oratione & impoſitione manuum purgari illi & piari credebantur.

Iis porro manus imponebantur poſt miſſam ſeu miſſionem Catechumenorum, antequam oblatio fieret, ac ſtatim ipſi quoque mittebantur foras; ut perſpicuum eſt ex ſynodo Laodicenſi *can.* 19. ubi ſancit, quod “ Oporteat ſeorſum primum ſuper Catechumenos, poſt allocutio-
„ nes Epiſcoporum, orationes celebrari; & poſtquam Catechumeni egreſ-
„ ſi fuerint, ſuper eos qui ſunt in Pęnitentia preces fieri; his etiam acce-
„ dentibus ad manum Sacerdotis, & diſcedentibus, tunc orationes con-
„ ſummari Fidelium.

Atque hic gradus fuit in quo Pęnitentibus certa ac laborioſa opera ad expiandas noxas imponebantur; ante enim ea ſponte ſuſcipiebant: tunc Epiſcopi in eorum mores diligentius inquirebant, & ut Pęnitentia ſibi præſcripta rite fungerentur operam dabant. Cum autem hæc ſtatio eſſet proprie Pęnitentium, non mirum ſi cæteris longior fuerit.

Quartus denique Pęnitentiæ gradus fuit *conſiſtentia*, *ϭύςασις*, ab ambone ad cancellos chori: ſic autem dicitur, eo quod qui, poſt emenſum cum laude Pęnitentiæ ſtadium, eo pervenerant, non expellerentur cum aliis Pęnitentibus, ſed per integrum ſacrum cum omni fideli plebe ibi conſiſterent. Ac illi quidem cum cæteris in oratione communicabant; ſed non gaudebant jure oblationis, & a ſacra Euchariſtia arcebantur: qua de re ſunt plures antiqui canones. Synodus Ancyrana *can.* 4. “ Placuit eos inter Audientes uno anno conſtitui,
„ ſuccumbere tribus, in oratione autem communicare biennio, &
„ tunc ad perfectionis gratiam pervenire: “ & *can.* 5. “ Cum duo-
„ bus annis ſupplices ſubſtratique fuerint, tertio anno communicent
„ ſine oblatione, ut id quod perfectum eſt (id eſt Euchariſtiam)
„ triennio accipiant. “ Synodus Nycæna *can* 12. “ Hi definitum tempus au-
„ ditionis implentes tum demum Fidelibus in oratione communicent: “
„ *canone* autem *præcedenti*, “ Duobus annis, inquit, ſine oblatione populo communicent.

Cæterum aliquando Pęnitentes certis de cauſis in hac ſtatione Pęnitentiam omnem ſuam explebant, ita ut alias decurrere non tenerentur; v. g. mulieres adulterii reæ, ne videlicet in ſuſpicionem hujus criminis venirent, ſicque quodammodo publicarentur, ut admonet Baſilius *epiſt. ad Amphilochium ſupra*, *pag.* 645.

Hi ſunt celebratiſſimi quatuor Pęnitentiæ gradus, qui a multis jam ſæculis in deſuetudinem abierunt. Haud dubium eſt autem quin eadem fere etiam ante Novatum uſurparentur, ut ex Tertulliano manifeſtum eſt. Sed hæc in certas ſtationes nondum erant diſtincta, nec

in ca-

in canonicos gradus ab unoquoque per certa ac fixa temporis intervalla emetiendos.

Ut autem pateat quanto tempore Pœnitentes in unoquoque gradu hærerent, adducendus eſt *canon* 56. epiſtolæ Baſilii: " Qui ſua ſponte „ interfecit, inquit, & poſtea Pęnitentia ductus eſt, viginti annis „ Sacramento non communicabit: viginti autem anni ſic in eo diſ- „ penſabuntur. Debet quatuor annis deflere, ſtans extra fores oratorii, „ & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniquita- „ tem pronuntians. Poſt quatuor autem annos inter Auditores reci- „ pietur, & quinque annis cum ipſis egredietur. Septem autem an- „ nis cum iis qui in ſubſtratione orant egredietur. In quatuor autem „ annis ſolum ſtabit cum Fidelibus, ſed non erit oblationis par- „ ticeps: iis autem expletis erit Sacramentorum particeps.

O gravem & caſtam tunc Eccleſiæ diſciplinam! quam hæc digna Dei læſi majeſtate, quam religionis Chriſtianæ ſanctitatis conſentanea! Quis criminum pondus non ſentiebat! quis ea non cavebat in futurum? Nunc ut peccare ludus eſt, ſic & pęnitere ac confiteri: quotuſquiſque enim eſt qui, ſi lacrymulam fundat, præclare ſe graviſſima quæque ſcelera redemiſſe non exiſtimet? quis non conqueritur, ſi vel per aliquot dies, omnibus licet flagitiis coopertus, a tremendis myſteriis arceatur? adeo a majorum religione degeneravimus?

Hanc porro canonum veterum auctoritatem interdum Epiſcopi pro Pęnitentium fervore & contritione temperabant, eoſque aliquando ab una ſtatione ad aliam, prætermiſſa media transferebant. Concilium Ancyranum *can.* 7. " De his qui feſtis diebus Gentilium in remotis „ eorum locis convivia celebrarunt, placuit poſt Pęnitentiam biennii „ eos ſuſcipi; utrum vero cum oblatione, ſinguli Epiſcoporum pro- „ bantes vitam eorum & ſingulos actus, examinent. " Nicænum *ca-* „ *non.* 12. " Quotquot enim lacrymis atque patientia vel bonis ope- „ ribus, rebus ipſis converſionem ſuam, non ſimulatione demonſtrant, „ hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum Fidelibus in „ oratione communicent. Poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his ali- „ quid humanius cogitare. " Sic a gradu Audientium ad Conſiſtentium ordinem tranſire quis poterat. Adde Gregorium Neocæſarienſem *can.* 9. Baſilium *epiſt.* 1. *ad Amphilochium can.* 7. Gregorium Nyſſenum *ad Letoium can.* 3.

Obſervabis vero apud Latinos a quarto ſæculo vetitum eſſe Pęnitentibus, 1. ne conjugio uterentur: quod in cauſa fuit cur concilium Arelatenſe ſecundum *can.* 22. & Agathenſe decernant Pęnitentiam conjugatis nonniſi ex conſenſu dandam: 2. ne matrimonia deinceps inirent: concilium Arelatenſe II. *can.* 21. " Pęnitentes, quæ defuncto viro alii nubere præſumpſerint, ... cum eodem ab eccleſiæ limine arceantur. " Quamobrem eædem Synodi nolunt juvenibus paſſim ac „ temere Pęnitentiam concedi: " Juvenibus, inquit Agatenſe *can.* 15.

„ Pę-

„ Pęnitentia non facile committenda eſt, propter ætatis fragilitatem. „ Aurelianenſe III. *can.* 24. “ Ne quis Pęnitentiæ benedictionem ju- „ venibus perſonis credere præſumat. Certe conjugatis niſi ex con- „ ſenſu partium ætate jam plena dare non audeat: “ 3. ne militarent: 4. ne implicarent ſe negotiis ſæcularibus: 5. ne epulis intereſſent aliorum. Idem Aurelianenſe III. *can.* 25. “ Si quis Pœnitentiæ bene- „ dictione ſuſcepta ad ſæcularem habitum militiamque reverti præſum- „ pſerit, viatico conceſſo, uſque ad exitum excommunicatione ple- „ ctatur.

Dixi autem, a IV. ſæculo, & apud Latinos; 1. quia nihil ejuſmodi apud Græcos ſcriptores legitur; 2. quia tribus prioribus ſæculis id non videtur apud Latinos invaluiſſe, ut ex Tertulliano, & Sancto Cypriano, qui prolixe de Pœnitentia loquuntur, manifeſtum eſt.

SECTIO II.

De peccatis Pœnitentiæ publicæ obnoxiis.

An omnia peccata lethalia Pœnitentiæ publicæ ſubjicerentur.

Pœnitentia publica duobus modis accipi poteſt: vel ſtrictius, pro illa Pęnitentia canonica, & certis gradibus diſtincta, quam qui obibant, ante ſacrum ab Eccleſia ejiciebantur: vel latius, pro ea quæ poſita erat tantum in ſeparatione ab Euchariſtia, certiſque operibus ab Epiſcopo injunctis: qualis ab iis agebatur, qui in Conſiſtentiæ gradu Pęnitentiam omnem ſuam abſolvebant.

ASSERTIO I.

Non omnia peccata mortifera ſubdita olim fuere Pęnitentiæ canonicæ.

PROBATUR variis ex antiquitate monumentis.

Primo Tertullianus ſatis arguit ævo ſuo tria tantum peccata lethalia, idololatriam nempe, homicidium & adulterium, Pęnitentiæ publicæ fuiſſe ſubdita. Libro enim *de pudicitia*, *cap.* 5. & 12. horum tantum mentionem facit: quæ quidem Eccleſia catholica Pęnitentiæ ſubjiciebat, Montaniſtarum autem factio irremiſſibilia eſſe judicabat. Quod autem præter iſta Tertullianus alia agnoverit quæ ejuſmodi pęnis non eſſent obnoxia, patet *ex cap.* 19. ejuſdem libri, ubi ſic ait: “ Cui enim non accidit aut iraſci inique & ultra ſolis occaſum, aut „ & manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, „ aut fidem pacti deſtruere, aut verecundia aut neceſſitate mentiri: „ in negotiis, in officiis, in quæſtu, in victu, in viſu, in auditu

„ quan-

„ quantum tentamur! ut ſi nulla ſit venia illorum, nemini ſalus com-„ petat. “ Quis neget in his nonnulla eſſe mortifera? Atqui his veniam concedi poſſe exiſtimat Montaniſta factus. Ergo non ea ſubjiciebantur Pœnitentiæ publicæ. Nam Catholici cum Montaniſtis in certis peccatis Pœnitentiæ publicæ addicendis concordabant; ſed in eo diſſidebant, quod Catholici iiſdem peccatis poſt hanc Pænitentiam actam, aut impertirentur veniam, aut dari ſaltem poſſe exiſtimabant, quam Montaniſtæ iis denegabant. Unde & Tertullianus hæc lethalia, ſed leviora, delicta drachmæ comparat de qua Evangelium, *ibid. cap.* 7. quod integrum legiſſe operæ pretium fuerit. “ Juxta drachmæ, in-„ quit, exemplum, etiam intra domum Dei Eccleſiam, licet eſſe „ aliqua delicta pro ipſius drachmæ modulo mediocria :.... mœchiæ „ vero & fornicationis non drachma, ſed talentum“ &c. Ergo juxta diſciplinam illius temporis tria tantum hæc flagitia pœnitentiæ publicæ ſubmittebantur, aut quæ ad ea revocari poterant; cætera vero, in quibus plurima ſunt ſane lethifera, non item.

Secundo Synodus Eliberitana, quæ tot canones edidit de Pœnitentia plenos ſummæ ſeveritatis, non omnia iis peccata comprehendit. Ac de peccatis quidem cogitatione admiſſis ne verbum quidem: deinde vero nec de multis aliis quæ opere poſſunt perpetrari. Tria enim tantum capitalia ſcelera, quæ ex Tertulliano mox retulimus, & ea quæ ad tria hæc capitalia referrentur, legibus ſuis, in quibus nihil omiſit, complectitur.

Tertio Synodus Neocæſarienſis an. 314. Pœnitentiam imperat ſolum fornicariis, adulteris & ſimilibus: ei autem eximit peccata concupiſcentiæ interioris, quæ, juxta Chriſti ſententiam lethalia ſunt: “ Si „ quis, inquit *can.* 4. propoſuerit concupiſcere mulierem ad dormien-„ dum cum ipſa, ejus autem deſiderium ad opus non venerit; videtur „ eſſe gratia liberatus: “ utique ab opere peccati, atque adeo a Pœnitentia publica: dubium enim eſſe non poteſt, quin Pœnitentia privata expiandum eſſet hoc crimen.

Quarto Concilium Laodicenum *can.* 7. Hæreticos in Eccleſiæ ſinum admittit ſine Pœnitentia, per ſolam fidei profeſſionem, & chriſmatis unctionem. De quo vide canonem Conſtantinopolitanum & Joannem Climacum a nobis *infra* memorandum. Ergo hæreſis Pœnitentiæ publicæ obnoxia non erat: hæreſis porro non tantum mortale, ſed inter mortalia maximum eſt peccatum. Ergo.

Quinto Synodus Nicæna *can.* 8. “ De his, inquit, qui ſe nominant „ Catharos, id eſt *mundos*, (Novatianos intelligit) ſi aliquando ve-„ nerint ad Eccleſiam catholicam, placuit ſancto & magno Concilio, „ ut impoſitionem manuum accipientes, ſic in clero permaneant. “ Ergo Novatianis graduum ſuorum eccleſiaſticorum honos ſervatus eſt, cum ad Eccleſiam redirent: non ſervatus autem eſſet, ſi Pœnitentiæ publicæ fuiſſent addicti: non enim tunc qui Pœnitentiam publicam egerant, aut in clerum recipiebantur, aut in clero eſſe ſinebantur.

Sexto

Sexto Baſilius *in tribus epiſtolis ad Amphilochium* de Pœnitentia publica ex profeſſo differens, multa quidem enumerat peccata mortalia quibus ea imperaretur; ſed multa quoque prætermittit: imo & diſerte notat uſuram hoc modo plexam non eſſe: *Capite* 14. " Qui uſuras
„ accipit, inquit, ſi injuſtum lucrum in pauperes conſumere voluerit,
„ & ab avaritiæ morbo deinceps liberari, eſt ad ſacerdotium admitten-
„ dus. " Atqui nemo, ut jam notavimus, ad ſacerdotium admittebatur, qui Pœnitentiam publicam egiſſet: ergo. Idem vero pronuntiat *can.* 30. de raptu, niſi quædam ei adjuncta ſint: " De his qui ra-
„ piunt, inquit, canonem quidem antiquum non habemus, ſed pro-
„ priam ſententiam proferimus, ut ipſi & qui cum eis rapiunt, tribus
„ annis ſint extra orationes: quod autem violenter non fit, nulli eſt
„ Pœnitentiæ obnoxium, quando nec furtum nec ſtuprum rem præceſ-
„ ſerit. " An idcirco eo in caſu raptus mortifer non erit?

Sepimo Gregorius Nyſſenus tria tantum canonica peccata, & quæ ad ipſa cognatione quadam & ſimilitudine pertinerent, Pœnitentiæ publice ſubdit; de cæteris vero tacet. Imo & *canone* 6. avaritiam excipit: " Altera autem, inquit, idololatriæ ſpecies, ſic enim divus Apo-
„ ſtolus avaritiam appellat, neſcio quomodo abſque ulla Pœnitentiæ me-
„ dela a Patribus prætermiſſa eſt: quo fit ut hic morbus valde in Ec-
„ cleſia redundet. " Nec aliud ſtatuit de furto occulto: " Qui occul-
„ ta, inquit *can.* 6. ſubtractione ſibi alienum uſurpat, ac deinde per
„ confeſſionem peccatum ſuum Sacerdoti aperit; ſtudio quod circa con-
„ trarium illius vitii adhibebit, morbum curabit, res, inquam, ſuas
„ largiendo pauperibus; ut dum quæ habet profundit, ſe ab avaritiæ
„ morbo liberum aperte oſtendat: ſin autem nihil aliud niſi corpus ha-
„ beat, jubet Apoſtolus per corporalem laborem ei morbo fieri medi-
„ cinam.

Octavo S. Chryſoſtomus *homil.* 17. *in Matth.* quoſdam alloquens gravibus vitiis ac peccatis deditos: " Si viderimus, inquit, vos in iiſdem
„ manentes, etiam interdicemus omnino vobis ſacri iſtius ingreſſionem
„ veſtibuli, & cœleſtis participationem myſterii, ſicut etiam fornicato-
„ ribus & adulteris, & his qui de homicidiis arguuntur. Melius nam-
„ que eſt cum duobus aut tribus divinæ legis præcepta ſervantibus ora-
„ tiones ſolitas offerre Deo, quam inique agentium cæteroſque perden-
„ tium multitudine congregari. " Ergo quidam ea ætate peccatorum lethalium rei inter Pœnitentes non relegabantur, niſi in eis obſtinate manerent.

Nono S. Auguſtinus pluribus in locis idem tradit.

De fide & operibus cap. 26. peccata diſtinguit, in tres ordines: ac 1. quidem eorum genus conſtituit quæ excommunicatione plectenda eſſent: 2. eorum quæ Pœnitentia luctuoſa non ſanarentur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis, Sacerdote videlicet Pœnitentem ſecreto confeſſum peccata, pro eo ac debeat, arguente, & congruam Satisfactionem eidem

eidem injungente : 3. denique eorum ſine quibus hæc vita non agitur, & quæ oratione dominica purgantur. Hoc porro poſtremum genus omnia venialia continet, juxta conſtantem Auguſtini doctrinam ubique affirmantis, orationis dominicæ beneficio expiari quotidiana delicta. Ergo duo priora peccatorum genera mortalia ſunt. Atqui ſolum primum genus horum peccatorum Pęnitentiæ publicæ ſubdit. Ergo non omnia tum peccata lethifera Pęnitentiæ publicæ addicebantur. En verba Auguſtini : " Niſi eſſent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda ſint, non diceret Apoſtolus : *Congregatis vobis & meo ſpiritu* „ (*judicavi*) *tradere bujuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpi-* „ *ritus ſalvus ſit in die Domini Jeſu* . . . Item niſi eſſent quædam non ea „ humilitate Pęnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis qui proprie „ Pęnitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis; non „ diceret ipſe Dominus : *Corripe eum inter te & ipſum ſolum*; *& ſi te au-* „ *dierit, lucratus es fratrem tuum*. Poſtremo, niſi eſſent quædam ſine „ quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in „ oratione quam docuit ut dicamus : *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut &* „ *nos dimittimus debitoribus noſtris*.

Enchiridii ad Laurentium cap. 80. " Noſtris temporibus, inquit, ita „ multa mala in apertam conſuetudinem jam venerunt, ut pro his non „ ſolum excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec Clericum „ degradare. Unde cum exponerem ante aliquot annos epiſtolam *ad* „ *Galatas* . . . . exclamare compulſus ſum : Væ peccatis hominum, quæ „ ſola inuſitata exhorreſcimus; uſitata vero, pro quibus abluendis Filii „ Dei ſanguis effuſus eſt, quamvis tam magna ſint, ut omnino claudi „ contra ſe faciant regnum Dei, ſæpe videndo, omnia tolerare cogimur. Certe peccata quæ tam gravia ſunt ut omnino contra ſe claudi faciant regnum Dei, mortifera ſunt. Atqui ex iis multa erant, quæ nec in laicis excommunicatione, nec in Clericis degradatione tunc puniebantur. Ergo non omnia tum Pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur.

Epiſtola ad Aurelium Carthaginenſem epiſcopum & totius Africæ principem, olim 64. nunc 22. de comeſſationibus ad ſepulchra martyrum fieri ſolitis loquens, " Scias, inquit, non deſperare nos, imo ſperare vehe- „ menter, quod Dominus & Deus noſter, per auctoritatem perſonæ „ quam geris, ... multas carnales fœditates & ægritudines, quas Afri- „ cana Eccleſia in multis patitur, in paucis gemit, Conciliorum gravi- „ tate & tua poſſit ſanare. Cum enim Apoſtolus tria breviter genera vi- „ tiorum deteſtanda & vitanda uno in loco poſuerit; . . . . unum ho- „ rum, quod ſecundo loco poſuit, acerrime in Eccleſia vindicatur : duo „ autem reliqua, id eſt primum & ultimum, tolerabilia videntur homi- „ nibus; atque ita paulatim fieri poteſt, ut nec vitia jam putentur : ait „ enim vas electionis : *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubi-* „ *libus & impudicitiis, non in contentione & dolo &c.* Horum ergo trium „ cubilia & impudicitiæ tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus

„ non

„ non modo Eccleſiaſtico miniſterio, ſed ipſa etiam Sacramentorum com-
„ munione videatur, qui ſe iſto peccato maculavit: & recte omnino.
„ Sed quare ſolum? Comeſſationes & ebrietates ita conceſſæ & licitæ pu-
„ tantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum Martyrum celebrentur:
„ .... quamquam .... Apoſtolus .... ita concluſit ut diceret, cum
„ talibus nec panem edere. Sed feramus hæc in luxu & labe domeſtica,
„ accipiamuſque cum eis corpus Chriſti, cum quibus panem edere pro-
„ hibemur. Saltem de ſanctorum corporum ſepulchris, ſaltem de locis
„ Sacramentorum .... tantum dedecus arceatur. " Ex quibus ſequitur
1. comeſſationes publicas extra omnem Pœnitentiæ publicæ aleam tunc extitiſſe: 2. quod majus eſt, etiam comeſſationes in locis ſacris fieri ſolitas. Hoc quidem poſtremum corrigi velit S. Auguſtinus; at non hujuſce Pœnitentiæ remedio; ſed magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando.

Epiſtola ad Macedonium, olim 54. nunc 153. *num.* 21. ſatis indicat non ſemper impoſitam fuiſſe Pœnitentiam publicam iis qui aliena uſurpaſſent; ſed id factum pro Epiſcopi prudentia: " Nolentes aut reddere,
„ quos novimus & male abſtuliſſe & unde reddant habere, arguimus,
„ increpamus & deteſtamur, quoſdam clam, quoſdam palam, ſicut di-
„ verſitas perſonarum diverſam videtur poſſe reperire medicinam; ali-
„ quando etiam, ſi res magis curanda non impedit, ſancti altaris com-
„ munione privamus. " Atqui id peccati genus lethale eſt. Ergo.

Decimo S. Leo *epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem*, olim 22. nunc 2. *ad inquiſitionem* 19. de quibuſdam qui a gentilibus capti idolothyta manducaverant: " Si convivio ſolo gentilium & eſcis immolatitiis uſi ſunt,
„ poſſunt jejuniis & manus impoſitione purgari: ut deinceps ab ido-
„ lothytis abſtinentes, Sacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes.
„ Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus
„ contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per Pœnitentiam publi-
„ cam non oportet admitti. " Idolothytorum eſum peccati ſane arguit, vult enim hæc jejuniis & manus impoſitione purgari; imo alibi illud idem factum Pœnitentia publica plectit: hic vero, quoniam illi capti fuerant & quadam neceſſitate excuſari poterant, eos ab hoc onere liberet. Ergo.

Undecimo S. Joannes Climacus aperte oſtendit crimen hæreſeos Pœnitentiæ publicæ nequaquam obnoxium extitiſſe: *gradu* enim 15. ita loquitur: " Vir quidam ſcientiſſimus problema terribile quæſivit ex
„ me; Quod, inquiens, peccatum omnibus gravius eſt, homicidio Chri-
„ ſtique abnegatione exceptis? Cumque illi reſpondiſſem: In hæreſim
„ labi: Et quonam, inquit, modo catholica Eccleſia Hæreticos qui-
„ dem, cum hæreſim priorem toto animo repudiaverint atque anathe-
„ matizaverint, ſuſcipit ad ſanctorum myſteriorum communionem, &
„ ut idoneos admittit; eum vero qui in fornicationem lapſus fuerit,
„ confitentem atque peccatum ipſum omnino deſerentem introrſus ſuſci-

„ piens, per aliquot annos eum a venerandis immaculatiſque myſteriis „ ex apoſtolica traditione ſeparare permittit.„

Duodecimo S. Cæſarius *homil.* 13. ſola capitalia ſcelera ſubdit Pœnitentiæ publicæ; minuta vero ei ſubtrahit: porro *minutorum* nomine etiam ea quæ mortalia ſint intelligit: ſic enim ait: " Ipſa, inquit, mi„ nuta peccata, quæ, quod pejus eſt, aut non attendimus, aut certe „ pro nihilo computamus, ſi ſimul omnia congregentur, neſcio quæ „ bonorum abundantia illis præponderare ſufficiat. Cogitemus ex quo „ ſapere cœpimus, quid pro juramentis, pro perjuriis, quid pro ma„ ledictis & deteſtationibus, quid pro otioſis ſermonibus, quid pro „ odio, quid pro ira, quid pro invidia, quid pro concupiſcentia ma„ la, quid pro gula, quid pro ſomnolentia, quid pro ſordidis cogita„ tionibus, quid pro concupiſcentia oculorum, quid pro voluptuoſa de„ lectatione aurium &c.

Decimo tertio S. Eligius *homil.* 8. ſic Fideles affatur, eos conceptis verbis diſtinguens a Pœnitentibus. " Petamus igitur corde contrito & „ humiliato cum lacrymis, bonis operibus ſuffragantibus, nos ſuſcitari „ a morte animæ in præſenti vita, ut vivamus cum Chriſto. " *Ibid.* " „ Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, ne ab æter„ no, quod abſit, igne exuramur. " *Homil.* autem 13. ad eoſdem ſermonem dirigens; " Vos etiam Fratres, inquit, poſt exhortationem „ quam habuimus ad Pœnitentes, mecum admoneo, ut unuſquiſque no„ ſtrum recurrat ad conſcientiæ ſuæ ſecreta: . . . videat ſummopere ut „ Sacramenta corporis & ſanguinis Domini digne recipere queat; qua„ tenus potius ſalutem quam damnationem ſibi acquirat. Ergo Eligius, etiam inter Fideles non pœnitentes, multos agnoſcit anima mortuos, & qui indigne atque ad damnationem Chriſti corpus acciperent. Atqui hos non hortatur ad Pœnitentiam publicam, ſed ad emendationem vitæ. Ergo.

Probatur 2. duplici ratione.

Prima eſt, quod ſi omnes ac ſinguli peccatorum lethalium rei ſubjecti fuiſſent Pœnitentiæ publicæ, fuiſſet in Eccleſia ſolitudo, & immanis multitudo Pœnitentium extra Eccleſiam: innumeri enim Chriſtiani peccata mortifera admittebant, ut conſtat vel ex uno Chryſoſtomo, qui in maxima ac frequentiſſima urbe Antiochena affirmat, e tot millibus incolarum vix centum ſalvos fore. Atqui hæc vaſtitas templorum prorſus incredibilis eſt. Ergo.

Secunda eſt, quod hæc opinio ſit durior. Cum enim poſt actam ſemel Pœnitentiam publicam ac veniam conceſſam, nullus deinceps eſſet locus alteri Pœnitentiæ, nullus veniæ, niſi forte in ipſo mortis puncto, profecto qui vel una prava cogitatione aliquando peccaſſet, is poſt ſuſceptam abſolutionem, ſi in aliud poſtea peccatum incidiſſet, omne reliquum vitæ tempus ſine ulla indulgentiæ ſpe exegiſſet. Quis autem ſibi perſuadeat ita ferream & immiſericordem erga ejuſmodi delicta Chriſti ſponſam extitiſſe?

Obji-

Objicies 1. Tertullianus *lib. de Pœnitentia*, *cap.* 4. ita ſancit: "„ Omnibus ergo delictis ſeu carne ſeu ſpiritu ſeu facto ſeu voluntate „ commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit (Deus,) idem & ve„ niam per Pœnitentiam ſpopondit." Atqui hoc in libro agit de Pęnitentia publica, quam *cap.* 9. appellat *proſternendi & humilificandi hominis diſciplinam*. Ergo omnia ſine ulla exceptione peccata tunc Pœnitentiæ publicæ obnoxia fuerunt.

Respondeo Tertullianum *hoc capite* 4. egiſſe de Pœnitentia generatim, de Pœnitentiæ virtute omnibus etiam Catechumenis in peccata prolapſis neceſſaria; non ſpeciatim de publica: 1. enim agit de Pœnitentia quam præcipit Deus: "Bonum eſt pœnitere, inquit, an non? „ Quid revolvis? Deus præcipit." Atqui Pœnitentia publica non eſt jure divino præcepta: 2. loquitur *cap.* 6. de ea Pœnitentia quam agebant Catechumeni: denique *cap.* 7. duntaxat, differere incipit de publica, qualis imponebatur gravium criminum reis poſt Baptiſmum. "„ Huc uſque, inquit, Chriſte Domine, de Pœnitentiæ diſciplina ſervis „ tuis dicere vel audire contingat, quouſque etiam delinquere non „ oportet audientibus, vel nihil jam de Pœnitentia noverint, nihil ejus „ requirant. Piget ſecundæ, imo jam ultimæ, ſpei ſubtexere mentio„ nem:" Ergo hactenus de hac ſpeciatim ſermonem non habebat: & recte quidem: primo enim diſputat in univerſum de Pœnitentia ejuſque neceſſitate ac utilitatibus: deinde cum alia ſit ante, alia poſt Baptiſmum, de ea quæ Baptiſmum antecedit: tandem de poſtrema.

Instabis. Tertullianus *ibid.* ſic pergit, "Piget ſecundæ, imo jam „ ultimæ ſpei ſubtexere mentionem ..... Sed enim pervicaciſſimus „ hoſtis ille nunquam malitiæ ſuæ otium facit: at quin tunc maxime „ ſævit, cum hominem plene ſentit liberatum .... Itaque obſervat, „ oppugnat, obſidet, ſi qua poſſit aut oculos carnali concupiſcentia „ ferire, aut animam illecebris ſæcularibus irretire, aut fidem terre„ næ poteſtatis formidine evertere .... Hæc igitur venena ejus pro„ videns Deus ..... aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in „ veſtibulo Pęnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat; ſed jam „ ſemel, quia jam ſecundo; ſed amplius nunquam, quia proxime fru„ ſtra." Ergo omnia ac ſingula peccata lethalia quæ ſuaſione Diaboli per„ petrari poſſunt, Pęnitentia publica purgabantur.

Nego conſequentiam: eo enim loci Tertullianus non de quibuſvis peccatis, ſed de certis tantum loquitur, quæ ex concupiſcentia oculorum, aut terrenæ poteſtatis formidine originem ducunt, hoc eſt fornicatione, adulterio & idololatria. Hæc porro grandia ſcelera non negamus Pœnitentiæ publicæ tunc addici conſueviſſe. Certe Tertullianus non ait; *omnia igitur venena ejus* providens Deus; ſed *hæc igitur venena ejus*; eo ſignificans certum duntaxat fuiſſe peccatorum genus, quod Pęnitentia hac publica plecteretur.

Instabis 2. Remedium Dei tam late patere debet, quam virus Diabo-

 li. At-

Æ. Atqui juxta Tertullianum Pęnitentia publica eſt remedium Dei, & peccata omnia ſunt venena Diaboli. Ergo Pęnitentia publica ad omnia peccata mortalia pertinuit.

Nego minorem quoad ſecundam partem : etſi enim verum eſt omnia peccata lethalia eſſe totidem venena Diaboli; falſum eſt tamen id eſſe ad mentem Tertulliani: nam ut de certo duntaxat remedio Dei, ita de certo tantum veneno loquitur.

Instabis 3. Ex Tertulliano *ibidem*, clauſa ſemel per peccatum prima ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, jam non datur reditus ad Deum niſi per ſecundam januam quæ eſt Pęnitentia publica, ac ſemel ſolum conceditur. Ergo quorumlibet peccatorum mortalium rei non niſi per hanc viam ad cœlum regredi poterant.

Distinguo antecedens: ſecunda janua eſt Pęnitentia publica, quatenus eſt Pęnitentia; concedo: quatenus publica; ſubdiſtinguo: eſt ſecunda janua certis tantum peccatoribus neceſſaria; concedo; omnibus; nego.

Instabis 4. Tertullianus idem invitans ad Pęnitentiam, ſic habet *cap.* 7. & 8. " Verum non ſtatim ſuccidendus aut ſubruendus eſt animus deſperatione, ſi ſecundæ quis Pęnitentiæ debitor fuerit . . . . Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes: habes cui ſatisfacias, & quidem volentem. Id ſi dubitas, evolve quæ Spiritus Eccleſiis dicat: deſertam dilectionem Epheſiis imputat; ſtuprum & idolothytorum eſum Thyatirenis exprobrat; Sardos non plenorum operum incuſat; Pergamenos docentes perverſa reprehendit; Laodicenos fidentes divitiis objurgat; & tamen omnes ad Pęnitentiam commovet ſub comminationibus quidem: non comminaretur autem non pœnitenti, ſi non ignoſceret pęnitenti. " Ergo Pęnitentiæ huic ſecundæ, id eſt publicæ, addicta erant deſertio dilectionis, opera non plena, avaritia, &c.

Distinguo antecedens: invitans ad Pęnitentiam in genere; concedo: ad Pęnitentiam publicam; nego. Tertulliani ſcopus eſt ibi invitare ad Pęnitentiam amplectendam, idque ex veniæ quam promiſit Deus, facilitate. Hanc autem facilitatem ac benignitatem Dei iis, quæ modo ex Apocalypſi relata ſunt, exemplis comprobat. Porro cum quis hortatur ad Pęnitentiam, eam generatim conſiderat, non ſpeciatim, niſi quatenus hæc ſpecialis Pęnitentia nonnullis propter certas cauſas convenit.

Cæterum, quod Tertullianus nolit omnia peccata lethalia Pęnitentiæ publicæ ſubjici *ſupra* demonſtravimus.

Objicies 2. Cyprianus *epiſt.* 9. *editionis Rigaltinæ*, teſtatur actam vulgo Pęnitentiam etiam propter minora delicta: expoſtulans enim adverſus lapſos ita loquitur: " Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores Pęnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad Exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſco-

" pi,

„ pi, & Cleri jus communicationis accipiant ; nunc crudo tempore, „ &c. Ergo.

Distinguo antecedens : propter minora delicta, comparate ad idololatriam ; concedo : propter levia ſimpliciter delicta ; nego. *Minorum delictorum* nomine Cyprianus hinc intelligit fornicationem & homicidium, de quibus Pęnitentia agebatur ; çum de idololatria ſua, quæ extremum, & graviſſimum delictum eſt, lapſi Pęnitentiam agere nollent. Hoc illud eſt de quo tantopere conqueritur Cyprianus. Quod autem minora delicta de his duobus quæ in homines admittuntur, ſint accipienda, cum idololatria ad Deum ſpectet, apertum eſt *ex epiſt.* 11. “ Namcum, inquit, in minoribus delictis quæ non in Dominum com- „ mittuntur, Pœnitentia agatur juſto tempore; .... quanto magis in his „ graviſſimis & extremis delictis caute omnia & moderate ſecundum di- „ ſciplinam Domini obſervari oportet?

Instabis. Cyprianus *lib. de lapſis* indicat de pravis cogitationibus actam eſſe Pœnitentiam publicam : “ Quanto, inquit, & fide majo- „ res & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli „ facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc „ ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, Exo- „ mologeſim conſcientiæ ſuæ faciunt; .... ſalutarem medelam parvis „ licet & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe; *Deus non* „ *irridetur*. Ergo.

Distinguo : de pravis cogitationibus actam eſſe publice Pœnitentiam, ſponte ; concedo : neceſſario ; nego. Multi igitur olim fuere qui ex pietate publicam Pœnitentiam ſuſciperent; multi qui eidem ſeſe ſubmitterent ob leviora crimina; quæ ei alias non fuiſſent obnoxia: tales fuerunt quos commemorat Cyprianus: inde eſt quod eorum fidem tantopere prædicet. Duo autem illi præſtiterant : primum, quod Pœnitentiam publice poſtulaſſent: alterum, quod flagitium ſuum detexiſſent Sacerdotibus. Primum ex abundanti pietatis ſenſu fecerunt; alterum juxta divinum de confeſſione præceptum. Quare ſubdit: “ Scientes ſcriptum eſſe: *Deus non irridetur*.

Objicies 3. Sanctus Auguſtinus triplicem duntaxat agnoſcit Pœnitentiam ; primam a Catechumenis ante Baptiſmum agendam : alteram a juſtis, etiam poſt Baptiſma, pro levioribus & quotidianis delictis, quæ oratione dominica abſterguntur : tertiam denique pro cæteris.

Lib. 1. *de ſymbolo ad Catechumenos*, *cap.* 7. *&* 8. “ Propter omnia „ peccata, inquit, Baptiſmus inventus eſt: propter levia, ſine quibus „ eſſe non poſſumus, oratio inventa.. Quid habet oratio ? *Dimitte* „ *nobis debita noſtra*, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Semel „ abluimur Baptiſmate : quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa „ committere, pro quibus neceſſe eſt ut a corpore Chriſti ſeparemini; „ quod abſit a vobis. Illi enim quos videtis Pœnitentiam agere, ſce-

„ lera commiſerunt aut adulteria aut alia facta immania : inde agunt „ Pęnitentiam · Nam ſi levia peccata ipſorum eſſent , ad hæc quotidiana oratio delenda ſufficeret . Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Eccleſia , in Baptiſmate , in oratione , in humilitate majoris Pęnitentiæ.

Homil. 27. *inter.* 50. nunc *ſerm.* 352. “ Triplex , inquit , conſideratio agendæ Pœnitentiæ in ſacra Scriptura invenitur . Nam neque ad „ Baptiſmum Chriſti , in quo omnia peccata delentur , quiſquam bene accedit, niſi agendo Pęnitentiam de vita priſtina : .... illa prima „ competentium eſt , & ad Baptiſmum venire ſitientium .... Eſt alia „ quotidiana : & ubi illam oſtendimus ? . . . Non habeo ubi melius „ oſtendam , quam in oratione quotidiana . Reſtat Pęnitentiæ tertium „ genus : . . . eſt Pęnitentia gravior atque luctuoſior , in qua proprie „ vocantur in Eccleſia Pęnitentes , etiam remoti a Sacramento altaris „ participandi , ne accipiendo indigne judicium ſibi manducent, & bibant . Illa vero Pœnitentia luctuoſa eſt , grave vulnus eſt : adulterium forte commiſſum eſt , forte homicidium , forte aliquod ſacrilegium: gravis res, grave vulnus , lethale , mortiferum; ſed omnipotens medicus.

Ergo omnia peccata lethalia poſt Baptiſmum Pęnitentia illa tertia , hoc eſt publica, expiabantur.

Distinguo antecedens : expiabantur tertia illa Pęnitentia id eſt publica , quatenus erat ſeparatio ab Euchariſtia ; concedo : quatenus certis illis ac luctuoſis gradibus diſtincta ; ſubdiſtinguo : ſi graviora eſſent & immania facta ; concedo : ſecus ; nego . Pœnitentia ergo publica eſt tertium illud Pœnitentiæ genus de quo ſæpe Auguſtinus . ſed nuper obſervavimus Pœnitentiam hanc publicam dupliciter accipi poſſe : 1. latius , pro ſeparatione ab altari , quæ omnibus nota eſſe poterat : 2. ſtrictius , pro Pœnitentia canonica variis diſtincta ſtationibus , in quibus Pœnitentes ante ſacrum ab eccleſia expellebantur . Prima omnibus peccatis lethalibus indicebatur , ut brevi oſtendemus : ſecunda non niſi gravioribus & immanibus . Id etiam patet ex his quæ modo allata ſunt Auguſtini locis, ſi diligenter expendantur . 1. enim agit tantum de Pœnitentia publica generatim quatenus erat in ſeparatione ab altari poſita , quam omnibus peccatis lethalibus poſt Baptiſmum applicat : deinde vero deſcendit ad ſpeciem hujus Pœnitentiæ magis notam & omnium oculis expoſitam : ſed iſti non ſubdit niſi facta immania. Sic libro *de ſymbolo* , “ Nolite, inquit, „ illa committere, pro quibus neceſſe eſt ut a Chriſti corpore ſeparemini , quod abſit a vobis . “ Hæc de Pœnitentia illa generatim : „ tum de canonica ſpeciatim ; “ Illi enim , inquit, quos videtis agere Pœnitentiam , ſcelera commiſerunt aut adulteria aut facta immania . “ *Homilia* autem 27. “ Reſtat Pœnitentiæ tertium genus : „ . . . . eſt Pœnitentia gravior atque luctuoſior , in qua proprie vo-

„ can-

„ cantur in Eccleſia Pœnitentes. " Ergo Pœnitentes in eo genere comprehendit, ut qui in eo ſpeciem peculiarem, & ordinem conſtituant.

INSTABIS 1. At S. Auguſtinus *ibid.* ait tribus modis dimitti in Eccleſia peccata, Baptiſmate, oratione, humilitate majoris Pœnitentiæ. Ergo tertium illud Pœnitentiæ genus non latius patet, quam Pœnitentia illa publica & humilis.

DISTINGUO conſequens: ſi Pęnitentia illa humilis conſideretur qua parte tantum eſt ſeparatio ab Euchariſtiæ ſacramento; concedo: ſi ſpectetur penes quod inſuper includit; nego. Nam ipſemet S. Auguſtinus *ſupra*, quædam agnoſcit crimina, quæ non ea humilitate Pęnitentiæ ſanari oportebat.

INSTABIS 2. Sanctus Auguſtinus de hujuſmodi Pęnitentibus loquens, ſic ſubdit: " Nam ſi levia peccata ipſorum eſſent, ad hæc „ quotidiana oratio delenda ſufficeret. " Ergo illis, de quibus Pęnitentiam agebant, peccatis ſola levia opponuntur. Atqui omnia lethalia levibus opponuntur. Ergo de omnibus mortalibus Pęnitentia agebatur.

RESPONDEO, cum hæc ſcribit Sanctus Doctor, reſpexiſſe eum ad ipſum genus illorum Pęnitentium; non ad ſpecialem ordinem. Nam ex ſpeciali ſuo ordine non obibant Pęnitentiam illam luctuoſam, niſi propter facta immania. Duo itaque in his Pęnitentibus ſecerni poſſunt: 1. quod eſſent remoti a communione Sacramentorum: 2. quod alieni etiam a communione precum, variis juxta canones laboribus exantlandis, variiſque decurrendis ſtationibus addicebantur. Utramque pęnam merebantur crimina, quibus ſeſe contaminaverant: primam, juxta vulgarem diſciplinam, eo quod eſſent mortalia; ſecundam, eo quod eſſent graviora.

Et vero manifeſtum eſt ex his Auguſtini teſtimoniis, non actam eſſe publice Pœnitentiam, niſi ob facta, ut ipſemet loquitur, *immania*. Si ergo hæc præciſe ut talia, opponeret levibus ac quotidianis, ſequeretur Auguſtinum nullum inter facta immania & levia illa delicta, ſine quibus juſti eſſe non poſſunt, medium admiſiſſe: quod abſurdum eſt.

Quapropter dicendum omnino eſt, Auguſtinum variam illam Pœnitentiæ agendæ rationem in Eccleſia uſitatam, variaque unicuique obnoxia peccata, ex ipſo tantum genere ſpectaſſe; aut affirmandum, ab ipſo non eſſe inſtitutam accuratam iſtorum omnium diſtributionem; ita ut Pœnitentiam ſecretam ac privatam, ac vulgaria peccata mortalia ipſi ſubjecta in hac, ſive Pœnitentiæ ſive peccatorum diviſione, certis de cauſis omiſerit: quod poſtremum ſi quis malit, non admodum repugnemus. Quod autem de hac Pœnitentiæ ſpecie mentionem non faceret, ſed de publica tantum, in cauſa eſſe potuit, quod omnes etiam infideles in ſermonibus alloqueretur, quibus abſcondebantur re-

ligionis noſtræ myſteria ; & in laudato libro Catechumenos doceret, quos a peccato, hac auſterioris Pœnitentiæ imagine objecta, avocari oportebat.

Objicies 4. S. Cæſarius Arelatenſis, qui ad finem Quinti ſæculi floruit, ſic loquitur *homil.* 1. " Si levia ſunt fortaſſe delicta, v. g. ſi homo vel in ſermone vel in aliqua reprehenſibili voluntate, ſi oculo
„ peccavit aut corde, verborum & cogitationum maculæ quotidiana
„ oratione curandæ, & privata compunctione terendæ ſunt : ſi vero
„ quiſquam conſcientiam ſuam interrogans, facinus aliquod capitale
„ commiſit, aut ſi fidem ſuam falſo teſtimonio expugnavit ac prodi-
„ dit, aut ſacrum veritatis nomen perjurii temeritate violavit ; ſi ve-
„ ram Baptiſmi tunicam, & ſpecioſam virginitatis holoſericam cœno
„ commaculati pudoris infecit ; ſi in ſemetipſo novum hominem nece
„ hominis occidit, ſi per augures & divinos atque incantatores capti-
„ vum ſe Diabolo tradidit ; hæc & ejuſmodi commiſſa expiari penitus
„ communi & mediocri, licet ſecreta, ſatisfactione non poſſunt ; ſed
„ graves cauſæ graviores & acriores publicas cauſas requirunt, ut qui
„ cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimo-
„ rum ædificatione ſe redimat. " Ergo ſola levia excipit a Pœnitentiæ publicæ lege.

Distinguo conſequens : & illorum *levium* nomine intelligit etiam peccata mortalia minus gravia ; concedo : ſecus ; nego. Et ſane in illorum levium ordine collocat ea omnia quæ lingua, oculis & corde admitti poſſunt delicta. Quis autem inficias eat plurima id genus eſſe lethalia ? Deinde mentem ſuam adhuc luculentius ea de re exponit *hom.* 13. quam *nuper* attulimus.

Instabis 1. Idem Cæſarius *hom.* 8. poſtquam peccata diſtinxit in capitalia & minuta, & venialium remedia explicavit ; de mortalibus ita ſubjungit : " Pro capitalibus vero criminibus non hoc ſolum ſuffi-
„ cit (eleemoſynas erogare, orationes fundere, injuriam inimicis re-
„ mittere ;) ſed addendæ ſunt lacrymæ ac rugitus & gemitus, conti-
„ nuata & longo tempore procraſtinata jejunia, largiores eleemoſynæ,
„ etiam pluſquam nos ipſi valere poſſumus erogandæ ; ultro nos ipſos
„ a communione Eccleſiæ removentes, in luctu & triſtitia multo tem-
„ pore permanentes, & Pœnitentiam etiam publice agentes ; quia ju-
„ ſtum eſt ut qui cum multorum deſtructione ſe perdidit, cum mul-
„ torum ædificatione ſe redimat. " Ergo quælibet mortalia crimina huic Pœnitentiæ ſubdebantur.

Nego conſequentiam : 1. quia horum *capitalium* nomine complectitur ſola graviſſima : 2. quia clare diſtinguuntur eo ipſo in loco hæc duo : ſe ab Eccleſiæ communione removere ; & Pœnitentiam publice agere : 1. commune quidem fuit omnibus peccatorum lethalium reis : 2. non niſi flagitioſiores conſtrinxit.

Instabis 2. *ibidem* pius ille Præſul inter ea peccata quibus Pœni-

tentia

tentia publica infligebatur, recenſet ſuperbiam, invidiam, avaritiam, iracundiam ſi longo tempore teneatur, ebrietatem ſi aſſidua ſit, & detractionem. Ergo.

NEGO antecedens. Non enim hoc ait Cæſarius, ut oſtendat hujuſmodi peccata Pęnitentiæ laboribus elui oportere; ſed ut demonſtret ea igne Purgatorii expianda non eſſe. Nempe illic nonnullos perſtringit, qui ſibi in animum induxerant hæc crimina aliquando eſſe purgatoriis ignibus, citra ullam Pęnitentiam præviam, abolenda. " Multi ſunt, „ inquit, qui lectionem iſtam (Apoſtoli dicentis 1. Cor. 3. *Ipſe ſal-* „ *vus erit; ſic tamen quaſi per ignem*:) male intelligentes, falſa ſecu- „ ritate decipiuntur, dum credunt quod cum ſupra fundamentum Chri- „ ſti crimina capitalia ædificant, peccata ipſa per ignem tranſitorium „ poſſunt purgari, & ipſi poſtea ad vitam æternam pervenire. Intel- „ lectus iſte, fratres chariſſimi, corrigendus eſt..... Capitalia ... bre- „ viter dicemus; ſacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſti- „ monium, furtum, rapina, ſuperbia, invidia, avaritia &c.... Qui- „ cunque enim aliqua de illis peccatis in ſe dominari cognoverit, niſi „ digne longo tempore Pęnitentiam egerit,.... purgari non poterit; „ ſed æterna illa flamma, ſine ullo remedio, cruciabitur. " Ergo Cæſarius ibi ad errorem illum, non ad Pęnitentiam publicam, reſpiciebat.

OBJICIES 5. Gennadius *in dogmatibus Eccleſiaſticis cap.* 23. *tom.* 8. *novæ editionis S. Auguſtini*, poſtquam dixit de ſacra communione per unamquamque dominicam frequentanda, ſic ſubjicit: " Sed hoc de illo „ dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam, quem „ mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius „ publica Pęnitentia ſatisfacere...Sed & ſecreta Satisfactione ſolvi mor- „ talia crimina non negamus; ſed mutato prius ſæculari habitu & con- „ feſſo religionis ſtudio " &c. Ergo Gennadius duplicem duntaxat expiandorum criminum viam eſſe credidit, Pęnitentiam publicam nimirum, & religioſæ vitæ profeſſionem.

RESPONDEO duplicem tantum hanc viam a Gennadio commemorari; ſed aliam pro vulgaribus non excludi: unde *hortandi* vocabulum uſurpat, ubi de Pęnitentia publica; quod ea omnibus id genus peccatis non adhiberetur.

OBJICIES 6. S. Eligius *hom.* 8. & 13. peccata in duos ordines diſtribuit: in 1. reponit venialia ac minuta: in 2. capitalia, quæ ſine ulla exceptione ſupponit Pęnitentiæ publicæ.

RESPONDEO Eligium id a Cæſario hauſiſſe; ac proinde nomine *minutorum* intellexiſſe etiam crimina non ita immania; nomine autem *capitalium* ea ſolum quæ eſſent graviſſima: eo ſcilicet vixit tempore quo Pęnitentia vix de aliis quam de publicis flagitiis agebatur. Certe *homil.* 15. Clericos & Sanctimoniales hortatur " Ut quidquid ſe recolunt in- „ vidiæ & detractionis, odii quoque & fornicationis, ſive inceſtus, vel

„ per-

„ perjurii contagione attractos .... per divinæ ſalutis medicamentum , „ in quantum prævalent, ſe purificare procurent. "Nec tamen eos adigit ad Pœnitentiam publicam.

ASSERTIO II.

OMNES peccatorum lethalium rei videntur olim ſacra Chriſti corporis ſuſceptione fuiſſe poſt peractam Confeſſionem per aliquod tempus interdicti.

PROBATUR 1. multis veterum teſtimoniis.

Cyprianus illud orationis dominicæ, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, exponens de Euchariſtia, " Hunc panem, inquit, dari „ nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam „ quotidie ad cibum ſalutis accipimus, INTERCEDENTE ALIQUO GRA„ VIORE DELICTO, DUM ABSTENTI ET NON COMMUNICANTES „ A COELESTI PANE PROHIBEMUR, a Chriſti corpore ſeparemur." Hic duplex tantum ſtatuitur ordo Chriſtianorum; 1. eorum qui ad cibum ſalutis Euchariſtiam accipere quotidie poſſint; alter eorum, qui abſtenti & non communicantes a cœleſti pane prohibeantur. In quo autem erunt peccatorum lethalium rei? An illi quotidie poſſunt ad tremenda ac divina myſteria accedere? Abſit. Ergo inter abſtentos & non communicantes relegabantur, a cœleſti illo pane prohibiti. juxta Cyprianum enim nemo e primo ordine excedit, quin in alium tranſeat.

Baſilius *epiſt. ad Amphilochium*, *can.* 34. hujuſce diſciplinæ exemplum ſuppeditat. Mulieres enim adulterii reas a Pœnitentiæ publicæ legibus immunes fuiſſe indicat, ne videlicet publicarentur, atque adeo capitali ſupplicio, quo adulteria tum plecti mos erat, objicerentur. Sed an continuo ad Euchariſtiam admiſſæ ſunt? Imo, inquit " Adulterio pollutas „ mulieres, publicare quidem patres noſtri prohibuerunt; .... eas au„ tem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus Pœni„ tentiæ.

Auguſtinus in eam ſententiam eſt multo adhuc expreſſior.

Libro 1. de ſymbolo ad Catechumenos, *cap. 7. & 8. ſupra*, tres peccatorum claſſes conſtituit: 1. eorum quæ ante Baptiſmum admittantur: 2. levium poſt Baptiſmum, ſine quibus eſſe non poſſumus; 3. graviorum. Prima Baptiſmate; alia oratione dominica ablui pronuntiat: poſtremorum autem pœnam & remedium aſſignans " Sed nolite, inquit, illa com„ mittere, pro quibus neceſſe eſt ut a corpore Chriſti ſeparemini. " Ergo omnibus poſt Baptiſmum peccatis, modo ex eorum numero non eſſent quæ oratione dominica expurgantur, adjuncta erat a Chriſti corpore ſeparatio.

Sermone 351. olim *homil.* 50. *inter* 50. eodem ſenſu, " Tres ſunt, „ inquit, actiones Pœnitentiæ, quas mecum veſtra eruditio recogno„ ſcit; ſunt enim uſitatæ in Eccleſia Dei ...... Una eſt quæ novum

„ homi-

„ hominem parturit, donec per Baptiſmum ſalutarem, omnium præte-
„ ritorum fiat ablutio peccatorum: .... altera vero Pœnitentia eſt, cu-
„ jus actio per totam iſtam vitam, qua in carne mortali degimus,
„ perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt, (pro venialibus ſci-
„ licet delictis quæ, ut ait, ſingula non lethali vulnere ferire ſentiun-
„ tur:) Tertia eſt actio Pœnitentiæ, inquit, quæ pro illis peccatis
„ ſubeunda eſt quæ legis decalogus continet & de quibus Apoſtolus
„ ait, *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt*. In hac ergo
„ Pœnitentia, majorem quiſque in ſe ſeveritatem debet exercere, ut
„ a ſeipſo judicatus non judicetur a Deo, ſicut idem Apoſtolus ait:
„ *Si enim nos judicaremus, a Domino non judicaremur*. Aſcendat itaque ho-
„ mo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ; ..... atque ita conſtituto in
„ corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex
„ timor: .... poſtremo ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe
„ indignum homo judicet participatione corporis & ſanguinis Domini;
„ ut qui ſeparari a regno cœlorum timet per ultimam ſententiam ſum-
„ mi judicis, per eccleſiaſticam diſciplinam a ſacramento cæleſtis panis
„ interim ſeparetur. Verſetur ante oculos imago futuri judicii; ut
„ cum alii accedunt ad altare Dei quo ipſe non accedit, cogitet quam
„ ſit contremiſcenda illa pœna qua, percipientibus aliis vitam æter-
„ nam, alii in mortem præcipitantur æternam .... Quomodo in inte-
„ riora veli, & in illa inviſibilia ſancta ſanctorum introire poterit,
„ qui medicinam cœleſtis diſciplinæ contemnens, noluit pauliſper a vi-
„ ſibilibus ſeparari? " Quid clarius? Sanctus enim doctor agere ſe pro-
fitetur de omnibus peccatis quæ legis decalogus continet, & de qui-
bus Apoſtolus ait, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*;
atque adeo de cunctis mortalibus. Horum autem peccatorum conſciis
illud præſcribit, ut ſe indignos judicent participatione corporis & ſan-
guinis Domini. Id eſſe ſancit ex Eccleſiaſtica diſciplina, ut a ſacra-
mento cęleſtis panis ſeparentur. Denique decernit eum in cęlum in-
troire non poſſe, qui medicinam cęleſtis illius diſciplinæ contemnens,
noluerit pauliſper ab Euchariſtia ſeparari. Ergo.

Sermone 352. *ſupra*, eadem inſtituta diviſione, " Reſtat, inquit, Pę-
„ nitentiæ tertium genus ...... Eſt Pœnitentia gravior, ... in qua
„ proprie vocantur in Eccleſia Pœnitentes, remoti etiam a ſacramen-
„ to altaris participandi, ne, accipiendo indigne, judicium ſibi man-
„ ducent & bibant.

Sermone 393. " Qui violavit ſacramentum (Baptiſmi) male & perdi-
„ te vivendo, & ideo remotus eſt ab altari ne judicium ſibi mandu-
„ cet & bibat, mutet vitam, corrigat ſe & reconcilietur, cum vivit,
„ dum ſanus eſt ..... Ergo qui veraciter egerit Pœnitentiam, & ſolu-
„ tus fuerit a ligamento quo erat obſtrictus & a Chriſti corpore ſepa-
„ ratus, quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit. " Ibi, ut
„ perſpicuum eſt, omnibus qui Baptiſmi ſacramentum violaverint, hanc
„ pęnam

„ pęnam, infligi ſolitam notat ut ab altari removerentur ante reconci-
„ liationem.

Epiſtola 54. *ad Januarium*, antea 118. de quotidiana communione diſputans, “ Dixerit aliquis, inquit, non quotidie accipiendam Euchari-
„ ſtiam. Quæſieris quare? Quoniam, inquit, eligendi ſunt dies quibus
„ purius homo continentiuſque vivat, quo ad tantum Sacramentum di-
„ gnius accedat. *Qui enim manducaverit indigne, judicium ſibi manducat*
„ *& bibit*. Alius contra: Imo, inquit, ſi tanta eſt plaga peccati atque
„ impietas morbi, ut medicamena talia differenda ſint; auctoritate An-
„ tiſtis debet quiſque ab altari removeri ad agendam Pœnitentiam,
„ & eadem auctoritate reconciliari. Hoc eſt enim indigne accipere, ſi
„ eo tempore accipiat, quo debet agere Pœnitentiam; non ut arbitrio
„ ſuo cum libet vel auferat ſe communioni, vel reddat. Cæterum ſi
„ peccata tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquam homo judice-
„ tur, non ſe debet a quotidiana medicina Dominici corporis ſepara-
„ re. Rectius inter eos fortaſſe quiſquam dirimit litem, qui monet ut
„ præcipue in Chriſti pace permaneant: faciat autem unuſquiſque quod
„ ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum
„ exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum ſacramen-
„ tum certatim honorare contendunt. Neque enim litigarunt inter ſe
„ aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus & ille Centurio,
„ cum alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum, al-
„ ter dixerit, *Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum*. Ambo Salva-
„ torem honorificantes & quaſi contrario modo; ambo peccatis miſe-
„ ri, ambo miſericordiam conſecuti. “ Hic duos Auguſtinus inducit de communione quotidiana diſputantes: utriuſque rationes ac dicta approbat: horum porro alter communionem quotidianam uſurpari poſſe decernebat ab iis omnibus qui Antiſtitis judicio non eſſent a ſacris altaribus remoti. Jam vero qui peccatorum lethalium rei ſunt, non poſſunt quotidianam communionem uſurpare. Ergo nemo erat peccatorum lethalium reus qui ab aris non prohiberetur.

Epiſtolam ad Seleucianam, nunc 285. hactenus 108. eandem excommunicationem ſeu a ſacro altari ſeparationem omnibus etiam lethalibus peccatis addicit. Triplicem enim pro triplici peccatorum genere Pœnitentiam ſtatuens: “ Agunt, inquit, homines ante Baptiſmum de ſuis
„ peccatis Pœnitentiam, ita tamen ut baptizentur, ſicut ſcriptum eſt
„ in Actibus Apoſt. loquente Petro ad Judæos & dicente; *Agite Pœni-*
„ *tentiam & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Jeſu*
„ *Chriſti; & dimittentur vobis peccata veſtra*. Agunt etiam homines Pę-
„ nitentiam, ſi poſt Baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari,
„ & poſtea reconciliari mereantur; ſicut agunt in omnibus eccleſiis il-
„ li qui proprie Pœnitentes appellantur: ...... Eſt etiam Pœnitentia
„ bonorum & humilium fidelium ..... quotidiana, in qua pectora tun-
„ dimus dicentes: *Dimitte nobis debita noſtra*. “ Ergo quicunque pecca-

bant

bant poſt Baptiſmum excommunicabantur, hoc eſt, a ſacra communione arcebantur, niſi peccata illa venialia eſſent, qualia a juſtis quotidie admittuntur.

Libro de dono perſeverantiæ, integrum refert Cypriani locum *ſupra* allegatum, eumque explicat de ſanctis qui timent ne perſeverantiam amittant & ſanctitatem, in ea peccata delabentes quæ Euchariſtiæ interdictionem mereantur. " Hæc verba ſancti hominis Dei, inquit *cap.* „ 4. perſeverantiam prorſus a Domino ſanctos indicant poſcere, quan- „ do hac intentione dicunt, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, „ ne a Chriſti corpore ſeparentur; ſed in ea ſanctitate permaneant, „ qua nullum, quo inde ſeparari mereantur, crimen admittant. " Auguſtino itaque idem omnino eſt, amittere perſeverantiam, & crimen admittere quo a Chriſti corpore quis ſeparari mereatur. Atqui perſeverantia & ſanctitas unoquoque peccato lethali amittitur. Ergo nullum eſt id genus peccatum quod iſta Pœnitentia non caſtigaretur.

Theodoretus *hæret. fabul. lib.* 5. *cap.* 28. de Pœnitentia, & eorum qui poſt Baptiſma lethaliter peccant, reconciliatione diſſerens, " Medica- „ bilia ſunt etiam, inquit, quæ poſt Baptiſmum fiunt vulnera: medi- „ cabilia autem, non ut olim, per ſolam fidem data remiſſione; ſed „ per multas lacrymas & fletus & jejunia & laborem commiſſi pecca- „ ti magnitudini reſpondentem. Nam edocti ſumus de iis qui ſic affe- „ cti ſunt nos deſperare non debere, nec illis facile ſacra impertiri. „ *Nolite*, inquit, *ſanctum dare canibus &c.* Has de Pęnitentia leges ha- „ bet Eccleſia. " Quid diſertius?

Cæſarius Arelatenſis *hom.* 8. innuit Pęnitentes pro omnibus mortiferis ſe ab altari removiſſe, & certis in caſibus propter ſcelera graviora Pœnitentiam etiam publicam egiſſe.

Homil. 52. qui ſermo quondam erat Auguſtini 252. jam vero eſt 229. *in appendice*, " Ideo, inquit, fratres chariſſimi, unuſquiſque conſideret „ conſcientiam ſuam; & quando ſe aliquo crimine vulneratum eſſe co- „ gnoverit, prius orationibus, jejuniis, vel eleemoſynis ſtudeat munda- „ re conſcientiam ſuam; & ſic Euchariſtiam præſumat accipere. Si enim „ agnoſcens reatum ſuum IPSE SE A DIVINO ALTARI SUBTRAXE- „ RIT, cito ad indulgentiam divinæ miſericordiæ perveniet ...... Qui „ enim, ſicut dixi, agnoſcens reatum ſuum ipſe ſe humiliter AB AL- „ TARI ECCLESIÆ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æter- „ no illo & cęleſti convivio excommunicari penitus non timebit. Rogo „ vos, fratres, diligenter attendite; ſi ad menſam cujuſque potentis „ hominis nemo præſumit cum veſtibus conſciſſis & inquinatis accede- „ re; quanto magis a convivio æterni regis, id eſt AB ALTARI DEI „ DEBET SE UNUSQUISQUE INVIDIÆ VEL ODII VENENO PERCUS- „ SUS, IRACUNDIÆ FURORE REPLETUS, CUM REVERENTIA ET „ HUMILITATE SUBTRAHERE, propter illud quod ſcriptum eſt: *Ami-* „ *ce quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem.* " Ecce peccata

pro

pro quibus debebat unuſquiſque ab altari ſeſe ſubtrahere, invidia, odium, iracundia. Nihil autem profecto de iis affirmatur quod in cætera peccata lethalia pari jure non cadat. Ergo.

Eligius Noviomenſis *homil.* 8. ad finem, " Qui timet ſeparari a regno
„ cælorum per ultimam ſententiam ſummi judicis, per eccleſiaſticam
„ diſciplinam a Sacramento cęleſtis panis interim ſeparetur. " Quæ ex Auguſtini *ſermone* 351. laudato deprompta ſunt.

Iſidorus *lib.* 1. *cap.* 18. *de officiis*: " Dicunt aliqui nullo intervenien-
„ te peccato Euchariſtiam quotidie accipiendam: hunc enim panem da-
„ ri..... quotidie poſtulamus dicentes: *Panem noſtrum quotidianum &c.*
„ quod quidem bene dicunt, ſi hoc cum religione & pietate ſuſcipiant.
„ Cæterum ſi talia ſunt peccata quæ quaſi mortuum removeant ab alta-
„ ri, prius agenda Pęnitentia eſt, ac ſic deinde hoc ſalutiferum medica-
„ mentum ſuſcipiendum. *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi*
„ *manducat & bibit*. Hoc eſt enim indigne accipere, ſi eo tempore quis
„ accipiat, quo debet agere Pęnitentiam. " Quod ex *epiſtola* ejuſdem
„ Auguſtini 54. *mox adducta* derivatum eſt.

Concilium Turonenſe III. an. 813. Sacerdotes admonet ut officio ſuo in Pęnitentia unicuique tribuenda fungantur: " Epiſcopis, inquit *can.*
„ 22. & Presbyteris diligenti cautela pertractandum, qualiter homini-
„ bus ſua ſibi delicta confitentibus tempus abſtinendi præſcribant; ut
„ juxta modum peccati, Pęnitentibus ABSTINENTIA INDICATUR. " Adeo vulgatum erat eo ævo cuilibet lethali peccato certum a ſacro Chriſti corpore abſtinendi tempus aſſignare, ut non ſolum Patres illud imperent, ſed etiam *abſtinentiæ* vocabulum loco nominis *Pænitentiæ* uſurpent.

Anſelmus, ſeu quis alius *in* 1. *Cor. cap.* 11. " Indigne manducat & bi-
„ bit qui ſine debita reverentia ſacram Euchariſtiam percipit. Indigne
„ manducat & bibit qui non prius per Pęnitentiam purgatus ad hoc Sa-
„ cramentum accedit. Hoc enim eſt indigne accipere, ſi eo tempore
„ accipiat quo debet Pęnitentiam agere.

Fulbertus Carnotenſis ſæculo XI. *ſerm.* 2. *ad populum*, " Si permanſiſ-
„ ſemus, inquit, illa in munditia quæ nobis per Baptiſmum data eſt,
„ vere felices eſſemus; ſed non permanſimus: cecidimus enim per no-
„ ſtram culpam non ſolum in peccata, ſed etiam in crimina (hoc eſt
„ peccata mortalia,) PROPTER QUÆ PECCATORES AB ECCLESIA SE-
„ PARANTUR, qualia ſunt homicidia, adulteria, fornicationes, ſacrile-
„ gia, rapinæ, furta, falſa teſtimonia, ſuperbia, invidia, avaritia, diu-
„ turna iracundia, ebrietas aſſidua. " Nonne hinc patet ad id uſque ævi propter omnia illa peccata quibus munditia Baptiſmo data amittitur, ſacram communionem eſſe interdictam, ne ſuperbia quidem, invidia aut avaritia exceptis, quæ Pęnitentiæ publicæ nunquam addictæ ſunt, in eo præſertim ſæculo quo non niſi de publicis ac manifeſtis criminibus Pęnitentia publica agebatur.

Ivo denique Fulberti ſucceſſor, centum etiam poſt annis obſervat *epiſtola* 228. moris fuiſſe. " Ut crimina ſua confitentes aliquandiu a cor-„ poris & ſanguinis Chriſti communione (Eccleſia) ſuſpenderet."

PROBATUR 2. ex eo qui tunc obtinuit Pœnitentiæ ordine. Ad eam enim tria tunc concurrebant:

1. Scilicet Sacerdotes crimina ſua confitentibus congruam & idoneam Satisfactionem injungebant: quod vocat Leo Magnus *epiſt.* 91. " Actio-„ nem Pœnitentiæ dare." Concilium Carthag. III. *can.* 31. " Secun-„ dum peccatorum differentiam Pœnitentiæ tempora decernere." Synodus denique Turonenſis *modo*, " Tempus abſtinendi præſcribere." 2. Pœnitentes impoſitis ſibi pro ſcelerum varietate laboribus ſtrenue defungebantur: unde Auguſtinus *ſerm.* 278. " Qui bene agit Pœnitentiam, in-„ quit, ſuus ipſe punitor eſt. Sit oportet ipſe in ſe ſeverus, ut in eum „ ſit miſericors Deus." Et Pacianus ſimiliter *in Paræneſi* ad Pœnitentes: " In quantum pœnæ veſtræ non peperceritis, in tantum Deus vobis par-„ cet." 3. denique, Poſt expletam demum rite Pœnitentiam his abſolutionem impertiebantur: quod Innocentius I. arguit dum *epiſt.* 1. ſic ait. " Cæterum, inquit, de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt „ judicare, ut attendat ad confeſſionem Pœnitentis, & ad fletus atque la-„ crimas corrigentis; ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam Sa-„ tisfactionem." quod alibi fuſius ſuo loco demonſtrabitur.

Ex hac autem diſciplina nemo non videt in more poſitum fuiſſe paſſim ut qui peccata mortalia admiſerant, per aliquod temporis intervallum ab altari ſepararentur.

QUÆRES 1. quanti temporis hæc mora eſſet.

RESPONDEO id præciſe definiri non poſſe: res enim tota ab arbitrio ac prudentia Epiſcoporum aliorumque Sacerdotum pendebat.

RESPONDEO 2. quantum ex veterum ſcriptis conjicere licet, majores & diuturniores paſſim fuiſſe quondam hujus Pœnitentiæ labores.

Cyprianus *de lapſis*: " Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit: ... Pœnitentia crimine minor non ſit.

Gregorius Nazianzenus *oratione in ſancta lumina*: Novi lacrymarum „ Baptiſmum, ſed aſperiorem & laborioſiorem, quo quidem ille tingi-„ tur, ut qui per ſingulas noctes lectum ſuum ac ſtratum lacrymis la-„ vat, cui ipſæ quoque vitii cicatrices fœtent, qui lugens & contri-„ ſtatus ingreditur &c.

Ambroſius *ſermone* 33. *poſt Dominicam primam Quadrageſimæ*: " Pœ-„ nitentem hominem dico, qui diebus & noctibus ingemiſcit, & cum „ Propheta dicit: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum lacrymis meis.*" *In Pſal.* autem 118. " In ipſa Eccleſia, inquit, ubi maxime miſereri „ decet, teneri quam maxime debet forma juſtitiæ; ne quis a commu-„ nionis conſortio abſtentus, brevi lacrymula atque ad tempus parata, „ vel etiam uberioribus fletibus, communionem, QUAM PLURIBUS „ DEBET POSTULARE TEMPORIBUS, facilitate Sacerdotis extorqueat.

Hie-

Hieronymus *de obitu Paulæ*, “ Affligendum corpus, inquit, quod
„ multis vacavit deliciis : longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu.
Theodoretus *ſupra* : Pęnitentibus ſacra non eſſe facile impertienda.
Cæſarius *homil.* 8. “ Addendæ ſunt lacrymæ & rugitus & gemitus &
„ longe protracta jejunia.

Joannes Damaſcenus *in hiſtoria Barlaami* “ Per Domini gratiam, in-
„ quit, lacrymarum fons Baptiſmus appellatur, tametſi labore ac tem-
„ pore opus habeat.

Pſellus *de gratia monachalis habitus* ait, “ Ut Pęnitentia noxæ eluan-
„ tur, lacrymarum vim tantam eſſe oportere, ut aquas Baptiſmatis æ-
„ quare poſſint.

Quæres 2. quænam fuerint tam moroſæ cunctationis rationes.

Respondeo 1. quod ad abſolutionem pertinet, cauſas fuiſſe, 1. peccatorum quæ a Chriſtianis admittuntur ſingulare pondus : 2. ſacri Baptiſmatis, quod iis violatur, injuriam : 3. converſionis ad Deum difficultatem ac raritatem : 4. ne in poſterum in eadem recideretur, prudentiſſimam cautionem. Sed de eo alias.

Respondeo 2. quod ad Euchariſtiam pertinet, cur poſt lapſum non ita facile tribueretur, in cauſa inſuper fuiſſe ſummam ejuſdem dignitatem : ad hæc enim myſteria non niſi ſanctos, aut maxime a vitiis expurgatos, admitti oportere cenſebant.

S. Dionyſius *Eccleſ. hierarchiæ cap.* 3. “ Excluduntur, inquit, a ſa-
„ crificio, a cujus ſublimi & divina excelſitate nimium abſunt . . . .
„ qui a deteriore quidem vita jam diſceſſerunt (Pęnitentes,) ſed ani-
„ mos a priſtinæ impuritatis phantaſmatis nondum ſatis expurgatos ge-
„ runt, habitu amoreque Dei puriſſimo ac ſimplici ; denique qui non-
„ dum ſoli Deo unice adhærent, quique, ut Scripturæ more loquar,
„ nondum omnino irreprehenſibiles ſunt, & immaculati.

Quæres 3. an Patres exiſtimaverint temere mutari poſſe hanc diſciplinam.

Respondeo eos ita non ſenſiſſe.

Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnitentia*, *cap.* 9. “ Nonnulli, inquit, ideo po-
„ ſcunt Pęnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint. Hi non
„ tam ſe ſolvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare. Suam enim conſcien-
„ tiam non exuunt, Sacerdotis induunt.

An peccata occulta Pœnitentiæ publicæ ſubjicerentur.

Ex iis quæ diſputavimus *ſupra* apertum eſt.

Primo duplicis generis peccata diſtingui poſſe : canonica alia, hoc eſt ex canonum præſcripto Pęnitentiæ publicæ obnoxia ; alia non item.

Secundo præter illa peccata, quæ juxta canones vulgo Pęnitentiæ publicæ non ſubjicerentur, alia extitiſſe, quæ ex variarum gentium conſuetudine ab eadem erant immunia.

Tertio

Tertio hæc utroque potuiſſe eſſe publica: atque adeo non omnia etiam publica Pęnitentiæ publicæ laboribus expiata eſſe.

Sed de iis, quæ ſive ex canonum legibus, ſive ex more hiſce ſupponebantur pęnis, non levis controverſia eſt: aliis in ſola publica peccata ſic animadverſum eſſe ſentientibus; aliis indiſcriminatim tam occulta quam manifeſta, modo eſſent ejuſdem generis, ita plecti conſueviſſe aſſeverantibus.

Priorem ſententiam inter alios tenent Sirmundus *in hiſtoria Pœnitentiæ publicæ*; & Joannes Petitus *ad Pænitentiale Theodori*: quod, ut opportunum cauſæ ſuæ, arripuit totiſque viribus propugnavit e Calvinianorum grege Dallæus. Nullam enim in Eccleſiam uſurpatam eſſe Pęnitentiam contendit, præter publicam: hanc autem locum non habuiſſe niſi manifeſtis criminibus: ex quo colligit confeſſionis uſum & neceſſitatem non ad omnia peccata lethalia extendi oportere, ſed ad ea reſtringi quæ cæteris offenſioni fuerint: nec tam Deo quam Eccleſiæ olim eſſe ſatisfactum. Ita ille *lib.* 3. *de Confeſſione art.* 22.

Alteram vero opinionem, quæ Pęnitentiæ publicæ peccata etiam arcana ſubdit, hoc & ſuperiori ſæculo quamplurimi amplexi ſunt.

Roffenſis *contra Lutherum cap.* 8.

Auctor catechiſmi Romani *parte* 2. *num.* 93.

Heſſelius *in expoſitione abrogati per Nectarium Pœnitentiarii.*

Tapperus *lib.* 5. *contra Lutherum.*

Lindanus *Panopliæ lib.* 4. *cap.* 19.

Petrus Soto *de inſtitutione ſacerdotum lect. de Confeſſione.*

Baconius *ad annum Chriſti* 59. *num.* 33.

Bellarminus *de Pœnitentia lib.* 3. *cap.*. 14.

Gregorius de Valentia e Societate Jeſu *diſput.* 7. *quæſt.* 9. *de Confeſſione, puncto* 2.

Henriques ex eodem inſtituto *ſummæ ſuæ lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 4.

Tannerus item ex eadem familia *tomo* 4. *diſp.* 6. *de Pœnit. quæſt.* 7. *dub.* 1. *num.* 13. *&* 14.

Pamelius ad Tertulliani librum *de Pœnitentia*, & ad Cypriani tractatum *de lapſis.*

Bullingerus *lib.* 4. *inſtit. eccleſiaſticarum.*

Alanus Copus *dialogo* 2. *cap.* 27.

Perronius *in reſponſione ad Regem majoris Britanniæ cap.* 3. *obſ.* 2.

Albaſpinæus *lib.* 1. *obſervationum*, *cap.* 5. *&* 19.

Petavius e Societate Jeſu *in animadverſionibus ad Epiphanium, hæreſi* 59.

Hallerius *de ſacris Ordinationibus.*

Morinus *lib.* 2. *cap.* 5. *lib.* 5. *cap.* 8. *& ſeqq. lib.* 7. *cap.* 1.

Natalis denique Alexander *tom.* 6. *hiſt. eccleſiaſticæ*; ut eos qui recens de confeſſione ſcripſerunt, & alios prætermittamus.

ASSERTIO I.

Sex prioribus Eccleſiæ ſæculis Pęnitentia publica occultis etiam criminibus, modo ea canonica eſſent, ab Eccleſia præſcripta eſt.

PROBATUR 1. variis antiquorum, qui id indicant, teſtimoniis.

Origenes *homil.* 2. *in Pſal.* 37. " Oportet peccatum non celare in„ trinſecus .... Ii qui peccaverunt, ſiquidem occultant & retinent in„ tra ſe peccatum, intrinſecus urgentur .... Tantummodo circum„ ſpice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum, ... ut, ſi quid „ ille dixerit, ... facias & ſequaris: ſi intellexerit & præviderit ta„ lem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius eccleſiæ exponi „ debeat, & curari, ex quo fortaſſis, & cæteri ædificari poterunt, „ & tu ipſe facile ſanari, hoc ..... procurandum eſt. " De peccatis occultis loquitur Origenes, ea tamen elui præcipit Pęnitentia publica, ſi Sacerdos talem eſſe videat languorem, qui juxta diſciplinam Eccleſiæ in conveutu publico exponi debeat & curari.

Tertullianus libro *de Pœnitentia cap.* 9. ad publicam hortatur, quam ſic deſcribit, Pęnitentiam: " Hujus igitur Pęnitentiæ ſecundæ „ & unius .... operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præ„ feratur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus qui magis „ Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologeſis eſt, qua „ delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed „ quatenus Satisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione Pęnitentia „ naſcitur, Pęnitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologeſis proſter„ nendi & humilificandi hominis diſciplina eſt. " Hanc autem poſtquam pluribus demonſtravit eſſe neceſſariam, " Pleroſque tamen, in„ quit *cap.* 10. hoc opus ut ſui publicationem aut ſuffugere, aut de „ die in diem differre præſumo, pudoris magis memores quam ſalu„ tis; velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexa„ tione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pe„ reunt .... Grande plane emolumentum verecundiæ, occultatio de„ licti pollicetur! Videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, pro„ inde & Deum celabimus? .... An melius eſt damnatum latere quam „ palam abſolvi? " Ibi dubium non eſt 1. quin verba faciat de Pęnitentia publica, de qua differere cœperat *cap.* 7. Et vero eam ſatis deſignat, dum ait ſemel eſſe conceſſam, & appellat eam *proſternendi & humilificandi homines diſciplinam*: 2. quin diſputet de peccatis occultis, quæ comparat cum morbis ſecretioribus, & quæ humanæ notitiæ erant ſubducta. Ergo Pœnitentiæ publicæ ejuſmodi crimina ſupponebantur.

Cyprianus *de lapſis*, eos alloquens qui crimen idololatriæ clam admiſerant, & ideo nolebant illud confiteri ac legitima Pęnitentia expiare, " Derideri, inquit, & circumveniri Deus non poteſt, nec aſtutia „ aliqua fallente deludi: plus imo delinquit qui, ſecundum hominem

„ Deum

„ Deum cogitans, evadere ſe pęnam criminis credit, ſi non palam crimen admiſit. Chriſtus in præceptis ſuis dicit: *Qui confuſus me fuerit, confundetur eum filius hominis* : & chriſtianum ſe putat, qui chriſtianus eſſe confunditur, aut veretur? " Adeo in eos urget Pęnitentiæ publicæ, de qua ex profeſſo quæſtio erat, neceſſitatem.

Synodus Ancyrana Pęnitentiam publicam decernit in homicidas & in mulieres quæ veneficiis fœtus ſuos perimunt, & alia id genus delicta: " De mulieribus, inquit *canone* 21. quæ ſunt fornicatæ, & fœtus in utero „ perimunt, & fœtuum necatoriis medicamentis faciendis dant operam, „ prior quidem definitio uſque ad vitæ exitum prohibebat, & ei quidam „ aſſentiuntur; ſed humanitate tamen utentes decrevimus ut decennium „ per gradus præfinitos impleant.

Canone 23. " De voluntariis cædibus ſupplices quidem ſubſternan„ tur; eo autem quod perfectum eſt in fine vitæ digni habeantur. " Evidens porro eſt ibi agi de occultis; tum quia ſi homicidium fuiſſet publicum, capitali ſupplicio punitum eſſet, ac proinde nullus extitiſſet agendæ palam ac publice in Eccleſia Pęnitentiæ locus: tum quia mulieres cum in utero perimunt fœtus ſuos, id ſummo ſtudio occultant; imo id non peragunt, niſi ut honori ac famæ ſuæ conſulant.

Baſilius *epiſt. ad Amphil. cap.* 22. " Ei, inquit, qui mulierem vel „ vi vel clam a ſe vitiatam habet, neceſſe eſt fornicationis pœnas im„ ponere. Eſt autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus ſup„ plicium. " Quid diſertius? vox enim illa *clam* ſcelus occultum maniſeſte arguit. *Canone* autem 34. " Adulterio, inquit, pollutas mu„ lieres & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, „ publicare quidem patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis „ cauſam præbeamus; eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, do„ nec impleretur tempus Pęnitentiæ. " Exceptio firmat regulam: cum ergo Baſilius de adulterio occulto ſermonem habeat, & propter illud dicat non eſſe mulieribus imponendam Pęnitentiam publicam ob periculum mortis a judicibus imminens, id ſatis arguit, eis hanc Pęnitentiam injungendam fore, ſi nihil tale timendum fuiſſet; & reipſa omnibus præſcriptam eam eſſe, viris v.g. quibus nihil ſimile timebatur. Quam in rem vide inſuper Baſilii interpretes nobis aſſentientes, Balzamonem, & Ariſtænum.

At, inquies, crimen notum ſignificant hæ voces: " Vel quomodocunque convictas. " An enim ſecretum illud crimen eſſe poteſt, cujus eſt mulier convicta?

Respondeo 1. hac lege etiam comprehendi adulterium cujus mulieres non eſſent convictæ: 2. cum de eo dicuntur convictæ, id non intelligi de publica delatione, & probatione, (ſtatim enim in has mulieres fuiſſet a judicibus animadverſum, quod vitandum eſſe ſtatuit Baſilius,) ſed de ſecreta. Moris enim olim fuit clam ac ſecrete apud Epiſcopos accuſare, qui ſe ipſi non accuſabant.

Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnitentia*, *cap.* 16. " Si quis igitur, inquit,
" OCCULTA CRIMINA habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe Pę-
" nitentiam egerit, quomodo iſta recipit, ſi ei communio non refun-
" ditur? Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemi-
" tibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur obſecret; & cum
" ſecundo aut tertio fuerit dilata ejus communio, credat remiſſus ſe
" ſupplicaſſe, fletus augeat, ... teneat pedes brachiis .... lavet fletibus. "
Quo loco nullus eſt illuſtrior: in eo enim citra omne dubium de Pęnitentia publica agitur, & peccata occulta conceptis verbis ut ei obnoxia commemorantur.

Certe tanta vis eſt horum verborum, ut ea cum explicare non poſſet Dallæus, pervertere tentaverit. Ait enim emendandum hoc eſſe, & non *occulta*, ſed *multa* peccata ibi legi oportere. Sed repugnant omnes codices, ipſaque argumenti ſeries; ut oſtendunt PP. Benedictini *ad hunc locum*, & Sammarthanus *de Confeſſione*.

Innocentius I. *epiſt.* 2. *ad Victricium Rethomagenſem epiſcopum*, a quo conſultus fuerat, an Monialis clanculum corrupta, eſſet Pęnitentiæ ſubjicienda antequam obiiſſet is qui ei vitium obtulerat; reſpondet *cap.* 12. " Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari a Sacerdote me-
" ruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, admittendas non eſſe ad agendam Pęnitentiam, niſi is cui ſe junxerant de ſæculo diſceſſerit. " Quæ quidem verba decretoria erunt, ſi duo obſervaverimus: 1. ibi quæſtionem proponi de Monialibus clanculo corruptis, ac proinde de occultis criminibus: 2. ibidem agi de Pęnitentia publica; eodem enim modo Pęnitentia infligitur iis quæ clam vitiatæ fuerint, quo iis quæ publice nupſerint. Atqui certum eſt eas quæ palam nupſiſſent addictas eſſe Pęnitentiæ publicæ. Ergo. Neque vero dubitabat Victricius an eæ Pęnitentia publica caſtigandæ eſſent, ſed tantum an ad Pęnitentiam illam imperandam expectanda eſſet mors corruptoris.

Auguſtinus *ſermone* 351. " Nemo, inquit, arbitretur, Fratres, pro-
" pterea ſe conſilium ſalutiferæ hujus debere Pęniteutiæ contemnere,
" quia multos forte advertit & novit ad ſacra altaris accedere, quo-
" rum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur ut Petrus,
" multi tolerantur ut Judas, multi neſciuntur .... Nam plerique pro-
" pterea nolunt alios accuſare, dum ſe per illos cupiunt excuſare:
" plerique autem boni Chriſtiani propterea tacent & ſufferunt aliorum
" peccata quæ noverunt, quia documentis ſæpe deſeruntur, & ea quæ
" ipſi ſciunt, judicibus eccleſiaſticis probare non poſſunt ..... Nos ve-
" ro a communione prohibere quemquam non poſſumus, quamvis hæc
" prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte con-
" feſſum, aut in aliquo ſive ſæculari ſive eccleſiaſtico judicio nomina-
" tum atque convictum. " Ergo non tantum qui admiſſi flagitii convinci poterant, ſed etiam qui illud, de quo convinci non poſſent, confitebantur, Pęnitentiæ publicæ ſubjacebant.

Ser-

Sermone 352. " Qui poſt uxores veſtras vos illicito concubitu ma-
„ culaſtis, ſi præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite Pę-
„ nitentiam qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Ne-
„ mo ſibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mi-
„ hi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: *Quæ*
„ *ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo?* Ergo ſine cauſa claves datæ
„ ſunt Eccleſiæ Dei, Fruſtramus Evangelium " &c. Peccatum illud occultum erat; ſi enim publicum extitiſſet, non eos ad Pęnitentiam publicam hortatus eſſet, ſed ad eam prorſus adegiſſet: loquitur autem de Pœnitentia publica, in cujus exemplum adducit Theodoſium imperatorem:
„ Reſiſtit mihi, inquit, filius peſtilentiæ, & erubeſcit genu figere ſub
„ benedictione Dei, quod non erubuit Imperator? ..... Deus voluit
„ ut Theodoſius imperator ageret Pœnitentiam publicam in conſpectu
„ populi, maxime quia peccatum ejus celari non potuit, & erubeſcit
„ Senator quod non erubuit Imperator? " Ex qua hiſtoria novum exurgit argumentum Pœnitentiæ publicæ de peccatis occultis: vox enim illa, *maxime*, clare indicat, ſæpe de iis actam eſſe Pœnitentiam publicam, quamvis maxime & præcipue de publicis.

S. Leo *epiſt.* 136. *ad Epiſcopos Campaniæ* ad confeſſionem publicam ac Pęnitentiam omnes promiſcue compellentes, " Removeatur, inquit,
„ tam improbabilis conſuetudo, ne multi a Pœnitentiæ remediis arcean-
„ tur, dum aut erubeſcunt aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari,
„ quibus poſſent legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſ-
„ ſio quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti; .... tunc enim
„ demum plures ad Pęnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus
„ non publicetur conſcientia confitentis. " Hic dubio procul ſermo eſt de peccatis ſecretis, quæ illi erubeſcebant aut metuebant coram inimicis confiteri: horum vero ſecretorum peccatorum reos Epiſcopi Campaniæ ad confeſſionem publicam, & ad Pęnitentiam etiam coram omnibus per conſequens agendam cogebant. Confeſſionem quidem publicam tolli imperat Leo; Pęnitentiam non perſtringit: imo auctor eſt ut confeſſio illa publica abrogetur, ut Pęnitentia eadem magis ac magis frequentetur. Ergo moris erat in Campania peccatorum arcanorum reos Pęnitentiæ publicæ addicere; & hunc morem probabat ſummus Pontifex.

Eligius *homil.* 4. 7. 8. 11. & 16. ſignificat non mediocrem fuiſſe tunc turbam palam ac publice in Eccleſia Pęnitentium, quos ſeorſum de more alloquitur. *Hom.* autem 16. duos inſigniores compellat in hunc modum. " Duos præterea, fratres mei, alloquimur quos publica actio
„ criminalis publicam coegit agere Pœnitentiam. " Magnus erat numerus publice pęnitentium; duo autem tantum erant inter eos qui Pęnitentiam publice agerent propter crimina publica. Ergo vulgo Pœnitentia publica etiam agebatur de occultis.

PROBATUR 2. Quia eadem peccata in Laicis Pęnitentia publica plectebantur, quæ in Clericis majoribus depoſitione. Atqui crimina etiam

occulta in Clericis majoribus depoſitione plectebantur.

Concilium Neocæſarienſe *can.* 9.: " Si Presbyter, qui corpore prius „ peccaverat, promotus fuerit, & ſe ante ordinationem peccaſſe con- „ feſſus fuerit; ne offerat...... Quod ſi ipſe non confiteatur, aperte „ autem convinci non potuerit, illius quoque ei fiat poteſtas." Quæſtio ibi eſt de flagitio de quo convinci non poteſt Presbyter: ſi autem illud confiteatur, vetat canon ne amplius offerat: ſin autem non confiteatur, ut offerat edicit. Ergo ſi quis Presbyter confiteretur occultum crimen, e gradu ſuo dejiciebatur.

Julianus Pomerius *lib.* 2. *de vita contemplativa cap.* 7. " Hi, inquit, „ qui in aliquo gradu eccleſiaſtico conſtituti aliquod occulte crimen ad- „ mittunt, ipſi ſe vana perſuaſione decipiunt, ſi eis propterea videtur „ communicare & officium ſuum implere debere, quod homines occul- „ tatione ſui criminis fallunt:.... imo vero dupliciter contra ſe iram „ divinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam fin- „ gunt, & contempto Dei judicio abſtinere ſe ab altari propter homi- „ nes erubeſcunt.

Iſtius autem conſuetudinis ac juris duo ſunt inſignia præ cæteris exempla.

1. Potamii Bracarenſis epiſcopi *in concilio Toletano* X. Cum enim ille Præſul ſcripto ibi ſe accuſaſſet criminis occultiſſimi, e ſede eſt exturbatus, ſervato tamen nominis honore, quo etiam juxta veterem diſciplinam ſpoliandus erat. " Per fidelem, inquiunt Patres, confeſſionem ejus, „ agnito quod tactu femineo ſorduiſſet, ... licet hunc paterna antiqui- „ tas ſacris regulis dejicere ab honore decernat, nos tamen, miſeratio- „ nis jura ſervantes, non abſtulimus nomen honoris quod ipſe ſibi ſui „ criminis confeſſione jam tulerat; ſed valida auctoritate decrevimus „ perpetuæ Pęnitentiæ hunc inſervire officiis & ærumnis.

2. Eſt Genebaldi Laudunenſis epiſcopi, qui cum duplex a ſe clam admiſſum cum priſtina conjuge nefas S. Remigio ſponte dixiſſet, ab omni officio amotus, per ſeptem annos in quadam domuncula recluſus eſt ad obeundam Pęnitentiam. Hiſtoriam lege apud Hincmarum *in vita ſancti Remigii*.

Et vero idem vigebat apud Græcos eodem circiter tempore. Illud enim præſcribit Joannes Jejunator & Joannes alter Baſilii diſcipulus *in ſuis Pœnitentialibus libris*, ut Confeſſarii Sacerdotes & Diaconos ad confeſſionem edendam non admittant, niſi prius promiſerint fore ut ſeſe ipſi miniſterio ſacro abdicent, ſi in aliquod ea pęna dignum crimen forte lapſi fuerint: " Non oportet Sacerdotes, inquit Joannes Jejuna- „ tor, Epiſcopos aut Diaconos .... ad confeſſionem ſuſcipere, donec „ cum Deo ſecuritatem præſtiterint Confeſſoribus, ſi aliquando cri- „ men habuerint prohibens videlicet eos ſacrificandi poteſtate abdi- „ cans, non amplius ſacra facere auſuros: his enim nulla omnino da- „ tur Pęnitentia, aut abſtinentia quælibet a cibo vel potu vel commu-

„ nio-

„ nione; ſed ſola a ſacerdotio ceſſatio. “ Ergo erant per id ævi aliqua ſcelera propter quæ deponebantur Sacerdotes, etiamſi illa arcana forent: ſi enim publica & omnibus nota extitiſſent, opus non fuiſſet hac promiſſionis cautione: nempe inviti dejici potuiſſent.

Imo Arcudius *lib. 4. cap. 2. de ſacramentis*, notat etiam hac de cauſa infrequentiorem eſſe nunc apud Sacerdotes græcos confeſſionem. Cum enim certa quædam ſint apud eos facta quæ juxta leges depoſitionem mereantur, in quam non incurrunt quia nota non ſunt; eadem confiteri refugiunt, ne huic pęnæ ſubdantur.

Probatur 3. ratione. Cum enim innumeri ſint canones de Pęnitentia publica ſanciti, qui certas quaſdam pęnas decernant v. g. in adulteria, homicidia; nullus eſt qui publica ab occultis ſecernat. Omnes crimen ipſum impetunt; nullus circumſtantiam hanc notat aut afficit. Ubi lex autem non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Cum ergo adulterium, quantumlibet occultum, veri nominis ſit adulterium, in illud quoque Pęnitentiam præſcriptam cadere neceſſe eſt. Quid enim abſurdius, quam omnes in mente habuiſſe publica tantum crimina, cum de Pęnitentia publica differerent; & neminem quod in mente habebat uſpiam indicaſſe? an non cum leges de re quapiam conduntur ſingula verba ponderantur? certe graves ac diuturnæ in Eccleſia quondam fuerunt de Pęnitentia publica concertationes cum Montaniſtis v. g. ac deinceps cum Novatianis. In his autem diſputationibus nihil excidit, nihil omittitur: omnia accuratiſſime pertractantur. Atqui ibi tamen nulla eſt occultā inter & manifeſta crimina diſtinctionis umbra, nullum veſtigium. Ergo reipſa illa a ſeſe invicem non ſecernebantur. Et vero antiquos æſtimemus ex recentiorum agendi ac loquendi ratione. Septimo ſæculo mutata eſt diſciplina, tuncque Pęnitentia publica non niſi de publicis acta eſt. Atqui id diſerte exprimunt omnes paſſim ſcriptores, de occultis occultam, de publicis publicam agi oportere. Itaque ſi ſenſiſſent idem majores, idem omnino dixiſſent. Non dixerunt: ergo & aliud ſenſerunt & uſurparunt. Atque ut ad ævum noſtrum deſcendamus, ſunt inter nos Præſules, qui certa ſibi peccata reſervent, ut quæ ſint graviſſima; ea autem non reſervent niſi ſint publica: an non illi ſtatim hanc criminis publici notam conceptis verbis deſignant? Quis putet ita negligentes ſui fuiſſe olim Patres, ut idem non annotaſſent, ſi idem voluiſſent.

Et ſane, quadraginta ſex illi e ſacra Facultate Pariſienſi doctores, qui in cauſa illuſtriſſimi epiſcopi Pontiopoleos ſententiam contra quoſdam ejus adverſarios dixerunt, obſervant, ex eo quod vetuſti canones nullum diſcrimen quoad Pœnitentiam ſtatuant occulta inter & publica peccata, merito colligi poſſe utriſque ex æquo Pœnitentiam fuiſſe indictam.

Objicies 1. Origenes *ſupra* agendam quandam Pœnitentiam publicam ſtatuit propter occulta crimina; ſed ex conſilio Sacerdotis. Ergo nulla de eo lex erat.

Respondeo ita locutum eſſe Origenem, quia cum peccata arcana erant, ad Pœnitentiam publicam cogi non poterant peccatores. Hoc ergo diſcrimen fuit peccata occulta inter & publica, quod qui publice peccaſſet, ad reſarciendam offenſionem publice adigeretur; qui autem ſecreto non ita. Sacerdotis erat ejuſmodi peccatorem hortari ad Pœnitentiam publicam, quam ille, ſi pervicax foret, detrectare poterat: ſed eo in caſu abſolutio negabatur.

Instabis 1. Idem *homil.* 21. *in Joſue*, " Ubi peccatum, inquit, „ non eſt evidens, ejicere de Eccleſia neminem poſſumus. Ergo.

Respondeo hoc intelligi de coacta Pœnitentia publica, ut modo explicuimus.

Instabis 2. Idem *in Matth. tract.* 35. ait hanc eſſe in Eccleſiis conſuetudinem, ut qui publice peccaſſent, ex Eccleſia ejicerentur, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat.

Respondeo hoc reipſa fuiſſe uſurpatum: ſed an non idem quoque fieret ob peccata occulta graviora, prorſus ſilet. Nos autem id fieri ſolitum ex ipſo Origene evicimus.

Objicies 2. Synodus Neocæſarienſis *can.* 9. " Si de ſe non fuerit ipſe confeſſus, & argui manifeſte nequiverit, poteſtatis ſuæ judicio relinquatur.

Respondeo id dici, quia " Nemo, ut ait Auguſtinus, a commu- „ nione prohiberi poterat, niſi aut ſponte confeſſus, aut in aliquo judi- „ cio convictus. Neutrum hic occurrebat.

Objicies 3. Baſilius *epiſtola* 246. de quodam, qui peccatum quidem occultum admiſerat, ſed ejuſmodi tamen, ut per teſtes probari poſſet, " „ Semel, inquit, accuſatus & delatus es: . . . tertio in facie Eccleſiæ. „ Quocirca deinceps eſto excommunicatus.

Respondeo hoc accipi debere de excommunicatione majore; qua quis ab Eccleſia penitus præſcinditur; non de Pœnitentia publica. Hæc ad medicinam, illa ad pœnam infligitur.

Objicies 4. Chryſoſtomus *hom.* 20. *in cap.* 5. *Geneſ.* " Scortator, ait, „ vel adulter vel qui aliud tale quiddam admiſit, etiamſi omnes latere „ queat, nunquam tamen ſic in tranquillitate vivit. Attamen qui hæc „ fecit, ſi voluerit ut decet uti conſcientiæ adjumento, & ad confeſſio- „ nem facinorum feſtinare, & medico oſtendere ulcus, qui curet & non „ exprobret; facile peccata ſua emendabit.

Respondeo his verbis excludi confeſſionem publicam, non vero publicam Pœnitentiam.

Objicies 5. Innocentius I. *epiſt. ad Exuper. cap.* 4. pro adulterio viros non vulgo fuiſſe Pœnitentiæ publicæ ſubjectos, mulieres contra vulgo fuiſſe docet; quia nempe uxores adulterii non facile accuſant viros, viri autem facile uxores accuſant. " Non habent autem, inquit, peccata la- „ tentia vindictam.

Distinguo: peccata latentia, ſi ita lateant, ut nec confeſſione ſpon-

ſpontanea, nec publica accuſatione detegantur; concedo: ſecus; nego. De viris loquitur, qui neque adulteria ſua confitebantur, nec de iis ab uxoribus accuſabantur. Ergo mirum non eſt, ſi illi Pęnitentiæ publicæ obnoxii non eſſent. Prorſus enim latebant crimina.

Objicies 6. Auguſtinus *homil.* 50. ſeu *ſerm.* 351. " Si peccatum ejus, „ inquit; non ſolum in gravi ejus malo, ſed in tanto ſcandalo eſt alio„ rum, atque hoc utilitati Eccleſiæ expedire videtur Antiſtiti, in noti„ tia multorum, vel etiam totius plebis, agere Pęnitentiam non recu„ ſet, non reſiſtat; .... non lethali plagæ per pudorem addat tumo„ rem. " Ergo quando ſcelus erat omni ex parte publicum, coram omnibus, ſpectante Eccleſia tota; quando non ita notum, coram aliquibus duntaxat; & quando penitus occultum, ſecreto quoque Pęnitentia agebatur.

Nego conſequentiam: cauſam enim ibi affert Pœnitentiæ publicæ unam, non omnem.

Instabis. *Serm. 16. de verbis Domini cap.* 8. " Sunt, inquit, ho„ mines adulteri in domibus ſuis; in ſecreto peccant: aliquando nobis „ produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando marito„ rum ſalutem quærentibus. Nos non prodimus palam, ſed in ſecreto „ arguimus. Ubi contingit malum, ibi moriatur vulnus.

Respondeo hoc accipiendum eſſe de correptione fraterna, non de legitima Pœnitentia; quod ex ſermonis contextu eluceſcit. Hoc itaque vult Auguſtinus, clam nempe peccantes, publice non argui de peccato ſuo. Cæterum hoc non excludit deinceps Pœnitentiam publicam, ut nec excludit confeſſionem poſtea juxta præceptum Chriſti faciendam.

Instabis. At S. Auguſtinus ait ibi mori debere malum ubi contigit.

Distinguo: per reſcipiſcentiam, quam correptio parit; concedo: quaſi nihil aliud ad vitam Pœnitentium requiratur; nego. Quid enim, an abſolutio in poſterum erit ſuperflua? an ad Eccleſiam ejuſque claves non eſt recurrendum?

Objicies 7. Concilium Chartaginienſe III. cui affuit idem Auguſtinus, *can.* 32. ita definit: " Cujuſcunque autem Pœnitentis publicum & „ vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante abſi„ dem manus ei imponatur.

Respondeo hoc pertinere ad peculiarem quemdam modum Pœnitentiæ publicæ imponendæ. Pœnitentia publica nimirum omnibus peccatorum canonicorum reis infligebatur; ſed cum vulgo ea ſecreto injungeretur, & Pęnitentes conglobati in infima Eccleſiæ parte impoſitionem manuum ab Epiſcopo ſuſciperent; ſi quis forte admiſiſſet crimen aliquod vulgatiſſimum, quod omnibus erat ſcandalo, is ad abſidem prope altare, ubi Presbyteri cum Epiſcopo conſidebant, ducebatur, ut ei ſeorſim manus imponerentur.

Objicies 8. Cæſarius Arelatenſis *hom.* 8. " Qui cum multorum de„ ſtru-

„ ſtructione, inquit, ſe perdidit, cum multorum ædificatione ſe redi„ mat: " quod repetit S. Eligius. Ergo in eo tantum caſu Pœnitentia publica imponebatur.

Respondeo Cæſarium & Eligium, non ſecus ac Auguſtinum, *ſupra*, unam hic commemoraſſe Pœnitentiæ publicæ rationem & quidem præcipuam; ſed alias, ſi quæ forent, non excluſiſſe: alias autem fuiſſe *ſupra* probavimus.

Objicies 9. Si peccatis etiam vulgo ignotis impoſita eſſet Pęnitentia publica, non ſatis fuiſſet conſultum Pœnitentium honori. Cum enim omnibus notum eſſet eam imponi non ſolere niſi propter graviora quædam crimina, quivis illico colligere potuiſſet, eum eſſe nefandi cujuſdam ſceleris reum, quem in eo Pœnitentium ordine conſpexiſſet. Imo & crimen ipſum, non in ſuſpicionem modo, ſed etiam in notitiam veniſſet. Cum enim certum ſpatium temporis præſcriptum eſſet certo peccato, v. g. viginti anni homicidio; ſtatim homicidii reus manifeſtus fuiſſet quem viginti annis Pœnitentiæ addictum fuiſſe vidiſſent. Atqui id omnino alienum videtur a prudentia majorum, quibus confeſſionis ſecretum & uniuſcujuſque fama ſemper curæ, ut par eſt, maximæ fuit.

Respondeo nullam fuiſſe ſuſpicionis legitimæ cauſam; quia videlicet plurimi ex ſolo pietatis ſenſu Pœnitentiam publicam profitebantur; ut videre eſt apud Cyprianum *ſupra*. Exemplum quoque habes Wambæ Regis in concilio Toletano XII. & Gaudentii epiſcopi Valerienſis in concilio Toletano XIII. Tempus autem Pœnitentiæ pro Antiſtitum prudentia & arbitrio vel minuebatur vel producebatur.

Quæres quænam crimina olim Pœnitentiæ publicæ ſubjecta fuerint.

Respondeo pleroſque graviter hoc in capite hallucinari: antiquitatem enim hodierni uſus ac temporis regula metientes, putant hiſce diuturnis ac gravibus pęnis obnoxia non fuiſſe niſi facta quædam immania, inſolita, horrenda, uno verbo ſcelerum portenta: ſed errant: ei enim Pęnitentiæ generi ſubdita fuiſſe deprehenduntur plurima, quæ nunc heu! nimium frequentantur.

Itaque, quoad ex veterum monumentis collegimus, Pęnitentiæ publicæ ſubjici conſueverant, idololatria eique cognata crimina, negatio Dei, blaſphemiæ, ſacrilegia, perjuria, divinationes, præſtigiæ, ariolorum conſultationes, homicidia ſeu fortuita ſeu voluntaria, abortiones ſpontaneæ, inceſtus, adulteria, fornicationes & quæcunque contra naturam in eodem genere perpetrantur, matrimonia illicita, bigamia & ulteriores nuptiæ, calumnia, libelli famoſi, inimicitiæ longiores, rapinæ, furta, fraudes, falſa teſtimonia, uſuræ & ludorum aleæ; de quo lege Tertullianum *de Pœnitentia & de pudicitia*, ſynodum Eliberitanam, Baſilium *in epiſt. ad Amphilochium*, Gregorium Nyſſenum *epiſt. ad Letoium*, ſynodum Ancyranam, Laodicenſem, & Ilerdenſem,

ſem, Auguſtinum *ſermone* 352. Cæſarium Arelatenſem, *homilia prima* &c. inprimis vero Marianum Victorium in libello *de antiquis pœnitentiis*.

ASSERTIO II.

Septimo ſæculo invaluit conſuetudo ut de occultis occulte, de publicis publice Pęnitentia ageretur.

Probatur 1. ex Pęnitentiali Theodori Cantuarienſis anno Chriſti 690. mortui, quod magni deinceps fuit in his occidentalibus regionibus nominis, & auctoritatis: is enim eſt qui hanc diſciplinam, quam a Græcis recentioribus forte hauſerat, primus invexit; eamque ſecuti ſunt Beda *libro de remed. peccator.* & Egbertus Eborac. *in Pœnitentiali*.

Secundo Auctor Capitularium, " Si occulte & ſponte confeſſus fue-
„ rit, inquit *lib.* 5. *cap.* 52. occulte fiat; & ſi publice ac manifeſte
„ convictus fuerit, publice & coram Eccleſia, juxta canonicos pœ-
„ niteat gradus. Poſt peractam vero ſecundum canonicam inſtitutio-
„ nem Pęnitentiam, occulte vel manifeſte canoni reconcilietur.

Tertio idem ſancit concil. Leptin. an. 743.

Quarto Iſaacus Lingonenſis *collectionis canonum tit.* 3. *cap.* 9. de mu-
„ liere: " Si adulterium perpetraverit & occulte ad confeſſionem ve-
„ nerit, ſeptem annis pęniteat..... Si .... hoc a viro deprehenſum
„ fuerit & publicatum, dimittat uxorem, ſi voluerit, propter forni-
„ cationem: illa vero, ſecundum quod ſuperius inſertum eſt, publice
„ agat Pęnitentiam.

Quinto Concilium Arelatenſe VI. anno 813. *can.* 26. " Qui publice
„ crimine convicti ſunt, rei publice judicentur, & publicam Pęniten-
„ tiam agant ſecundum canones.

Sexto Synodus Remenſis eodem anno *can.* 31. " Ut diſcretio ſer-
„ vanda ſit inter Pęnitentes, qui publice, & qui abſconſe pœnitere
„ debent.

Septimo Concilium Cabillonenſe II. an. 813. *can.* 25. " Si quis publice pec-
„ cat, publica multetur Pęnitentia.

Octavo Synodus Moguntina anno 847. *can.* 31. " Diſcretio ſervan-
da eſt inter Pęnitentes, qui publice, & qui abſconſe pęnitere de-
„ bent. Nam qui publice peccat, oportet ut publica multetur Pęni-
„ tentia.

Nono denique, ut reliquos ſileamus, Burchardus Wormacienſis *lib.* 19. *collectionum cap.* 36. quaſi ex Auguſtino, " Si quis, inquit,
„ inceſtum occulte commiſerit, & Sacerdoti occulte Pęnitentiam ege-
„ rit, indicetur ei remedium canonicum, quod ſubire debuiſſet ſi ejus
„ facinus publicatum fuiſſet. Verum quia latet commiſſum, detur ei
a Sacerdote conſilium, ut ſaluti animæ ſuæ pro occulta ſua Pęnitentia pro-
„ ficiat.

SE-

SECTIO III.

De Subjecto Pœnitentiæ Publicæ.

An Clerici quondam Pœnitentiæ Publicæ addicerentur.

Clerici, de quibus controverſia eſt, vel ſunt Majores, vel Minores. Majores Clerici erant olim Epiſcopus, Presbyter & Diaconus. Cæteri in Minorum numero habebantur.

ASSERTIO PRIMA.

Clerici omnes tam majores quam minores ad initium uſque IV. ſæculi Pœnitentiæ publicæ obnoxii fuerunt ſine ullo diſcrimine.

PROBATUR 1. exemplo Natalii confeſſoris, qui, ut narrat Euſebius *lib.* 5. *hiſtor. cap. ult.* cum ab Hæreticis in epiſcopum eſſet creatus, & reſipiſcens ad pedes Zephirini epiſcopi Romani ſe ſe abjeciſſet, " Non ſolum Cleri, ſed etiam Laicorum veſtigiis advolutus, ... „ oſtenſis etiam vibicibus plagarum quas pro Chriſti confeſſione pertulerat, „ vix tandem ad communionem admiſſus eſt. " Quæ enim illa tanta difficultas fuit, ſi in more poſitum fuiſſet Epiſcopos ſtatim ſine ulla Pœnitentia ad communionem admittere?

PROBATUR 2. ex Cornelio ſummo pontifice *in epiſtola ad Fabium Antiochenum*, apud Euſebium *lib.* 6. *cap.* 43. Ibi enim de uno e duobus Epiſcopis, qui Novatiano manus impoſuerant, loquens, " Ex quibus Epiſcopis unus, inquit, non longe poſt peccatum flebiliter la- „ mentans, & aperte confeſſus, ad Eccleſiam revenit; quem, populo „ univerſo pro eo rogante, ut laicum in communionem recepimus. " Ergo Epiſcopi, Pœnitentium in morem, palam ac publice errorem ſuum fatebantur; & gratiæ loco id erat, ſi citra pœnas longiores communioni reſtituerentur.

PROBATUR 3. ex S. Cypriano paſſim.

Epiſt. 52. *ad Antonianum*, qui Novatianorum litteris male credulus, exiſtimabat Trophimum quemdam epiſcopum perſecutionis tempore lapſum ab eodem Cornelio pontifice eſſe, contra Eccleſiæ morem, ut epiſcopum ſuſceptum; " Frater noſter Cornelius, inquit, „ neceſſitati ſuccubuit; & quoniam cum Trophimo pars maxima ple- „ bis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo & ſatisfacien- „ te, & fraternitatem, quam nuper abſtraxerat, cum plena humilita- „ te & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in Eccle- „ ſiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrum nume- „ rus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt: qui omnes regreſſu- „ ri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent.

„ Tra-

„ Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito ſuſceptus eſt Tro-
„ phimus ; . . . ſic tamen . . . . . ut laicus communicet ; non , ſe-
„ cundum quod ad te malignorum litteræ pertulerant , quaſi locum
„ Sacerdotis uſurpet . “ Benignitas ergo & extraordinaria indulgentia fuit , quod illico ut laicus admiſſus ſit ad communionem Trophimus Epiſcopus ; nec ita admiſſus foret , niſi plebem univerſam quam in ruinam traxerat , ſecum reduxiſſet . Atqui nulla in eo indulgentia fingi poteſt , niſi Pœnitentiæ reus fuerit quæ ei condonata eſt. Ergo.

Epiſt. 59. *ad Fidum* de quodam Victore presbytero , qui thus etiam idolis adoleverat , ſic habet : “ Legimus litteras tuas , frater chariſſi-
„ me , quibus ſignificaſti de Victore quodam presbytero , quod ei ,
„ antequam Pęnitentiam plenam egiſſet & Domino Deo , in quem
„ deliquerat , ſatisfeciſſet , temere Therapius collega noſter immaturo
„ tempore & præpropera feſtinatione pacem dederit : quæ res nos ſa-
„ tis movit , receſſum eſſe a decreti noſtri auctoritate , ut ante legi-
„ timum & plenum tempus Satisfactionis , & ſine petitu & conſcientia
„ plebis, nulla infirmitate urgente ac neceſſitate cogente, pax ei concede-
„ retur. “ Objurgat ibi Therapium, quod Victori presbytero pacem dediſſet ante legitimam Pœnitentiam expletam , juxta decretum quod ea de re latum fuerat in Concilio, de quo *epiſt.* 54. Atqui objurgationi locus nullus extitiſſet, ſi Presbyteri ab omni Pœnitentiæ publicæ onere fuiſſent immunes. Ergo.

Epiſt. 68. *ad Clerum & plebes in Hiſpania conſiſtentes* , de Baſilide & Martiale , qui libellis idololatriæ commaculati , & nefandorum facinorum conſcientia vincti , epiſcopatum , e quo dejecti ob illa crimina fuerant , rurſus repetebant ; hanc eorum audaciam & proterviam improbat , “ Maxime , inquit , cum jam pridem nobiſcum , &
„ cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis , etiam
„ Cornelius collega noſter , . . . martyrio quoque dignatione Domini
„ honoratus , decreverit ejuſmodi homines ad Pęnitentiam quidem agendam poſſe admitti , ab ordinatione autem Cleri atque ſacerdotali
„ honore prohiberi. “ Hic nomine *Pœnitentiæ* intelligitur publica , ut omnes fatentur, & conſtat præterea ex verbis decreti , quod *epiſt.* 52. ſic refertur . “ Secundum quod ante fuerat deſtinatum , perſecutione
„ ſopita , cum data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epi-
„ ſcoporum numerus .... convenimus, & ſcripturis diu ex utraque par-
„ te prolatis, temperamentum ſalubri moderatione libravimus , ut nec
„ in totum ſpes communicationis & pacis denegaretur ; .... nec tamen
„ rurſus cenſura evangelica ſolveretur ; .... ſed traheretur diu Pęniten-
„ tia, & rogaretur dolenter paterna clementia : & .... etiam Romam
„ ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium collegam noſtrum , qui &
„ ipſe , cum plurimis coepiſcopis habito Concilio , in eandem nobi-
„ ſcum ſententiam conſenſit. “ Quod de Pęnitentia publica accipi oportere

ere nemo eſt qui dubitet. Atqui ad hanc eandem Pęnitentiam amandat Baſilidem & Martialem Epiſcopos. Ergo.

PROBATUR 4. ex hiſtoria quam habet Optatus *lib.* 1. Cum enim Donatiſtæ Cæcilianum, ex Archidiacono Carthaginienſi factum ejuſdem Eccleſiæ epiſcopum, inſimularent, quod a Felice traditore divinorum codicum ordinatus, nihil ab ipſo accipere potuiſſet, utpote juxta Eccleſiæ diſciplinam non amplius epiſcopo; ac Cæcilianus mandaſſet, ut ſe ipſi tanquam adhuc diaconum ordinarent: tunc Purpurius ex iis unus, furore ardens, " Exeat huc, inquit, quaſi imponatur illi ma- „ nus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de Pęnitentia " Quis autem non videt Purpurium alluſiſſe ad ritum Pęnitentiæ publicæ manus impoſitione concedi ſolitæ?

PROBATUR 5. ex concilio Neocæſar. *cap.* 1. " Presbyter, inquit, ſi uxorem duxerit, ab ordine ſuo deponi debet: quod ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit; extra Eccleſiam abjiciatur, ut Pœnitentiam inter laicos redactus agat.

PROBATUR 6. ex ſynodo Eliberitana pluribus in canonibus. *Can.* 19. " Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, ſi in miniſterio poſiti detecti „ fuerint quod ſint mœchati, placuit ... nec in fine eos accipere com- „ munionem: " *Can.* 76. " Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, „ & poſtea fuerit detectus in crimine mortis quod aliquando commi- „ ſerit; ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum, acta legitima Pęni- „ tentia, poſt triennium accipere communionem: Quod ſi alius eum „ detexerit, poſt quinquennium, acta Pęnitentia, accipere communio- „ nem laicam debere.

OBJICIES 1. Origenes ſic ait, juxta Albaſpinæum *obſerv.* 6. *ad Optatum*, "Si Pęnitentia Epiſcopis imponeretur, non eſſet Pęnitentia, ſed injuria.

RESPONDEO hanc ſententiam non eſſe Origenis; atque adeo aut erraſſe, aut deceptum eſſe Albaſpinæum.

OBJICIES 2. Petrus Alexandrinus *can.* 10. *tom.* 1. *Concil. Labbæi*, Clericis lapſis communionem concedit.

RESPONDEO communionem ibi concedi, non ex communi conſuetudine, ſed certa de cauſa, tanquam aliquod extra ordinem beneficium; eo quod Clerici illi certamen inſtauraſſent poſtea, & inſignem de perſecutoribus victoriam retuliſſent.

OBJICIES 3. Synodus Ancyrana an. 314. ut vulgo creditur, edicit *canon.* 1. & 2. ut qui Presbyteri ac Diaconi idolis ſacrificaverint, ii honoris quidem nomen retineant, ſed ſine ulla functione. Ergo tunc temporis Pęnitentię publicæ non erant obnoxii.

RESPONDEO ſynodum illam loqui de Presbyteris & Diaconis, qui poſt lapſum fidem chriſtianam fortiter confeſſi fuerant coram Tyrannis. Vocat eos ἀναπαλαίσαντας, ut & Petrus Alexandrinus.

OBJICIES 4. Miltiades in Concilio Romano, ut narrat Optatus

libro

libro 1. *ſub finem*, damnavit Donatum, " Quod confeſſus ſit ſe re-
„ baptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe; quod ab Eccleſia
„ alienum eſt. " Ergo ineunte ſæculo IV. quo Romanam Eccleſiam
regebat Miltiades, ab eccleſiaſtica conſuetudine alienum erat Epiſcopos
Pęnitentiæ publicæ addici.

Distinguo conſequens: alienum erat Epiſcopos Pęnitentię publicæ addici per impoſitionem manuum; eſto: ſecus; nego. Variæ ſunt de hoc Optati loco ſententiæ. Quidam enim illum interpretantur, non de Pęnitentia, ſed de impoſitione manuum, ut aiunt, ordinatoria: ita ut Donatus ſacram Ordinationem, ut Baptiſma, iteraverit. Alii cenſent ideo damnatum eſſe Donatum, quod erga probatæ vitæ Præſules id attentaſſet; non quod res ipſa fieri non poſſet. Denique plurimi arbitrantur majores Clericos ſubditos quidem fuiſſe Pęnitentiæ publicæ, ita ut eam & publice poſtularent, & obirent coram omnibus; ſed non eodem quo ceteri apparatu. Non ergo illi genuflectebant cum reliquis, nec crebra illa & ſolemni manus impoſitione per ſingulos conventus purgabantur, quod ex hoc Miltiadis decreto, & Optato *lib.* 2. & concilio Carthaginienſi ac Leone *infra laudandis*, & omnium aliorum ſilentio deducunt. Quod autem alludens ad ritum Pęnitentiæ publicæ imponendæ Purpurius *modo* dicebat, Cæciliano *quaſſandum eſſe caput de Pœnitentia*, aliud non evincit. Vel enim Purpurius id pronunciavit reſpiciens generatim ad morem in Pęnitentia uſitatum licet hic præciſe locum non haberet in Epiſcopis ac Sacerdotibus, nec non & Diaconis: vel id effutiit, quod vellet inſolita ignominia Cæcilianum affici: vel quod id aliquando, forte cum majora eſſent crimina, in Sacerdotes uſurparetur.

Objicies 5. Optatus idem *lib.* 2. Donatiſtas arguit, quod Pœnitentia publica oneraſſent Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos. " Ho-
„ nore, inquit, ſui nominis ſpoliati ſunt Sacerdotes. O impietas
„ inaudita! . . . . . Væ facientibus velamen, hoc eſt, imponentibus
„ manum ſuper omnem ætatem .... Multis notum eſt & probatum, per-
„ ſecutionis tempore Epiſcopos aliquos thurificaſſe; & tamen nullus
„ eorum qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua fige-
„ rent imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod a nullo fa-
„ ctum poſt thurificationem.

Distinguo antecedens: id vitio vertit Donatiſtis, quod Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos Pęnitentiæ ſubjeciſſent, nihil tale merentes, & ſine ullo diſcrimine; concedo: quod id præciſe feciſſent; iterum diſtinguo: quod id feciſſent, ritu inſolito & ignominioſo; concedo: ſecus; nego. Accuſat 1. Donatiſtas quod omnes Catholicos, tam Clericos, quam Laicos, Pœnitentia conſtrinxiſſent nulla habita diſtinctione: 2. quod id auſi eſſent etiam in Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos, quos majori reverentia proſequi oportebat: 3. quod impoſitioni manuum ſubmiſiſſent hos omnes qui ab hac labe alieni ſemper extiterant, etiam tempore perſecutionum.

AS-

ASSERTIO II.

Quarto ſæculo Clerici majores Pœnitentiæ publicæ onere levati ſunt.

PROBATUR 1. ex S. Baſilio *epiſt. ad Amphilochium can.* 3. in quo ſic ait : " Diaconus poſt diaconatum fornicatus, a diaconatu quidem „ ejicietur ; in Laicorum autem locum extruſus, a communione non „ arcebitur ; quoniam antiquus eſt canon, ut qui a gradu exciderunt, „ hoc ſolo punitionis modo puniantur ; primis ut exiſtimo legem il- „ lam ſecutis : *Non vindicabis bis in idipſum.* " Baſilius *antiquum* hunc canonem appellat, qui jam a quinquaginta circiter annis obtinebat. Adde *can.* 32. " Qui peccatum ad mortem, inquit, peccant Clerici, de gra- „ du quidem dejiciuntur, a Laicorum autem communione non arcentur: „ *Non enim vindicabis bis in idipſum.*

Secundo ex ſynodo Carthag. V. ann. 398. *cap.* 11. " Item confir- „ matum eſt, inquit, ut ſi quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua „ graviori culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit, „ removeri, non eis manus tanquam Pęnitentibus, vel tanquam fidelibus „ laicis imponatur.

Tertio ex Siricio *epiſt. 1. ad Himerium Taraconenſem, cap.* 14. " Illud quo- „ que nos, inquit, par fuit providere, ut ſicut Pęnitentiam agere cuiquam „ non conceditur Clericorum ; ita & poſt pęnitudinem nulli unquam Laico „ liceat honorem clericatus adipiſci.

Quarto ex Sancto Leone *epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem*, nunc 2. alias 92. ubi, " Alienum eſt, inquit, a conſuetudine Eccleſiaſtica, „ ut qui in presbyterali honore, aut in diaconi gradu fuerint conſe- „ crati, pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium „ accipiant pœnitendi : quod ſine dubio ex apoſtolica traditione de- „ ſcendit ; ſecundum quod ſcriptum eſt : *Sacerdos ſi peccaverit, quis* „ *orabit pro eo ?* unde hujuſmodi lapſis privata eſt expetenda ſeceſſio, „ ubi illis Satisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa. " *Traditionem Apoſtolicam* vocat antiquam Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem, juxta quod ait Hieronymus *epiſt.* 28. *ad Licinium* : " Unaquæque provincia „ abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum, leges apoſtolicas arbitre- „ tur. " Vel traditionis apoſtolicæ illud tantum pronuntiat, quod illis ma- „ nus non imponerentur.

Quinto ex Hieronymo *Epiſt.* 46. *ad Sabinianum Diaconum*, quem poſt admiſſum grave peccatum ſic alloquitur : " Hortatus ſum ut „ ageres Pœnitentiam, & in cilicio & cinere volutareris ; ut ſolitu- „ dinem peteres in monaſterio, ut Dei miſericordiam jugibus lacrymis „ implorares.

His adjice plurima Concilia.

Ilerdenſe anno 524. *can.* 1. ſic ſtatuit : " De his Clericis qui in „ ob-

„ obſeſſionis neceſſitate poſiti fuerint, id ſtatutum eſt, ut qui altario „ miniſtrant & Chriſti ſanguinem tradunt, ... ab omni humano ſangui- „ ne, etiam hoſtili abſtineant. Quod ſi in hoc inciderit, duobus annis „ tam officio quam communione priventur; ita ut his duobus annis, „ vigiliis, jejuniis, orationibus & eleemoſynis .... expientur, & ita de- „ mum officio, vel communioni reddantur; ea tamen ratione ſervata, ne „ ulterius ad officia potiora promoveantur. “ Ergo tunc Pęnitentia privata homicidium plectebatur in Clericis majoribus: de his enim agitur, cum inferiores Clerici altario nec miniſtrarent, nec ſanguinem Chriſti traderent.

Aurelianenſe III. anno 538. *can.* 7. “ De adulteriis honoratorum „ Clericorum id obſervandum eſt, ut ſi quis adulteraſſe aut confeſſus fuerit „ aut convictus, depoſitus ab officio, communione conceſſa, in monaſte- „ rio toto vitæ ſuæ tempore retrudatur.

Toletanum IV. ann. *633. can.* 45. “ Clerici qui in quacunque ſeditione ar- „ ma volentes ſumpſerint vel ſumpſerunt, reperti, amiſſo ordinis ſui gra- „ du in monaſterium Pęnitentiæ contradantur. “ Scilicet quæ olim publica Pęnitentia caſtigabantur, de illis ſæculo VII. ac deinceps Clericos privatim pœnitebat in monaſterio.

Adde etiam Iſidorum Hiſpalenſem, qui *libro* 2. *de officiis Eccleſiaſticis* ait, “ Pœnitentiæ remedio cunctos egere, honorum duntaxat „ dignitate ſervata; ita ut a Sacerdotibus & Levitis Deo tantum te- „ ſte fiat; a ceteris vero aſtante coram Deo ſolemniter Sacerdote: “ Et Rabanum *lib.* 2. *de inſtitutione Clericorum cap.* 29. qui verba ipſa Iſidori repetit.

Objicies 1. Felix III. circa annum 483. ſummus pontifex *epiſt.* 7. Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, qui ſe rebaptizari permiſerint, addicit Pœnitentiæ perpetuæ.

Distinguo antecedens, perpetuæ Pęnitentiæ, privatim aut in monaſterio agendæ; concedo: publice ac palam; nego. Non explicat quidem Felix ubinam agenda ſit ab his Pęnitentia; ſed id conſtat ex hujus ævi diſciplina. Deinde vero majores Clericos diſtinguit ac ſegregat a minoribus; minores autem conceptis verbis amandat ad varias Pęnitnetium in Eccleſia uſitatas ſtationes; quo ſatis arguit alios his ſtationibus non fuiſſe incluſos. Denique prohibet, ne Clerici majores iterati Baptiſmatis rei orent, vel cum Fidelibus, vel etiam cum Catechumenis: at decurrendo ſolemnes Pęnitentiæ gradus, cum Catechumenis oraſſent: ergo eos non decurrebant.

Objicies 2. Beda *de remediis peccatorum can.* 7. depoſitione multat Presbyterum qui uxorem duxerit, & Pęnitentiæ publicæ eum addicit, ſi adulterium perpetravit, & id in conſcientiam populi devenerit.

Respondeo hunc librum Bedæ eſſe ex veteribus canonibus conſarcinatum: iſtum vero eſſe canonem primum Concilii Neocæſarienſis

ineunte IV. ſæculo habiti, a nobis *ſupra* laudatum; quem juxta inolitam ævo ſuo conſuetudinem explicat de peccatis tantum publicis. Nos autem non negamus eo tempore majores Clericos ſubditos fuiſſe Pęnitentiæ publicæ.

Quæres quid de Clericis majoribus fieret, ſi poſtquam in ordine Laicorum fuiſſent redacti, in peccata Pęnitentiæ publicæ obnoxia prolaberentur.

Respondeo hoc in caſu addictos eos Pęnitentiæ publicæ: cum enim pro Laicis haberentur, exinde Laicorum ritu excipiebantur, ſi quid flagitii admiſiſſent.

ASSERTIO III.

Etſi Clericis majoribus his ſæculis non infligebatur Pęnitentia publica, iis tamen, ſi forte eam flagitarent, concedebatur.

Probatur ex Concilio Arauſicano I. ann. 441. *can.*4. ſanciente " Pœ-
" nitentiam desiderantibus Clericis non negandam. " Quod idem habet ſynodus Arelatenſis II. an. 457. *can.*29. Aurelianenſis I. an. 511. *can.*12.
" Si Diaconus, inquit, aut Presbyter pro reatu ſuo ſe ab altaris commu-
" nione sub Poenitentis professione submoverit; ſic quo-
" que ſi alii defuerint, & cauſa certæ neceſſitatis exoritur, poſcentem Ba-
" ptiſmum liceat baptizare.

Toletana XIII. *can.* 10. de Gaudentio Valerienſi epiſcopo loquens, eandem diſciplinam commonſtrat: " Frater noſter Gaudentius, Vale-
" rienſis ſedis epiſcopus, inquit, . . . congreſſus eſt noſtri reveren-
" tiam cœtus, inſinuans ſacro-ſancto ſynodali conventui, quod incom-
" modæ valetudinis nimietate præventus, per manus impoſitionem ſub-
" actus fuiſſet Pęnitentiæ legibus. Sed utrum, accepta Pęnitentia liceret
" ſibi. . . . ſui ordinis contrectare myſteria, ... per ſynodalis inſtitu-
" tionis ſe maluit certificari reſponſa . . . . Sancta Synodus definivit,
" ut reconciliatione præmiſſa, ſoliti ordinis retentet officia. Si enim re-
" gula præcedentium Patrum, eos qui Pęnitentiam in diſcrimine mortis
" accipiunt & nulla de ſe manifeſta ſcelera confitentur, ... ad eccleſiaſti-
" cos gradus pervenire permittunt; quanto magis ut hi, qui in ipſo
" Sacerdotio conſtituti Pęnitentiam accipiunt, a ſui ordinis officio retra-
" hantur? tantum ſi ſe ipſi mortalium criminum profeſſione propria non
" notarunt.

ASSERTIO IV.

Clerici minores ad VII. uſque ſæculum Pœnitentia publica plexi ſunt.

Probatur 1. de tribus prioribus ſæculis, ex iis quæ de majoribus Clericis *aſſert.*1. dicta ſunt.

Probatur 2. ex Felice III. *ſupra*. Illud enim minoribus Clericis præſcribit, ut ſi Baptiſmum ſuum iterari ſciverint, inter Pœnitentes, ad decurrendas ſolitas coram omni plebe ſtationes, relegentur: " Pueris au„tem, inquit, ... ſeu Clericis, ſive laicis, aut etiam puellis, quibus „ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiu ſub manus impoſitione deten„tis, reddenda communio eſt.

Probatur 3. ex Iſidoro Hiſpalenſi *lib. 2. de officiis eccleſiaſticis cap. 16.* ubi poſtquam dixiſſet, poſt unum baptiſma, a Deo aliud hominibus eſſe adverſus peccata remedium Pœnitentiæ conceſſum: " Honorum, „inquit, duntaxat dignitate ſervata; ita ut a Sacerdotibus & Levitis „Deo tantum teſte fiat, a ceteris vero aſtante coram Deo ſolemni„ter Sacerdote.

Nec dicas Siricium *ſupra* a Pœnitentiæ publicæ jugo eximere generatim Clericos qui ſacra vaſa contrectant; & Clericos omnes tam a pœnitendi lege, quam Laicos Pœnitentia functos ab omni ſacro ordine arcere

Respondeo enim id eſſe intelligendum de majoribus duntaxat Clericis, vel de peculiari tunc temporis Eccleſiæ Romanæ more, qui in poſterum ſit mutatus ævo Felicis III.

ASSERTIO V.

Septimo ſæculo omnes Clerici, tam majores quam minores, immunes fuerunt a Pœnitentia publica.

Probatur ex Concilio Toletano IV. *can. 29.* ubi id decernit de quolibet ex ordine Clericorum. " Si Epiſcopus aut Presbyter ſi„ve Diaconus aut quilibet ex ordine Clericorum magos .... conſule„re fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitus monaſterii pœ„nam excipiat, ibique perpetuæ Pœnitentiæ deditus ſcelus admiſſum ſa„crilegii luat.

An Hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus imponeretur Pœnitentia publica.

Duplicis generis Hæretici diſtingui hic poſſunt; aut qui in hæreſi nati ſint, vel antequam rationis compotes eſſent; in ea educati; aut qui ſua ſponte ab Eccleſia, in qua Baptiſmum ſunt conſecuti, in hæreſim deſciverint.

ASSERTIO I.

Utrique Hæretici prioribus Eccleſiæ ſæculis ad Pœnitentiam & Exomologeſim publicam adacti ſunt, antequam in Eccleſiæ gremium reciperentur.

Probatur, Quia per id ævi nulla exceptione facta ad agendam Pœnitentiam compelluntur.

Irenæus de Cerdone *lib.3.cap.4.* "Sæpe, inquit, in Eccleſiam veniens & „ Exomologeſim faciens ſic conſummavit, modo quidem latenter docens, „ modo vero Exomologeſim faciens, modo vero ab aliquibus traductus in „ his quæ docebat male, & abſtentus eſt religioſorum hominum (*græce* „ *apud Euſebium* fratrum) conventu.

Tertullianus *de præſcriptionibus adverſus Hæreticos cap.* 30. de Marcione & Valentino, "Conſtat illos, inquit, ... in catholicam primo doctri- „ nam credidiſſe apud Eccleſiam Romanenſem, donec .... ſemel & iterum „ ejecti, ... poſtmodum Marcion Pęnitentiam confeſſus cum conditioni da- „ tæ ſibi occurrit, ita pacem recepturus, ſi cæteros, quos perditioni eru- „ diſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præventus eſt.

Euſebius *lib.5. hiſt.cap.ult.* perhibet Natalium quemdam confeſſorem, de quo nuper, ab Hæreticis deceptum, vix ac ne vix quidem admiſſum eſſe ad communionem laicam, niſi multa impuliſſent ad eum non ita facile ſine Pœnitentia recipiendum.

Stephanus ſummus pontifex de omnibus omnino Hæreticis, ac præſertim iis qui in hæreſi baptizati fuerant, *apud Cyprianum epiſt.74.* "Si quis, in- „ quit, a quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod tra- „ ditum eſt, ut manus illi imponatur in Pœnitentiam.

Cyprianus diſciplinam hanc agnovit & ſecutus eſt, ſed quoad eos tantum qui a Catholicis ad Hæreticos defeciſſent, ceteros baptizandos ratus. Quod argumento eſt omnes, præter Cyprianum ejuſque aſſeclas, utriſque Pœnitentiam impoſuiſſe. En verba Cypriani *epiſt.* 70. de adverſariis ſuis: "Dicunt ſe in hoc veterem conſuetudinem ſequi." Tum ſubdit: "Quod nos quoque hodie obſervamus, ut quos conſtet „ hic baptizatos eſſe, & a nobis ad Hæreticos tranſiſſe, ... ſatis ſit „ in Pœnitentiam manum imponere: Si autem qui ab Hæreticis ve- „ nit, baptizatus in Eccleſia prius non fuit . . . baptizandus eſt &c." Quod idem ait Creſcens a Cirtha qui Cypriano adhærebat, *apud Auguſtinum lib.6. de Baptiſmo cap.15.* Unde idem Auguſtinus *lib.3.cap.11.* "Hoc ipſe „ Cyprianus, inquit, cum cæteris ſtatuit, ut ſi ab hæreſibus redirent ad „ Eccleſiam, quicunque fuerant in ea baptizati, non jam per Baptiſmum, „ ſed per Pœnitentiam reciperentur.

„ Synodus Eliberitana *can.* 22. "Si quis, inquit, de catholica Eccleſia ad „ hæreſim tranſitum fecerit, rurſuſque recurrerit; placuit huic Pœniten- „ tiam non eſſe denegandam, eo quod cognoverit peccatum ſuum; qui „ etiam decem annis agat Pœnitentiam; cui poſt decem annos præſtari „ communio debet.

AS-

ASSERTIO II.

Quarto ſæculo & ſequentibus eadem diſciplina perſeveravit vulgo adverſus eos qui in Eccleſia baptizati ſponte hæreſim ſuſcepiſſent.

PROBATUR.

Innocentius I. *epiſt.* 4. " Noſtræ lex eſt Eccleſiæ, inquit, venienti-
" bus ab Hæreticis, qui tamen illic baptizati ſint, per manus impo-
" ſitionem, laicam tantum tribuere communionem; nec ex his ali-
" quem in clericatus honorem vel exiguum ſubrogare. At vero hi . .
" qui a catholica fide ad hæreſim tranſierunt, ... non aliter niſi
" per Pœnitentiam ſuſcipi . . . Si quis de catholica ad hæreſim tran-
" ſiens redire voluerit, ... commiſſum non niſi longa Pœnitentia poterit
" aboleri.

Synodus Agatenſis *can.* 60. idcirco pronuntiat, " Grandem redeundi diffi-
" cultatem (erga hujuſmodi Hæreticos) ſanxiſſe antiquos Patres: " quod repetit Toletana XVII. *can.* 13.

Concilium Aurelianenſe IV. *can.* 8. " Qui poſt Baptiſmi ſacramentum ad hæreſis lapſum, carne ſuadente, diſcedunt, & reatum
" agnoſcentes ad unitatem fidei catholicæ venire deſiderant, in Epi-
" ſcoporum poteſtate conſiſtant, cum eos viderint dignam Pœniten-
" tiam agere, quando vel qualiter communioni priſtinæ reformen-
" tur.

Vulgo autem dixi, quia aliquando aliter actum eſt gravibus de cauſis, ab Athanaſio cum Arianis, Cyrillo cum Neſtorianis, &c. quod Eccleſiaſtica hiſtoria docet.

ASSERTIO III.

Hæretici qui intra Eccleſiam erant baptizati, citra Pœnitentiam hanc admittebantur.

PROBATUR.

Synodus Laodicena *can.* 7. ſancit, " Novatianos, Photinianos, Teſ-
" ſaradecatitas fidei ſymbola diſcentes, & ſancto chriſmate inunctos, ſan-
" ctis myſteriis communicare.

Synodus Conſtantinopolitana, quæ ſecunda eſt generalis, eoſdem & alios ſuſcipit, " Dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathemati-
" zantes quæ non ſentit ut ſancta Dei catholica & apoſtolica Eccleſia. " Ita habet *can.* 7.

Joannes Climacus *ſchalæ ſuæ gradu* 15. " Vir quidam, inquit, ſcien-
" tiſſimus problema terribile quæſivit ex nobis, Quod, inquiens, pec-
" catum omnibus gravius eſt, homicidio Chriſtique abnegatione ex-
" ceptis? Cumque illi reſpondiſſem, In hæreſim labi. Et quoniam,
" inquit, modo catholica Eccleſia Hæreticos quidem, cum hæreſim

„ priorem toto animo repudiaverint atque anathematizaverint, ſuſci-
„ pit ad ſanctorum myſteriorum communionem, & ut idoneos admit-
„ tit; eum vero qui in fornicationem lapſus fuerit, confitentem, atque
„ peccatum ipſum omnino deſerentem, introrſus ſuſcipiens, per annos
„ aliquot eum a venerandis immaculatiſque myſteriis ex traditione apoſto-
„ lica ſeparare permittit?

ASSERTIO IV.

Hæc diſciplinæ varietas ex varia horum criminum gravitate profluxit.

PROBATUR ex Auguſtino, qui *lib. 2. contra Creſconium, cap. 16.* hoc breviter ac nitide exponit. " Faciliore autem venia, quod nondum habuerunt, inquit, accipiunt, quam ſi habuiſſent, & tamen deſeruiſſent. Et hoc diſcernitur apud nos, ut aliter recipiantur qui Catholicam reliquerunt, aliter qui ad illam primitus veniunt. Illos enim amplius gravat crimen deſertionis; hos autem non a ſe diruptum, ſed cognitum & retentum vinculum relevat unitatis.

Hæc ſtrictim de iſto capite ac recipiendorum Hæreticorum: de qua alias fuſius.

SECTIO IV.

De Proprietatibus Pœnitentiæ publicæ.

An iteraretur Pœnitentia publica.

ASSERTIO I.

Publica Pœnitentia non iterabatur.

PAOBATUR 1. teſtimonio Hermæ *in libro 2. Paſtoris, mandato 4.* ubi diſputat, an vir admittere debeat uxorem adulteram, acta Pœnitentia: " Imo, inquit, ſi non receperit eam vir ſuus, peccat, & magnum peccatum ſibi admittit. Sed debet recipere peccatricem, quæ Pœnitentiam egit, ſed non ſæpe. Servis enim Dei POENITENTIA UNA EST ..... & ideo dico quod poſt vocationem illam magnam & ſanctam (nempe Baptiſmum,) ſi quis tentatus fuerit a diabolo & peccaverit, UNAM POENITENTIAM habet, ſi autem ſubinde peccet, & Pœnitentiam agit, non proderit homini talia agenti; difficile enim vivet Deo. Quam in rem vide Cotelerium *in notis*.

PROBATUR 2. ex Tertulliano *de Pœnitentia cap. 7.* " Piget, inquit, ſecundæ, IMO JAM ULTIMÆ, ſpei ſubtexere mentionem; ne retractantes de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi de-

„ mon-

„ monſtrare videamur. Igitur venena ejus (Diaboli) providens Deus, „ clauſa licet ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid „ adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo Pœnitentiam ſecundam, „ quæ pulſantibus patefaciat; SED JAM SEMEL, quia jam ſecundo; „ SED AMPLIUS NUNQUAM, quia proxime fruſtra .... Hujus igitur „ Pœnitentiæ ſecundæ & UNIUS quanto in arcto negotium eſt, tanto „ operoſior probatio eſt.

PROBATUR 3. ex Clemente Alexandrino *lib.* 2. *Stromat. circa medium:* " Dedit ergo (Deus) inquit, cum ſit multæ miſericordiæ, etiam iis qui fide ſuſcepta in peccatum incidunt, Pœnitentiam ſecundam; „ quam ſi quis poſt vocationem (Baptiſmum ſcilicet,) tentatus ...& „ circumventus fuerit, unam adhuc Pœnitentiam ALTERIUS POENITENTIÆ NESCIAM accipiat (μίαν ἔτι μετανοίαν ἀμετανόητον) &c.

PROBATUR 4. ex S. Paciano *adverſus Sempronianum:* " Attende, „ inquit, quod ad Petrum dicat inferius: id quod peccatur in hominem „ ſeptuagies ſepties eſſe relaxandum; ut oſtendat alias vel ſemel poſſe. „ Conceditur ergo vel ſemel Eccleſiæ, quod nobis ipſis toties imperatur.

PROBATUR 5. ex S. Ambroſio *cap.* 10. *de Pœnitentia*. " Merito reprehenduntur, inquit, qui ſæpius agendam Pœnitentiam putant, quia „ luxuriantur in Chriſto. Nam ſi vere agerent Pœnitentiam, iterandam „ poſtea non putarent: quia SICUT UNUM BAPTISMA, ITA UNA POENITENTIA, quæ tamen publice agitur. Non quotidiani nos debet „ pœnitere delicti, ſed hæc delictorum leviorum eſt, illa graviorum

PROBATUR 6. ex Siricio *epiſt.* 1. *cap.* 5. de his enim loquens, qui acta Pœnitentia tanquam canes ad vomitus redeunt, ſic pronuntiat: " De quibus, quia SUFFUGIUM NON HABENT POENITENDI, id diximus „ decernendum ut &c.

PROBATUR 7. ex Auguſtino *epiſt. ad Macedonium*, olim 54. nunc 153. in qua ſtatuit caute ſalubriterque proviſum eſſe, ut locus illius humillimæ Pœnitentiæ SEMEL in Eccleſia concederetur; ne medicina vilis, minus utilis eſſet ægrotis; quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit.

Adjunge auctorem conſtitutionum apoſtolicarum *lib.* 2. *cap.* 43.; Origenem *tom.* 10. *in Joan. pag.* 165. *&* *tom.* 24. *pag.* 345. *editionis Huetianæ*; Hieronymum *in comment. ad Habacuc cap.* 3. Synodum Eliberitanam *can.* 3. *&* 7. Toletanam tertiam *can.* 11. *&* Hugonem a S. Victore *lib.* 1. *de Sacramentis cap.* 24. Gratianum *in decreto diſt.* 50. *can.* 61. *&* 62. Lombardum *lib.* 4. *ſententiarum*, *diſt.* 14. Alenſem *parte* 4. *quæſt.* 14. *membro* 6. *art.* 2. S. Thomam *in* 4. *diſt.* 14. *art.* 5. Bonaventuram *in* 4. *diſt.* 14. *parte* 2. Ricardum *in* 4. *diſt.* 14. *art.* 11. Durandum *ibid. quæſt.* 4. & Bielem *ad eandem diſt. ſub finem.* E recentioribus adde Albaſpinæum *obſervat. lib.* 2. *cap.* 5. Petavium *in animadverſ. ad Epiphanium hæreſi* 59. Morinum *lib.* 5. *cap.* 20. Natalem Alexandrum

ad ſecul. tertium pag. 425. Illuſtriſſimum Pontiopoleos epiſcopum *contra adverſarios ſuos quæſt.* 24. Jueninum &c.

Objicies 1. Origenes *hom.* 15. *in cap.* 25. *Levit.* " In gravioribus, „ inquit, criminibus ſemel tantum vel raro Pœnitentiæ conceditur „ locus. Iſta vero communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper Pœni- „ tentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur. " Ergo ſæpius aliquando iterabatur Pœnitentia publica.

Respondeo has voces, *vel raro* eſſe perperam in Origenis contextum intruſas. 1. quippe non conveniunt cum Origenis propoſito: explicabat enim ibi venditarum domuum, quæ antiqua lege licita erat, redemptionem. Hoc autem diſcrimen erat ruſticas inter & urbanas domos, quod hæ ſemel tantum, illæ ſæpius redimi poſſent: comparat autem peccata graviora cum domibus urbanis, & leviora cum ruſticis. Quare Origenis ſcopus omnino poſtulat ut peccata graviora ſemel tantum Pœnitentia publica redimi poſſent. 2. Hunc Origenis locum ſine ſuppoſititiis illis vocabulis refert Magiſter ſententiarum *diſtintione* 14. 3. denique, extat in minore noſtra bibliotheca vetuſtum exemplar Origenis, a quo hæc abſunt.

Objicies 2. Irenæus *lib.* 3. *cap.* 4. *ſupra*, & Euſebius *lib.* 4. *hiſt. cap.* 11. de Cerdone teſtantur, ut & Tertullianus de Valentino & Marcione, quod ſæpe ad Pœnitentiam admiſſi ſint.

Respondeo 1. nonnullos exiſtimare nullis Hæreticis, cum ad Eccleſiam reverterentur, impoſitam eſſe Pęnitentiam publicam: quod ſi ita eſſet, nihil inſolens foret quod ſemel & iterum admiſſi fuiſſent Cerdo, Marcion & Valentinus: 2. ut id minus probabile ſit, non ita auſteram forte II. ſæculo, quo illi vivebant, Romanam Eccleſiam extitiſſe, cum nondum plane conſtituta eſſet Pœnitentiæ diſciplina: in iis autem quæ ſpectant ad diſciplinam variari poſſe: 3. ſpem majoris boni in cauſa identidem fuiſſe, cur antiquus laxaretur rigor; ſic, quemadmodum *ſuperiori ſeſſione*, obſervavimus, benignius actum eſt cum Trophimo, quod plebem quam abſtraxerat, ſecum reduceret. Idem ab hæreſeon ducibus expectabatur: hinc major illa facilitas in Pęnitentia iterum ac tertio concedenda.

Objicies 3. Chryſoſtomus ab iteranda Pœnitentia publica alienus non fuit; imo & hanc ob cauſam in invidiam vocatus eſt. Sic enim Socrates *lib.* 6. *cap.* 19. de illo: " Cum a ſynodo Epiſcoporum ſemel „ duntaxat iis qui poſt Baptiſmum peccaſſent conceſſa fuiſſet Pœniten- „ tia, ipſe pronuntiare non dubitavit: Licet millies Pœnitentiam „ egeris, accede. " Ob quam doctrinam tum a familiaribus ſuis re- „ prehenſus eſt, tum etiam a Siſinnio Novatianorum Epiſcopo. " Et vero inter varia accuſationis adverſus Chryſoſtomum capita, hoc eſt *in Photii bibliotheca* ſextum, " Quod aditum aperiat peccatoribus, dicens: Si „ itèrum pecces, iterum Pœnitentiam facito; &, Quoties peccaveris, ac- „ cede ad me, & ego te curabo.

Res-

Respondeo 1. nobis officere non poſſe Chryſoſtomum, ſi quid a cæteris diverſum ſcripſerit; nec Eccleſiam Conſtantinopolitanam, ſi quid poſt abrogatum Pœnitentiarium in priſco Pœnitentiæ ordine novaverit. De communi enim ac pervulgata Eccleſiarum diſciplina loquimur, non omnium, ſi quæ ſit, quæ ab aliarum moribus abſceſſerit. 2. Id videri ab adverſariis ad invidiam conflandam confictum; idque ex quibuſdam fortaſſe verbis Chryſoſtomi ad Pœnitentiam generatim adhortantis. 3. Ex hac ipſa hiſtoria manifeſte conſtat, Pœnitentiam publicam non ſæpe iterari. Quandoquidem ſemel eam eſſe concedendam Synodus *ibidem* memorata decreverat; nec vero fuiſſet calumniæ locus, ſi non aliud dixiſſe Chryſoſtomus fingeretur, aliud Eccleſia uſurpaſſe: ex contraria enim Eccleſiæ conſuetudine accuſatio deprompta eſt. Vide Valeſium *in notis*.

Objicies ultimo. Sanctus Thomas 3. *par. quæſt.* 84. *art.* 10. accenſet Hæreticis eos, qui affirmarent Pœnitentiam iterari non poſſe. Ergo.

Distinguo antecedens: Pœnitentiam in univerſum; concedo: Pœnitentiam publicam; nego. Quocirca indubitatum eſt Pœnitentiam publicam vulgo ſemel duntaxat eſſe uſurpatam; in eoque paſſim ſcriptores conſentiunt.

Sed utrum poſt actam hanc Pœnitentiam, ſi quis in gravia crimina iterum prolaberetur, ei privata Pœnitentia & venia ſubveniretur, quæſtio eſt non mediocris: id fieri conſueviſſe, ſaltem in ipſo mortis puncto, affirmantibus nonnullis; id autem negantibus Albaſpinæo, Petavio, Morino cum aliis pluribus.

ASSERTIO II.

Qui poſt actam ſemel palam ac publice Pœnitentiam in eadem ſcelera relaberentur, iis nec ulla privata Pœnitentia deinceps, nec ulla pleriſque in Eccleſiis venia, ac ne in ipſo quidem mortis articulo, conceſſa fuiſſe videtur.

Probatur 1. ex dictis illorum Patrum quos modo laudavimus.

Primo enim Hermas hancce Pœnitentiam ſic ait eſſe unam, ut non obſcure alteram excludat.

Secundo Tertullianus non ſolum pronuntiat eam ſemel fuiſſe uſurpatam, & id ſatis eſſe; ſed etiam rationes affert, cur aliter id fieri non oporteret: 1. eſt illius, qui poſt exhauſtos Pœnitentiæ labores iterum peccat, contumacia & obſtinatio: 2. quæ in eodem apparet, divini timoris extinctio: 3. ingrati animi labes: 4. injurioſiſſimus contemptus Dei, qui Diabolo, poſt factum utriuſque periculum, turpiter poſtponitur; quas apud eum hujuſce moris cauſas legiſſe operæ pretium fuerit. Hæ autem cauſæ ſi Pœnitentiam luctuoſam ac pudibundam excludunt, multo magis privatam ac leviorem.

Tertio

Tertio Clemens Alexandrinus non tantum ait, Pœnitentiam hanc alterius Pœnitentiæ fuiſſe neſciam; ſed etiam cur ita fieret aperit: "
„ Voluntarie enim peccantibus nobis, ... inquit, non amplius relin-
„ quitur pro peccatis hoſtia .... Continuæ autem & ſeſe invicem ex-
„ cipientes propter peccata Pœnitentiæ nihil differunt ab iis, qui om-
„ nino non crediderunt ..... Apparentia igitur eſt Pœnitentiæ, non
„ Pœnitentia, veniam ſæpius petere eorum quæ ſæpe peccavimus. "
Cum ita de relapſis exiſtimaret Eccleſia, an iis & Pœnitentiæ ſacramentum & veniam conceſſit?

Quarto Origenes eodem modo, quo Hermas & Clemens, loquitur; & *hom.* 15. *in Levit.* in hoc opponit peccata graviora levioribus, quod leviora ſæpe, graviora vero ſemel tantum redimi poſſent.

Quinto Synodus Eliberitana *can.* 3. " Si poſt Pęnitentiam, inquit,
„ fuerint mœchati, placuit ulterius eis non eſſe dandam communio-
„ nem, ne luſiſſe de dominica communione videantur. " *Can.* autem
„ 7. " Si quis forte fidelis poſt lapſum mœchiæ, poſt tempora conſti-
„ tuta acta Pœnitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fi-
„ ne habere communionem.

Sexto rem adhuc certius & evidentius conficit Auguſtinus *epiſt.* 153. Nempe Macedonius magiſtratu aliquo ornatus in Africa ab ipſo quæſiverat cur Epiſcopi pro reis apud judices ſemper intercederent, & pro iiſdem ſemel & iterum, cum Eccleſia hujuſmodi hominibus unam duntaxat Pœnitentiam largiretur. " Nam, inquit *epiſtola* 152. ſi a Domi-
„ no peccata adeo prohibentur, ut NE POENITENDI QUIDEM CO-
„ PIA POST PRIMAM POENITENTIAM TRIBUATUR, quemadmo-
„ dum nos poſſumus ex religione contendere, ut nobis, qualecunque
„ illud crimen fuerit, dimittatur?. " Reſpondet Auguſtinus in hunc modum: " In tantum autem hominum aliquando iniquitas progredi-
„ tur, ut etiam poſt actam Pęnitentiam, ... vel ſimilia, vel gravio-
„ ra committant: & tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem
„ ſuum, nec minus tribuit quam ante tribuebat largiſſima munera vi-
„ tæ & ſalutis, & quamvis eis in Eccleſia LOCUS HUMILLIMÆ POE-
„ NITENTIÆ NON CONCEDATUR, Deus tamen ſuper eos ſuæ pa-
„ tientiæ non obliviſcitur. Ex quorum numero ſi quis nobis dicat:
„ Aut date mihi eundem iterum pœnitendi locum; aut deſperatum me
„ permittite, ut quidquid libuerit faciam; ... aut dicite mihi utrum
„ aliquid proſit ad vitam futuram .... ſi me pęnitendo vehementius
„ quam prius excruciavero, ... ſi flevero uberius, ... ſi pauperes ſu-
„ ſtentavero largius: ... Quis noſtrum ita deſipit ut huic homini,
„ dicat: Nihil tibi iſta proderunt in poſterum? .... Quamvis ergo
„ caute & ſalubriter proviſum ſit, UT LOCUS ILLIUS HUMILLIMÆ POE-
„ NITENTIÆ SEMEL IN ECCLESIA CONCEDATUR, ne medicina vi-
„ lis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubri eſt, quanto
„ minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere Deo; Quare
„ huic

„ huic homini, qui poſt primam Pœnitentiam rurſus ſe laqueis ini-
„ quitatis obſtringit, adhuc iterum parcis? ... Cum igitur ſuper pec-
„ catores tanta ſit patientia, tanta miſericordia divina, ut in hac tem-
„ porali vita moribus emendatis, non damnentur in æternum, .. qua-
„ les nos eſſe oportet homines erga homines? &c. " Hæc autem tum Macedonii interrogatio, tum reſponſio Auguſtini manifeſte indicant, nullum tunc temporis in Eccleſia locum, ſive alteri Pœnitentiæ, ſive veniæ, poſt actam ſemel Pœnitentiam ſuperfuiſſe. 1. enim ſi expleta ſemel Pœnitentia, eorumdem aut ſimilium poſtea peccatorum ſecunda Pœnitentia expiandorum poteſtas in Eccleſia facta eſſet; non fuiſſet cur adeo miraretur Macedonius, cur id Auguſtino objiceret, quod nimirum pro reis indefeſſe judicibus ſupplicarent Epiſcopi, cum ipſi ſemel veniam concederent: nullum enim extitiſſet aut quæſtioni aut difficultati fundamentum. 2. Auguſtinus ſaltem obviam & facilem ad manum habuiſſet reſponſionem, Eccleſiam ſcilicet Pœnitentiæ quidem publicæ iterandæ facultatem non dare, ſed aliam non negare privatam, ac deinde veniam impertiri; nihil ergo mirum eſſe ſi pro relapſis ſe apud judices interponeret. Atqui hanc reſponſionem non adhibet Auguſtinus; imo aperte confitetur in Eccleſia nihil ejuſmodi certis de cauſis (ne v. g. medicina vilis minus utilis foret,) eſſe uſitatum; nec ad Eccleſiæ conſuetudinem recurrit; ſed ad eximiam benignitatem Dei, qui ſuper hos conſceleratos homines, etiam poſt iterata flagitia, ſolem ſuum facit oriri, eoſque patientia ſua ad Pœnitentiam adducit. In eo denique totus eſt ut oſtendat Epiſcopos qui magiſtratus adibant indeſinenter, non in exemplum ſibi proponere Eccleſiæ uſum, ſed Dei miſericordiam. Ergo reipſa tunc Eccleſia nihil amplius his in crimina relapſis indulgebat. Et vero *ibidem* Auguſtinus inducit ex his relapſis unum, qui hujus Eccleſiæ ſeveritatis conſcius, ita Epiſcopos compellat: " Aut date mihi eundem iterum pœnitendi locum, aut deſpera-
„ tum me permittite; ... aut .... dicite utrum mihi aliquid proſit
„ ad vitam futuram ſi me, pœnitendo, vehementius .... excruciave-
„ ro. " Hoc autem arguit, poſt actam ſemel Pœnitentiam, nullum fuiſſe in Eccleſia ſubſidium, nullum ab ea auxilium fuiſſe expectandum; quandoquidem deſperandum erat, aut ad Dei ſolius benignitatem confugiendum. Quid autem Auguſtinus ad hæc? An hunc hominem anxium ad Eccleſiam vocat? Nequaquam: imo uni Deo permittit. Ergo.

Septimo denique, Concilium Toletanum III. an. 589. *can.* 11. " Quo-
„ niam comperimus, inquit, per quaſdam Hiſpaniarum eccleſias, non
„ ſecundum canonem, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere Pœ-
„ nitentiam, ut quoties peccare libuerit toties a Presbytero ſe recon-
„ ciliari expoſtulent; ... ideo, pro coercenda tam execrabili præſumptio-
„ ne, id a ſancto concilio jubetur, ut ſecundum formam canonum an-
„ tiquorum dentur Pœnitentiæ, hoc eſt, ut prius eum quem ſui pœ-
„ nitet facti, communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos Pœnitentes

„ ad

„ ad manus impoſitionem crebro recurrere ; expleto autem Satisfactio-
„ nis tempore, ſicuti ſacerdotalis contemplatio probaverit, communio-
„ ni reſtituat. Hi vero qui ad priora vitia relabuntur, ſecundum prio-
„ rum canonum ſeveritatem damnentur.

PROBATUR 2. variis rationibus : atque ut eas prætermittamus quas ex Tertulliano *ſupra* adduximus,

Prima eſt ea quam affert Auguſtinus, “ Ne videlicet medicina vilis
„ minus utilis eſſet ægrotis. “ Longe enim vilior facta eſſet, ſi privata Pęnitentia publicam ſuppleviſſet.

Secunda eſt ea qua utitur Petavius. “ Si enim, inquit, ad commu-
„ nionem pacemque reverti alterius ac privatæ (Pœnitentiæ) benefi-
„ cio potuerint (in eadem crimina iterum prolapſi,) nonne melior il-
„ lorum quam ceterorum conditio fuit, quibus ſine publica Pęnitentia
„ reditus ad Eccleſiam non patuit? Atqui nemo tam vecors erit, qui
„ humanius cum illis actum putet qui in eadem ſæpius incurriſſent,
„ & quidem horrenda flagitia, quam cum iis qui ſemel ea commiſiſ-
„ ſent; quod ex illa opinione (aliter ſentientium) conſequitur. Ergo.

Plura in eandem ſententiam ſuppeditabunt Petavius idem, Morinus & Albaſpinæus.

QUÆRES quando mos iſte deſierit, & ſecunda Pęnitentia relapſis permiſſa.

RESPONDEO id videri contigiſſe poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum. Capitularium enim *lib.* 5. *cap.* 72. ſic ſtatuitur : “ Hi qui fre-
„ quenti prævaricatione peccant vel Pęnitentiam iterant, frequenti ſen-
„ tentia, niſi per ſatisfactionem quæ prævaricati ſunt emendare nitan-
„ tur, coerceantur, vel condemnentur, ut hæc quæ voluntarie non di-
„ luerunt, inviti emendent. Quod ſi aliquis renuerit, & præceptis ſui
„ Sacerdotis inobediens apparuerit ; ſecundum modum culpæ, excom-
„ municetur. “ Itaque non ſolum ſecunda Pęnitentia relapſis permittebatur, ſed & ad illam obeundam cogebantur ſi eam recuſarent. Hincmarus quoque *in Capitulis ſuis* anni 874. *cap.* 10. cui titulus, *de relapſis poſt Pænitentiam publicam*, ita Presbyteros ſuos alloquitur : “ Sol-
„ licite providete, ut ſi aliqui poſt reconciliationem publicam in pu-
„ blicum peccatum ceciderint, ad notitiam meam perferatis, ut ſciatis
„ qualiter .... agere debeatis.

ASSERTIO III.

IISDEM videtur Romæ, ac forte etiam alibi, venia ſacraque corporis Chriſti communio in extremo ſpiritu indulta.

PROBATUR ex Siricio ſummo pontifice *epiſt.* 1. *cap.* 5. *ad Himerium Tarraconenſem epiſcopum*, qui ipſum conſuluerat ſuper iis, “ Qui acta
„ Pęnitentia, tanquam canes ac ſues, ad vomitus priſtinos, & ad vo-
„ lutabra redeuntes, & militiæ cingulum & ludicras voluptates & no-

„ va

„ va conjugia & inhibitos denuó appetiverant concubitus, quorum „ profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderant. “ Ita vero reſpondet Siricius: “ De quibus, quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra eccleſiam fidelibus oratione jungantur; ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint; a dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam & circa mulieres quæ ſeſe poſt Pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.

An Pœnitentia publica etiamnum imponi poſſit, aut debeat.

Ut qua decet cautione quæſtionem hanc tractemus, obſervandum.

1. Pœnitentiam publicam hic a nobis appellari eam quæ palam & publice obitur, quolibet tandem ritu id fiat. Neque enim hoc nomine intelligi volumus illam omnem variarum Pœnitentiæ ſtationum veterem pompam, quam *ſupra* depinximus; nec de priſtino illo apparatu in uſum revocando cogitamus.

2. Cum Pœnitentia publica olim indicta ſit tam occultis quam publicis peccatis; de publicis hic eſſe tantum controverſiam, non de occultis. Diu enim eſt ex quo mos ille, de peccatis arcanis Pœnitentiam agendi, in Eccleſia obſolvit.

Ut tamen quid de utroque genere ſentiamus perſpicuum ſit, qua ratione ſingula curanda ſint breviter declarabimus.

ASSERTIO PRIMA.

Cum quis palam ita peccavit, ut ceteris offenſioni fuerit, eum publica Pœnitentia caſtigare non tantum hoc etiam ævo licet, ſed, & generatim loquendo, expedit ac neceſſe eſt, modo prudenter id fiat.

Probatur 1. ex illo Pauli 1. Tim. 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant:* quod in omnia deinceps tempora dictum ſine dubio fuit.

Probatur 2. ex Patribus ad VII. uſque ſæculum. Cum enim omnibus peccatis canonicis Pœnitentiam publicam decernunt, ex communi Eccleſiæ lege ac conſuetudine; tum ſpeciatim publicis, ex peculiari eorum conditione, & reſarciendæ offenſionis neceſſitate, v. g. Auguſtinus *ſerm.* 351. “ Si peccatum ejus, inquit, non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, ... in

„ no-

„ notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam non
„ recuſet, non reſiſtat: non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat
„ tumorem.

Cæſarius Arelatenſis *hom.* 8. " Qui cum multorum deſtructione ſe perdidit,
„ cum multorum ædificatione ſe redimat.

Idem ſtatuit Eligius, qui & *homilia 16.* " Duos præterea alloqui-
„ mur, inquit, quos publica actio criminalis publicam coegit agere
„ Pœnitentiam.

Probatur 3. ex Patribus ac Conciliis omnibus a VII. ſæculo ad XII. Etſi enim multum ſeſe remiſerat vetus Eccleſiæ diſciplina quoad Pœnitentiam publicam, ea tamen inviolata permanſit cum flagitia publica erant: horumque ſcelerum rei ad ſatisfaciendum Eccleſiæ, non ſolum Epiſcoporum decretis, ſed etiam, ſi contumaces eſſent, Principum auctoritate his in caſibus adigebantur.

Concilium Cabilonenſe II. anno 813. celebratum, *can.* 25. ſic edicit: " Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum conſtitutionem in
„ pleriſque locis ab uſu receſſit; & neque excommunicandi, neque re-
„ conciliandi antiqui moris ordo ſervatur; ut a domino Imperatore impe-
„ tretur adjutorium, qualiter ſi quis publice peccat, publica multetur Pœ-
„ nitentia; & ſecundum ordinem canonum pro merito ſuo excommunice-
„ tur & reconcilietur.

Capitularium *lib.* 5. *cap.* 149. " Quicunque propria uxore dereli-
„ cta, vel ſine culpa interfecta, aliam duxerit; armis depoſitis pu-
„ blicam habeat Pœnitentiam. Et ſi contumax fuerit, comprehendatur
„ a Comite .... & in cuſtodiam mittatur, donec res ad noſtram
„ notitiam deducatur.

Can. 3. Concilii Triburienſis ann. 895. habiti, refertur lex Arnulphi Imperatoris, quæ ſimilia fere decernit, " Præcipimus, & auctoritate
„ noſtra injungimus omnibus regni noſtri Comitibus, poſtquam ab
„ Epiſcopis anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad
„ pœnitendum non inclinantur, ut ab ipſis comprehendantur, & an-
„ te nos perferantur; ut qui divina judicia non verentur, humana ſen-
„ tentia feriantur.

Concilium Romanum ſub Joanne IX. ann. 904. *can. ultimo*, " Ha-
„ beant Epiſcopi, inquit, ... in ſua diœceſi liberam poteſtatem
„ adulteria & ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare ſecundum quod
„ canones cenſuerunt, abſque impedimento alicujus, & cum opus
„ fuerit, ad comprimendos rebelles & contemptores publicum placitum
„ convocent.

Qui plura voluerit adeat Morinum, *lib.* 7. *cap.* 4. 5. *&c.*

Probatur 4. antiquis omnium fere eccleſiarum ritualibus libris, ſive in lucem editis, ſive manuſcriptis. In his enim impreſſa adhuc hærent hujus moris veſtigia. Quotuſquiſque enim eſt in quo ad initium Quadrageſimæ non ſit aliquod peculiare caput de Pœnitentiæ ſolemnis imponendæ modo,

modo, & ad Feriam quintam majoris hebdomadæ in cœna Domini, de eorumdem reconciliatione?

Probatur 5. teſtimoniis ac judicio majorum noſtrorum ab ipſis Theologiæ incunabulis ad exortas uſque ultimas hæreſes. Lombardus enim *in* 4. *diſtinct*: 14. teſtatur, hunc Pœnitentiæ publicum uſum ætate ſua adhuc perſeveraſſe: Gratianus quoque *diſtinct*. 50. Alenſis, ubi publica ſunt crimina, ait quod id convenit & juſtitia requirit: Sanctus Thomas *ſupra* pluribus momentis id eſſe faciendum probat: Bonaventura, Ricardus & Biel aſſerunt id fieri poſſe; Durandus, etiam debere: quibus accedunt Paludanus *in* 4. *diſt*. 14. *q*. 16. Argentinenſis *ibid. art*. 3. & Antoninus 3. *par.tit*. 14. *cap*. 17. *ſect*. 6. Medina *tract*. 2. *q*. 44. & Soto *diſt*. 19. *q*. 2. *art*. 5.

Probatur 6. variis Conciliorum ea de re per id temporis intervallum conſtitutionibus: perpetuum enim hujus Pęnitentiæ uſum, deploratiſſimis etiam illis temporibus demonſtrant.

Concilium Lambethenſe anno 1281. *capitulo* 8. *de Pœnitentia*, " Cum „ juxta ſacros canones, inquit, peccata graviora ut inceſtus & ſimilia, „ quæ vulgatiſſima ſuo ſcandalo totam commovent civitatem, ſint ſolemni Pęnitentia caſtiganda; quorumdam tamen negligentia id agente, hujuſmodi Pęnitentia videtur quaſi in oblivionem tradita, & creviſſe per conſequens audacia hujuſmodi horrenda facinora & flagitia „ perpetrandi. Quocirca præcipimus ut hujuſmodi Pęnitentia ſolemnis „ de cetero imponatur ſecundum canonicas ſanctiones.

Synodus Exonienſis *cap*. 31. " Præcipimus quod ſi laicus convictus „ fuerit ſuper crimine propter quod ſit ei Pęnitentia publica injungenda, illam non in pecuniariam commutet, niſi ſcandalum vel alia honeſta cauſa exegerit aliter ordinare.

Auxitanum concilium anno 1324. reſervat Epiſcopo impoſitionem ſolemnis Pœnitentiæ, quo ſatis indicat ejus conſtantem conſuetudinem.

Eboracenſe anno 1360. *apud Spelmanum pag*. 608. " Triceſimus ſeptimus eſt (caſus Archiepiſcopo reſervandus) in iis qui publice perpetraverint delicta enormia, unde tota civitas, urbs, villa, vel patria „ commovetur, pro quibus Pœnitentia publica fuerit injungenda.

Senonenſe anno 1460. *art*. 4. Pęnitentiam publicam decernit iis eſſe indicendam, qui tertia vice in blaſphemias aut execrabilia juramenta eruperint.

Senonenſe alterum an. 1485. hoc ipſum confirmavit.

Pariſienſe ſub Stephano Poncher prohibet *in capite de Pœnitentia*, ne ea publica imponatur ſine Epiſcopi aut generalium vicariorum conſilio.

Senonenſe aliud ſub eodem, tunc archiepiſcopo Senonenſi, idem ſancit: addit autem, " Crimen propter quod imponenda ſit Pęnitentia „ ſolemnis .... eſſe crimen publicum, propter quod perturbatur tota „ civitas vel parochia.

Colo-

Colonienſe anno 1536. *parte* 7. *can.* 38. " In publicis criminibus ; „ inquit, quemadmodum neceſſe eſt, ita jubemus ad canones antiquos „ publicæ Pęnitentiæ regredi, atque ad Chriſti & ſui diſcipuli Pauli „ inſtitutum reverti, qui ad Corinthios exemplo oſtendit quomodo „ oporteat Eccleſiam in publice peccantem animadvertere, donec ipſi „ publice peracta Pœnitentia ſatisfecerit.

Auguſtanum anno 1548. *can.* 19. " Quicunque omnipotentem Deum, „ ut ſanctiſſimam Dei-genitricem, vel alios Sanctos palam blaſphe- „ mant, aut eis maledicunt, ... ab Eccleſiæ ingreſſu & ſacra commu- „ nione excludendi ſunt, donec publicam egerint Pœnitentiam.

Moguntinum anno 1550. ſub Sebaſtiano archiepiſcopo, teſtatur morem Pęnitentiæ publicæ huc uſque in pleriſque Eccleſiis illibatum perſtitiſſe, & conqueritur " Quod nemo in publicis etiam delictis publi- „ cam Pęnitentiam ſibi imponi ſuſtineat.

Quæ quidem evidenter docent nunquam Pęnitentiæ publicæ uſum, etiam per hæc difficillima tempora, intercidiſſe.

Quoniam tamen rarior adhuc erat Pęnitentia illa, quam par eſſet, eam magis ac magis frequentari propter ſummam illius utilitatem plerique omnes viri boni magnopere exoptabant.

PROBATUR itaque 7. ex ardentibus ipſorum votis ut inſtauraretur aliquando, & in communem Eccleſiæ conſuetudinem revocaretur hæc Pęnitentia.

Gropperus Cardinalis *in inſtitutione catholica*, ad id ex imo pectore ſuſpirat : ait Pęnitentiam publicam ad publicorum criminum expiationem requiri : dolet " Quod inexcuſabili prorſus negligentia aut impe- „ ritia Sacerdotum, in Latina Eccleſia jam in totum pene exoleverit : „ oportere decernit, ut qui publice peccat publica multetur Pęniten- „ tia : ingemit quod eſſent qui deſperarent populum ad ſeveras Pęni- „ tentiæ publicæ leges poſſe aſtringi & alligari ; populum enim fide & „ charitate languere. Sed ipſe contra ; quo magis fides charitaſque in „ hominum cordibus refrixerunt, eo ardentius Eccleſiarum Præſulibus „ inſiſtendum putat, ut Pęnitentiæ publicæ uſum in Eccleſiam redu- „ cant : negari enim non poſſe id quod res ipſa loquitur, publicæ Pę- „ nitentiæ neglectu ſimul omnem diſciplinam exoleviſſe, & ejus loco „ fœdiſſima ſcandala in Eccleſia agminatim inundaſſe : denique quo mi- „ nus de reductione Pęnitentiæ publicæ deſperaret, factum eſſe exem- „ plo Sebaſtiani Moguntini archipræſulis, qui eam feliciter inſtauraſ- „ ſet ſummo cum fructu, nec ſine eorum qui aderant lacrymis, quas „ rei conſpectæ pietas ipſis, ut affirmarunt, expreſſiſſet. " Hæc ille vir pietate inſignis & Eccleſiæ adverſus Lutheranos vindex illuſtriſſimus, eo tempore quo jam concilium Tridentinum habebatur.

Petrus Soto *de inſtitutione Sacerdotum*, *lectione* 2. eadem vota ingeminat, " Si hoc fieret, hoc exemplo viderent omnes quanti peccata „ fiant in Eccelſia, & quam dura ſit pro illis ſuſcipienda Pęnitentia ;

„ atque

„ atque ita ab eis deterreretur populus, & ad Dei timorem excitare-
„ tur. Aperte enim videmus quantum horum obliteratio in Eccleſia de-
„ traxerit dignæ æſtimationi peccatorum & timori Dei. Quapropter
„ cuperent multi illa Pęnitentiæ publicæ tempora reſtitui.

Quod cum ita eſſet, Caroli IX. legati miſſi ad ſynodum Tridentinam inter cetera reformationis capita, quæ ab omnibus optabantur & neceſſaria judicabantur, hoc trigeſimo loco propoſuerunt ut, " Quo-
„ niam ſæpe ob unius enorme delictum affligeretur univerſus populus,
„ quem de proximi peccatis ſollicitum eſſe oportet, reſtituantur Eccle-
„ ſiæ catholicæ, non ſolum illa antiqua propter graves & publicas of-
„ fenſas Pęnitentia publica; ſed etiam ad iram Dei placandam jejunia
„ & luctus publici.

Probatur 8. decreto concilii Tridentini quod hæc piorum vota & Gallorum poſtulata conſecutum eſt an. 1563. *ſeſſ.* 24. *de reformatione*, *cap.* 8. ſic enim loquitur ſynodus: " Apoſtolus, inquit, monet publi-
„ ce peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publi-
„ ce & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios
„ ſcandalo offenſos commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic con-
„ dignam pro modo culpæ Pęnitentiam publice injungi oportet, ut
„ quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis te-
„ ſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc Pę-
„ nitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita ma-
„ gis judicaverit expedire. " Qua quidem ſanctione nihil expreſſius eſſe poteſt. 1. enim Patres Pęnitentiæ publicæ neceſſitatem in verbis Apoſtoli fundant, & in ipſa peccati publici, quod aliis ſcandalo fuit, natura ac conditione. 2. Ita hanc neceſſitatem commendant, ut cum ab omnibus Sacerdotibus imponenda ſit Pęnitentia publica, ſoli Epiſcopo hoc tribuant, ut illud Pęnitentiæ publicæ genus in aliud ſecretum commutare interdum poſſit.

Probatur 9. concordi omnium exinde paſſim Eccleſiarum in hujus Pęnitentiæ publicæ reſtitutionem conſpiratione.

Primo quidem Italiæ, id inprimis promovente S. Carolo Borromæo: nihil enim antiquius, nihil cordi magis habuit. Itaque vix abſoluta erat Tridentina ſynodus, cum hanc diſciplinam in primo omnium quæ habuit Mediolanenſi concilio ſanxit: " Iidem (Confeſſores,) inquit,
„ quemadmodum a S. Tridentina ſynodo juſſum eſt publice peccantibus
„ publicam Pœnitentiam imponant. Neque illud Pęnitentiæ genus, niſi
„ data ab Epiſcopo facultate, ſecreta alia pœna commutare audeant: "
quod ut ſummopere neceſſarium vehementius adhuc urget in concilio Mediolanenſi III. & V. & *in monitis ad omnes confeſſarios*; a quo ne abeant ipſi Regulares maxime vetat. Vide *act. parte* 4. *pag.* 668. 764. 774. 775. 776. Hujus autem exemplum in admittenda Tridentina conſtitutione deinceps æmulati ſunt cardinalis Moronus olim Concilii præſes, an. 1565. in ſynodo Mutinenſi *can.* 15. *de Confeſſione*; Ptolomæus

Gallius item cardinalis in Sipontina, an. 1567. Paulus de Areſio item cardinalis in Placentina, an. 1570. Cyprianus Palavicinus in Genuenſi, anno 1574. Dominicus Bollanus in Brixienſi, eodem anno; Marſilius Columna in Salernitana, an. 1579. Franciſcus Bonhomme in actis Viſitationis, eodem anno; Alexander Vidicionius epiſcopus Lucenſis in ſtatutis, anno 1586. Antonius Maria in ſynodo Amerina, anno 1595. Hieronymus Bernerius in Aſculana, anno 1596. Petrus Uzimbardius in Arretina, an. 1597. Carolus Troetius in Balneo-Regienſi, anno 1599. Joannes Fontana in Ferrarienſi, eodem anno; Petrus Aldobrandinus in Ravennatenſi, an. 1607. Simon Lunadora in Nucerienſi, an. 1608. Anaſtaſius Germonius in Tarantaſienſi, anno 1609. Joannes Baptiſta Lenius in Ferrarienſi, an. 1612. Bonifacius Caetanus in Tarentina, ann. 1614. Caracciolus in Propeenſi, anno 1618. Franciſcus Juſtinianus in Tarviſina, anno 1619. &c.

His omnibus robur addit catechiſmus Romanus a tot ſummis Pontificibus Conciliiſque probatus, dum Eccleſiæ ſapientiam non modo prædicat in publicæ Pęnitentiæ obſervatione, ſed etiam pronuntiat hoc in publicis criminibus perpetuum fuiſſe, ut qui ea commiſſerant, antequam Pęnitentiam publicam ſuſcepiſſent, non abſolverentur.

Secundo Galliæ. Quam enim reſtitui expetiverant diſciplinam Præſules noſtri, hanc a concilio Tridentino inſtauratam lubentiſſime exceperunt, ſive in plenis comitiis, ſive in Synodis provincialibus, ſive in ſua quique diœceſi. 1. quidem in plenis comitiis anni tum 1579. tum 1656. Anno enim 1579. in Melodunenſibus, " Publice peccantibus, „ inquiunt, publicam injungendam eſſe Pœnitentiam, jure a ſynodo „ Tridentina præceptum eſt. " Anno autem 1656. in Galliæ uſus admiſerunt ac diſſeminari ubique curarunt ſtatuta S. Caroli, quibus hac in parte luculentius nihil definiri poteſt: 2. illud idem ſanxerunt in Conciliis provincialibus, Remenſi an. 1564. Rothomagenſi an. 1581. Burdigalenſi an. 1583. altero Remenſi eodem anno, Turonenſi eodem anno, Bituricenſi an. 1584. Aquenſi anno 1585. Toloſano eodem anno, altero Toloſano an. 1590. ac omnium ultimo Burdigalenſi anno 1624. 3. Singuli in ſua quique dięceſi iſtam eandem diſciplinam, ſeu in ritualibus libris ſeu in peculiaribus ea de re decretis adoptarunt, Nicolaus Thuanus in Carnotenſi an. 1580. in Bituricenſi Andreas de Fremio an. 1616. in Rothomagenſi Franciſcus . . . . . an. 1631. in Cœnomanenſi Emericus an. 1647. in Vencienſi Godellus an. 1644. in Meldenſi Dominicus Seguier an. 1645. in Catalaunenſi Felix Vialart anno 1649. in Bellovacenſi Buzenvallius anno 1653. in Trecenſi Franciſcus Maillier an. 1660. in Aurelianenſi Elbenius an. 1664. in Alectenſi Nicolaus Pavillon in libro a viginti ſex epiſcopis approbato, cui regia quoque auctoritas quoad hoc caput acceſſit, in Narbonenſi . . . archiepiſcopus an. 1664. in Gratianopolitana eminentiſſimus cardinalis le Camus an. 1672. in Pariſienſi illuſtriſſimus Franciſcus de Harlay eodem anno,

anno, in Catalaunenſi iterum illuſtriſſimus, nunc eminentiſſimus cardinalis de Noailles an. *1693.* & illuſtriſſimus ejus frater anno *1697.* ut illuſtriſſimos prætercam, Ludovicum-Henricum de Gondrin archiepiſcopum Senonenſem & Petrum-Joannem-Franciſcum de Percin de Montgaillard Pontiopoleos epiſcopum, qui pro eadem diſciplina ex profeſſo contra quoſdam propugnarunt. Profecto in diœceſi Pariſienſi, Aurelianenſi, Uticenſi, Alectenſi, Senonenſi, Carnotenſi, Rothomagenſi, Catalaunenſi, Pontiopolitana, Dinienſi, Sacinienſi, Noviomenſi, Aginnenſi, Lucionenſi, hiſce præteritis annis plurima illius Pœnitentiæ exempla edita ſunt; & etiamnum in Pariſienſi, Carnotenſi, Rothomagenſi ea obſervari dicitur: nec dubito quin aliis in pluribus, quas ignoramus, adhuc quoque obſervetur.

Tertio Hiſpaniæ. Ut enim illa ſileamus Concilia quæ ſynodum Tridentinam ſuſceperunt, Pœnitentiæ publicæ legem inſtauravere Bracarenſe an. *1566.* præſide ſanctiſſimo viro D. Bartholomæo a Martyribus; Calaguritanum an. *1601.* Seguntianum an. *1605.* aliud an. *1609.* Iliturgenſe an. *1624.* Veſonienſe an. *1628.* Lucenſe an. *1630.* Segobienſe anno *1648.* Salmanticenſe an. *1654.* Cæſar auguſtanum an. *1656.* Cordubenſe an. *1662.*

Quarto Germaniæ; cujus, inſtar omnium, mentem aperiet ſynodus Salesburgenſis an. *1569.* *in rituali libro* qui, cum anno *1573.* in alia Synodo fuiſſet approbatus, anno demum *1577.* publica luce donatus eſt. Ibi enim Archiepiſcopus " Æquum ac neceſſarium, inquit, ut qui „ palam peccarit, publicas etiam ſceleribus pœnas perſolvat, ſecundum „ Apoſtoli ſententiam, *Peccantes &c.*

Quinto Belgii. Ita enim inſtant Synodi plures Cameracenſis anno *1565.* Mechlinienſis anno *1570.* &c.

Sexto ipſius etiam Americæ. Concilium enim Mexicanum an. *1585.* hanc Pœnitentiam & illius agendæ modum præſcripſit *lib.* 5. *tit. de ſortilegio, ſect.* 2.

PROBATUR 10. plurium hoc ævo ſcriptorum ſuffragiis, qui cum non ſint plus juſto ſeveri, & de hoc argumento ex profeſſo diſputaverint, publicam Pœnitentiam, ubi crimina publica ſunt, imponi poſſe & expedire, imo etiam jure naturali debere agnoſcunt. Tales ſunt Suares *in 3. part. S. Thomæ, diſp.* 38. *ſect. 6.* Vaſques *in eandem partem, quæſt. 94. de Satisfactione, art. 2. dubio 2.* Tannerus *tom. 4. diſp. 6. de Pœnitentia quæſt.* 8. *dubio 2.* Ægidius Koninck *tom. 2. de ſacramento Pœnitentiæ diſp.* 10. *dubio* 8. *concluſione 6.* qui omnes ſunt e Societate Jeſu. Beuvletus denique *in manuali*, ubi diſerte docet non eſſe iis impertiendam abſolutionem qui fuere ſcandalo, donec publice ſatisfaciant.

Cæterum hæc protulimus, non definiendo, quod privatis temerarium fuerit; ſed optando, quod cuivis licet. Noſtræ quippe diligentiæ eſt, quid leges ferant indicare; modeſtiæ vero, quid prudentia poſtulet diſpicien-

piciendum relinquere iis qui curas animarum gerunt. Iſta ergo congeſſimus, ut eos qui Pęnitentiam publicam ſcite ac ſapienter uſurpant, tueamur: non ut eos qui aliter agunt, notemus.

Atquæ hæc de publicis criminibus dicta ſint.

Cum autem occulta ſunt flagitia, an Sacerdotes poſſunt pro arbitrio, pœnas quas voluerint, indicere? An tenentur ad canones antiquos accedere quam maxime queunt? hoc illud eſt quod jam expendemus. Certum enim eſt a Sacerdote non poſſe majorem pęnam injungi, quam peccata mereantur; ſed nonnulli in dubium vocant, an non poſſint minorem injungere, & quantumlibet levem.

ASSERTIO II.

Sacerdos debet peccatorum gravitati & canonibus Pęnitentialibus, quantum poteſt, pęnas quas injungit, accommodare: ſi leviſſimas pro graviſſimis impoſuerit, peccat.

Eſt Maldonati e Societate Jeſu, qui pronuntiat, alteram opinionem eſſe contra Scripturam, antiquos auctores, vetera Concilia, & Eccleſiæ mentem.

Probatur primo ex Scriptura. Ezechielis 13. 18. " *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus: & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.*

Secundo ex Patribus ac Conciliis.

Cyprianus *de lapſis*: " Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus ... POENITENTIA CRIMINE MINOR NON SIT. Putaſne tu Dominum cito poſſe placari? .... Orare oportet impenſius, ... diem luctu tranſigere " &c. *Et paulo ante*, Prєsbyteros nimis faciles increpans. " Qui peccantem, inquit, blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat; nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ..... promovet ad ſalutem ..... Oportet & Dei Sacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat ... Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem. Emerſit enim novum genus cladis: .... acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo .... blanda pernicies. CONTRA EVANGELII VIGOREM .... non quærunt ſanitatis patientiam, NEC VERAM DE SATISFACTIONE MEDICINAM.

Ambroſius *in Pſal.* 118. " Facilitas veniæ, inquit, incentivum tribuit delinquendi. " Idem *ad Virginem lapſam cap.* 8. " Quanta putas & qualis neceſſaria Pœnitentia? Quæ æquet crimina, aut

" certe

„ certe excedat ..... Grandi plagæ alta & prolixa opus eſt medici-
„ na. Grande ſcelus grandem habet neceſſariam Satisfactionem.

Pacianus *in Paræneſi ad Pœnitentiam* : " Facinoris viam monſtrat innoxiis, qui nocentibus poſt ſcelera blanditur.

Cæleſtinus ſummus pontifex eo nomine I. *epiſt.* 3. *cap.* 1. " Nulli
„ Sacerdotum, inquit, ſuos liceat canones ignorare, nec quidquam fa-
„ cere quod Patrum regulis poſſit obviare.

Gelaſius papa, *epiſt.* 3. Non eſt benignitas remittentis; ſed conſen-
„ tientis aſſenſio.

Concilium Toletanum III. " Hoc in animarum ruinam cedere aſſe-
„ rit, ſi Pęnitentia juxta canones non imponatur. " *Canone* 9. " Com-
„ perimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundum cano-
„ nem, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere Pęnitentiam; ut
„ quotieſcunque peccare libuerit, toties a Presbytero ſe reconciliari ex-
„ poſtulent : & ideo pro coercenda tam execrabili præſumptione, id a
„ ſancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam canonum antiquorum
„ dentur Pęnitentiæ.

Remenſe II. an. 81. " (Sacerdos,) inquit *can.* 12. Pęnitentiam ſe-
„ cundum canonicam inſtitutionem Pęnitenti debet indicare.

Turonenſe III. *can.* 22. " Ut juxta modum peccati, Pœnitentibus
„ abſtinentia indicatur.

Cabillonenſe II. *can.* 38. " Qui pro peccatis gravibus leves quoſdam
„ & inuſitatos imponunt Pęnitentiæ modos, conſuunt pulvillos ſub om-
„ ni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad
„ capiendas animas.

Pariſienſe VI. *can.* 32. " Presbyteri ... congruum modum ſecundum
„ canonicam auctoritatem Pęnitentiæ noverint imponere : quoniam ha-
„ ctenus eorum incuria & ignorantia, multorum flagitia remanſerunt
„ impunita; & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non eſt.

Capitularia, tum Caroli Magni, tum Haytonis, idcirco præſcribunt
" Ut de canonibus doctus ſit, & ſuum Pœnitentiale bene ſciat Sacerdos.

Iſaac Lingonenſis *in ſua collectione*, " Peccatis ...... medicina, in-
„ quit, ſecundum canonum authenticorum & ſanctorum Patrum eſſe
„ debet inſtitutionem, & non ſecundum placitum hominis; ſed ſecun-
„ dum Dei voluntatem.

Regino *de Eccleſiaſticis diſciplinis lib.* 1. *cap.* 5. " Juxta qualitatem
„ delicti Pœnitentiam injungat Sacerdos; non ex corde ſuo, ſed ſicut
„ in Pœnitentiali ſcriptum eſt.

Ratherius *in ſynodica ad Presbyteros:* Juxta qualitatem delicti, Pœ-
„ nitentiam injungite; non ex corde veſtro, ſed ſicut in Pœnitentiali
ſcriptum.

Gregorius VII. *in concilio Romano* quinto: " Falſas Pœnitentias dici-
„ mus, quæ non ſecundum auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualita-
te criminum imponuntur.

Concilium Lateranenſe magnum ſub Innocentio III. canone : *Omnis utriuſque ſexus*, edicit ut Sacerdotes pro criminum modo congruam Pœnitentiam indicant. " Sacerdos autem, inquit, ſit diſcretus & cau-
„ tus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneri-
„ bus ſauciati : diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & pec-
„ cati ; per quas intelligat .... cujuſmodi remedium adhibere de-
„ beat.

Synodus Tridentina *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. in hoc Baptiſmi ac Pœnitentiæ ſacramenti diſcrimen conſtituit, quod Baptiſmate omnis pœna peccatis debita expungatur, cum in Pœnitentia, ad plenam remiſſionem peccatorum ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſimus. Ex quo colligens *cap.* 8. quid Sacerdotibus faciendum ſit, " Debent ergo, inquit, Sacerdotes Do-
„ mini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate crimi-
„ num, & Pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes Satisfa-
„ ctiones injungere, ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius
„ cum Pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis
„ criminibus injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

S. Carolus Borromæus *actorum parte* 4. " Videant (Sacerdotes) in-
„ quit, ne pro peccatis gravibus leviſſimas Pœnitentias imponant, id
„ quod & Confeſſoribus & Pœnitentibus periculoſum eſt ; cum id a
„ ſacris litteris & Conciliorum decretis, & ſanctorum Patrum ſenten-
„ tia alienum ſit. " In iis vero *Regulis* quas Confeſſoribus promulgavit, " Patres, inquit, docuerunt quam neceſſaria admodum ſit Sacer-
„ dotibus, qui in audiendis peccatorum confeſſionibus verſantur, cano-
„ num Pœnitentialium ſcientia. Etenim ſi omnia quæ ad pęnitendi
„ modum pertinent, non prudentia ſolum ac pietate, ſed juſtitia et-
„ iam metienda ſunt ; certe norma hæc e canonibus Pęnitentialibus ſu-
„ matur oportet.

Hæc S. Caroli ſtatuta, hos canones aſcivit Clerus Gallicanus anno 1656. & per omnes provincias, ut ſingulis regulæ eſſent, tranſmiſit.

Et vero hoc a Sacerdotibus poſtulat & judicis perſona quam ſuſtinent, & medici munus quod gerunt. Quis enim bonus judex flagitiis pęnam, quis peritus medicus morbis medicinam non attemperat?

Adde quæ ex nimia facilitate enaſcuntur incommoda. Hæc certe cum attentius perpenderet Marianus Victorius in ſuo *de antiquis Pœnitentiis* libello, nihil eſſe duxit majoris momenti, quam ſi totum opus hoc ſalutis monito concluderet. " Libet, inquit, in fine hujus operis omnes
„ Chriſti Sacerdotes admonere, ne nimis remiſſi indulgenteſque in im-
„ ponendis Pęnitentiis ſint: ..... & hæc una, ut equidem reor, præ-
„ cipua cauſa eſt deploratæ propemodum nunc prolapſæque religionis ;
„ & quod hodie tam perfricta fronte, omnique Chriſtiano pudore de-
„ poſito, perpetrantur.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA.

De Abſolutione.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo poſita ſit Abſolutio.

SACRAMENTUM pœnitentiæ conſtat, non ſecus ac reliqua, rebus ut materia, verbis ut forma.

Certam porro verborum formulam non præſtituit Chriſtus. Neque vero, ſi rem ipſam univerſe ſpectes, valde intereſt quænam illa ſit & quo concipiatur modo, dum remiſſionem peccatorum, propter quam inſtitutum eſt Sacramentum, ſignificet: " Nec enim religio, ut Ter„ tulliani voces uſurpem, in ſuperficie, ſed in medulla eſt; " nec tam ſonus quam ſenſus in his eſt conſiderandus. Quo fit ut Eccleſiæ mentem & uſum expendi oporteat, cui hæc Chriſtus figenda permiſit.

Quæſtio jam inſtituitur, quænam illa ſit, & olim fuerit, Abſolutionis formula cum apud Latinos, tum etiam apud Græcos.

Triplex autem diſtingui poteſt; Indicans una, qualem in Eccleſia noſtra nunc uſurpat Sacerdos, ajens: *Ego te abſolvo:* alia Imperans, ut ſi quis diceret, *Sis abſolutus*: tertia Deprecans, ſi illa in oratione quadam ſita eſſet, qua a Deo venia peteretur.

ASSERTIO PRIMA.

A primo noſtræ religionis ortu ad Decimum ſæculum Abſolutio in precibus tota paſſim poſita fuit apud Latinos.

PROBATUR 1. Patrum teſtimoniis, qui per ſingula ſæcula floruerunt.

Tertullianus qui ſecundo ſæculo vixit, *lib. de Pœnitentia, cap.* 10. ſic exprimit Abſolutionem: " Chriſtus Patrem deprecatur: facile impetra„ tur ſemper quod Filius poſtulat. Similiter libro *de pudicitia cap.* 19. ſignificans eſſe quædam peccata remiſſibilia per Eccleſiam, " Horum er„ go erit venia, inquit, per exoratorem Patris Chriſtum. " *Ibidem* ve„ ro aliis irremiſſibilibus recenſitis, " Horum ultra, inquit, exorator non erit Chriſtus. " Adeo exoratio & remiſſio ſeu Abſolutio apud eum idem ſonant. Inde eſt quod eodem libro *de pudicitia cap.* 2. generatim „ pronuntiet: " Ubi eſt poſtulationis copia, illic etiam remiſſionis; ubi „ nec poſtulationis, ibi neque remiſſionis.

Cyprianus III. ſæculo, ubique veniam peccatorum attribuit impoſi-

tioni manuum: manus autem impoſitioni conjuncta ſemper fuit oratio: libro autem *de lapſis*, cum eos hortaretur ad agendam Pœnitentiam, qua acta Abſolutionem ſuſciperent, " Rogamus vos, inquit, ut pro „ vobis Deum rogare poſſimus; preces ipſas ad vos, prius vertimus, „ quibus Deum pro vobis, ut miſereatur, oramus; agite Pœnitentiam „ plenam &c.

Ambroſius IV. ſæculo, *lib. 3. de Spiritu ſancto, cap.* 18. explicans hæc Chriſti verba: *Accipite Spiritum-ſanctum &c.* " Ecce quia per Spiritum „ ſanctum, inquit, peccata donantur: homines autem in remiſſionem „ miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent. Ne- „ que enim in ſuo, ſed in Patris & Filii & Spiritus ſancti nomine „ peccata dimittuntur. ISTI ROGANT, DIVINITAS DONAT: huma- „ num enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis.

Hieronymus, eodem tempore, ſeu quis alius *ad Pſalm.* 28. exponens illud: *Vox Domini intercidentis flammam*; " Quotidie in unoquo- „ que noſtrum, inquit, flammam libidinis per confeſſionem & gratiam „ Spiritus ſancti intercidit; id eſt per Orationem Sacerdotis facit ceſ- „ ſare; ſicut legimus per Aaron Deum feciſſe in deſerto.

Auguſtinus V. ſæculo, *ſermone 99.* olim *homil.* 23. *inter* 50. adverſus Donatiſtas hæreticos diſputat, qui ſibi confidenter arrogare videbantur remiſſionem peccatorum, & dicebant; *Ego peccata dimitto*. Hos autem refellit exemplo Chriſti, qui non dicebat mulieri; *Ego remitto*. ſed modeſtius: *Fides tua te ſalvam fecit.* " Medicus bonus, inquit, æ- „ gros non ſolum præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat. „ Futuri erant homines qui dicerent: *Ego peccata dimitto* ..... O hæretice, tu cum ſis homo, dicis, *Veni mulier, ego te ſalvam faciam*. „ Ego (Chriſtus) cum putarer homo, dixi: *Vade mulier, fides tua ſalvam te fecit*. " Si tunc temporis uſitata fuiſſet hæc formula: *Ego te abſolvo a peccatis tuis*, totum corruiſſet Auguſtini argumentum. Et vero *lib.* 15. *de Trinitate* evidenter arguit, nullas id genus in uſu fuiſſe formulas, quibus Sacerdotes dicerent ſe dare Spiritum ſanctum, gratiam, aut remiſſionem peccatorum; ſed ſolas preces. Probat enim *cap.* 26 ideo Chriſtum eſſe Deum quia dixit: *Accipite Spiritum-ſanctum*: " Quomodo ergo Deus non eſt, qui dat Spiritum ſanctum? Imo quan- „ tus Deus eſt, qui dat Deum! Neque enim aliquis diſcipulorum ejus „ dedit Spiritum-ſanctum: orabant quippe ut veniret in eos quibus ma- „ num imponebant; non ipſi eum dabant: quem morem in ſuis præ- „ poſitis etiam nunc ſervat Eccleſia ..... Nos accipere quidem hoc do- „ num poſſumus pro modulo noſtro, effundere autem ſuper alios non „ utique poſſumus; ſed hoc ut fiat, Deum, a quo hoc efficiatur, su- „ PER EOS INVOCAMUS.

S. Leo, eodem ſæculo *epiſt.* 82. *ad Theodorum Forojulienſem* ait, " Sic divinæ bonitatis præſidia eſſe ordinata, ut indulgentia Dei, NISI „ SUPPLICATIONIBUS SACERDOTUM NEQUEAT OBTINERI. " *Ibid.*

" Mul-

„ Multum utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum „ diem SACERDOTALI SUPPLICATIONE ſolvatur. " *Epiſt.* 136.*ad Epiſcopos Campaniæ*: " Sufficit ea confeſſio quæ primum Deo offertur , „ tum etiam Sacerdoti, QUI PRO DELICTIS POENITENTIUM PRE„ CATOR ACCEDIT.

Eligius, VII. ſæculo, non tantum hæc Leonis verba adſciſcit *homil.* 4. ſed etiam *homil.* 16. " Licet, inquit, miniſterium reconciliandi epiſ„ copali auctoritate in vobis complere velimus, tamen niſi Spiritus ſan„ ctus, PER CUJUS INVOCATIONEM ISTUD OFFICIUM AGITUR, „ corda veſtra intrinſecus purificata invenerit, a reconciliationis gratia „ vacui remanebitis.

Alcuinus VIII. ſæculo, libro *de officiis divinis cap. de cœna Domini*, deſcribit modum reconciliationis Pœnitentium, verba, cum abſolverentur uſurpari ſolita, refert: nihil autem memorat præter varias orationes.

Egbertus Cantuarienſis epiſcopus, eodem tempore, *in Pœnitentiali ſuo* Pœnitentiæ ordinem ediſſerit: poſt expletam confeſſionem, quo pacto ſit Abſolutio concedenda, aperit: Abſolutionem autem totam in variis precibus collocat.

Capitularia, IX. ſæculo, *lib.* 5. *cap.* 52. Poſt peractam .... Pœni„ tentiam.... inquiunt, manus ei (Pœnitenti) cum orationibus, quæ „ in Sacramentario ad reconciliandum Pœnitentem continentur, impo„ natur, ut DIVINIS PRECIBUS ET MISERATIONIBUS ABSOLUTUS a ſuis facinoribus eſſe mereatur. " *Cap.* 62. " Non eſt mirandum, ſi „ Abſolutio peccatorum PER MANUS IMPOSITIONEM PRECIBUS „ FIT SACERDOTUM; cum Dominus in veteri lege ſuper caput ho„ ſtiæ manum Sacerdotis præceperit imponi. Etenim ſicut tunc per „ illam hoſtiam, ita nunc INVOCATIONE Sancti Spiritus ...... per „ manus Epiſcoporum, vel eorum auctoritate, reliquorum Sacerdotum „ impoſitionem, SUPPLICATIONIBUS eorum remittuntur peccata.

Iſaacus Lingonenſis, eodem ſæculo, *in collectione ſua*, *titulo* 1. *cap.* „ 13. " Nec ſe quiſquam a peccatis abſolutum ſine reconciliatoria ma„ nus impoſitione credat. Sed per manus impoſitionem PRECIBUS SA„ CERDOTUM reconcilietur, ſicut auctoritas habet eccleſiaſtica.

Halitgarius, IX. ſæculo, epiſcopus Cameracenſis librum Pœnitentialem ſcripſit: in eo autem ad impertiendam Abſolutionem non niſi orationes adhibet.

Burchardus Wormacienſis X. ſæculo exeunte librum decimum nonum edidit, ut Pœnitentialis loco Sacerdotibus eſſe poſſet: eos ibi docet qua ratione ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare debeant: pro Abſolutionis vero formula certas tantum preces commemorat.

PROBATUR 2. auctoritate omnium, qui ante decimum ſæculum de divinis ritibus ſcripti ſunt, librorum. Habemus profecto multos id genus vetuſtiſſimos, Sacramentarium Gelaſii V. ſæculo ſummi pontificis, edi-

editum a Thomaſio; Sacramentarium Gregorii Magni ab Hugone Menardo publicatum; Ordinem antiquiſſimum Romanum, de quo Morinus *lib.* 8. *cap.* 11. Ordinem alium ex codice Remenſi, apud Menardum *in præfatione*, & *pag.* 235. alium Rodradi, de quo idem, nono ſæculo exaratum; ut omittamus Alcuinum & Halitgarium, de quibus *ſupra*. Hi porro omnes fuſe agunt de adminiſtratione Pœnitentiæ: quo pacto ea initio Quadrageſimæ imponeretur, & feria 5. majoris hebdomadæ ſolveretur, accurate depingunt; nec ad Abſolutionem aliud quam orationes aſſignant. Adde alios manuſcriptos codices, quos idem Morinus *ibidem* laudat. Adjunge confeſſionem B. Fulgentii VII. ſæculo, ubi reconciliationis modus deſcribitur, apud Menardum *pag.* 226. Vitam Ludovici Pii Imperatoris, in qua de eadem re agitur: in his enim omnibus ſolæ deprecantes formulæ reperiuntur. Ergo &c.

Probatur 3. cunctorum, qui ad illud uſque tempus vixere, auctorum ſilentio: nullus enim eſt, aut ſaltem, quod ſciam, hactenus viſus, qui alterius formulæ ad Abſolutionem impertiendam meminerit. Ergo.

Objicies. In Pęnitentiali Egberti, apud Morinum *in appendice*. occurrit hæc formula, inter alias: „ Sis namque abſolutus a Deo Pa„ tre & Filio & Spiritu-ſancto ab omnibus peccatis tuis. Similiter et„ iam, ſis abſolutus a ſanctis Apoſtolis & Martyribus & Confeſſori„ bus, ſive ab omnibus timentibus Dominum, & a me, quamvis in„ dignus, & hic & in futuro ſæculo. Amen.

Distinguo: hæc formula benedictionis; concedo: reconciliationis; nego. Diſtinguitur ibi reconciliatio a benedictione Pęnitentis: ad reconciliationem preces ſolæ adhibentur; poſtea vero benedictiones variæ adduntur, quas inter eſt illa quæ modo prolata eſt. Eæ porro non pertinebant ad vim Sacramenti; ſed poſt adminiſtratum integrum Sacramentum dicebantur, quomodo etiamnum prolata Abſolutionis formula a nobis aliqua adhuc ſubduntur. Certe ſacramentalis eſſe non poteſt ea formula, quæ jam opponebatur: ad effectum enim Sacramenti duæ tantum cauſæ concurrunt: una princeps, nempe Deus; alia inſtar inſtrumenti, ſcilicet homo: in illa autem recenſentur etiam Martyres, Confeſſores & omnes timentes Deum. Quod autem poſt abſolutam ſacramenti adminiſtrationem plurima recitari inſuper conſueviſſent, diſcimus ab Alcuino *in libro de divinis officiis*. & Ordine Romano X. quem publici juris fecit Mabillonius *tom.* 2. *Muſæi Italici*.

A S S E R T I O II.

A decimo ſæculo ad decimumtertium in uſu etiam frequentiſſimo fuit Abſolutionis formula deprecatoria.

Probatur 1. ex Ordine Romano, aliiſque ſive ab Hugone Menardo,

do, ſive a Morino, ſive a Mabillonio *tom.* 2. *Muſæi Italici* memoratis: in iis enim vix extant aliæ Abſolutionis formulæ.

Probatur 2. ex Bernardo, ſeu potius ex auctore libri *de modo bene vivendi ad ſanctam Virginem*: ibi enim *cap.* 27. Abſolutionis ritus refertur, & in oratione collocatur. Quippe inducit illam Virginem corde compunctam ſigillatim Sacerdoti peccata confitentem, Sacerdotem vero audita confeſſione his verbis eam abſolventem: " Soror mihi in „ Chriſto dilecta, Deus miſereatur tui, & dimittat tibi omnia pec- „ cata tua: Deus retribuat tibi indulgentiam tuorum delictorum: Deus „ indulgeat tibi quidquid peccaſti: Deus te lavet ab omni peccato. " Poſtea monet ne peccata iteret remiſſa, nec quidquam addit quod ad eorum Abſolutionem poſſit ſpectare,

Probatur 3. ex Petro Cellenſi, qui oblationem manipuli a Sacerdote olim in antiqua lege fieri ſolitam allegorice explicans *libr. de Panibus cap.* 7. id refert ad orationem quam ad Deum fundit Sacerdos in nova lege, dum Pœnitentem ſua peccata confeſſum abſolvit. " Sa- „ cerdos autem, inquit, hunc faſciculum coram Domino elevat cum „ peccatorum noſtrorum gravedinem in confeſſione expoſitam efficaci- „ ter in memoria & deprecatione ſua retinet, Deum super hoc „ rogans ...... propitiationem Dei obtinet.

Probatur 4. ex Petro Cantore Pariſienſi *in ſumma de ſacramentis*. Ibi enim ait, in quibuſdam monaſteriis morem fuiſſe, ut ſolus Abbas Abſolutionem concederet: quam ad rem Petrus hanc hiſtoriam narrat: „ Converſus quidam, inquit, in extremis laborans, nullo modo po- „ terat induci ut confiteretur Abbati; adeo timebat eum: confeſſus eſt „ autem Priori, & petiit ab eo Abſolutionem. Prior reſpondit ei, „ quod non poterat eum abſolvere; ſed ex quo non volebat confiteri „ Abbati, vel abſolvi ab eo, Deus abſolveret eum; Ita dixit ei. Oc- „ culte iſta omnia facta ſunt. Mortuus eſt Converſus ...... Quæritur „ ergo utrum ex talibus verbis Prioris *Abſolvat te Deus*, fuerit iſte „ abſolutus; quia ſi Abbas eum abſolveret, non aliter diceret.

Probatur 5. ex Guillelmo Pariſienſi, qui ad annum 1230. in Academia & Eccleſia Pariſienſi ſumma cum laude verſatus eſt. *Cap.* enim 19. *de ſacramento Pœnitentiæ*, ubi de Abſolutione diſſerit, " Non mo- „ re judicum forinſecorum, inquit, pronuntiat Confeſſor: *Abſolvimus* „ *te*; ...... sed magis orationem facit super eum, ut „ Deus Absolutionem et remissionem, atque gratiam „ satisfactionis tribuat.

Probatur 6. ex illo Theologo, quem oppugnat S. Thomas *opuſculo* 22. *de forma abſolutionis*. Cum enim ille ad finem decimi tertii ſæculi deprecatoriam reſtitui vellet; objiciebat vix triginta annos eſſe quod omnes hac ſola forma uterentur: & ad id probandum adducebat Guillelmum de Altiſſiodoro, Guillelmum Pariſienſem, & dominum Hugonem quondam cardinalem. Ergo.

Pro-

Probatur 7. ex Franciſco Mayronis, qui *in 4. diſt.* 14. *quæſt.* 1. ad annum 1320. de hac re diſputans, cum ſibi objeciſſet quarumdam Eccleſiarum conſuetudinem, quæ his verbis Abſolutionem impertiebantur: *Abſolvat te Deus Pater*, *Deus Filius*, *Deus Spiritus-ſanctus*; Reſpondet, id quidem factum eſſe non ita pridem: " Sic fiebat, inquit, " in provincia Provinciæ; ſed improbata fuit iſta forma.

ASSERTIO III.

Præter deprecatoriam Abſolutionis formulam, alia indicans in uſu quoque per id temporis fuit.

Probatur 1. ex libro Sacramentorum, quem exhibet Hugo Menardus *ad Sacramentarium Gregorii*, ex codice ſcripto juſſu Ratoldi Corbejæ abbatis, qui mortuus eſt anno 986. In eo inter alias formulas eſt etiam iſta: " Abſolvimus vos vice B. Petri ..... cui Deus ligandi at- " que ſolvendi poteſtatem dedit.

Probatur 2. ex Ordine Romano X. *tomo* 2. *Muſæi Italici*. Is enim decimoprimo ſæculo exaratus eſſe creditur, & eandem Abſolutionis formam continet.

Probatur 3. ex Radulpho Ardente, qui eodem ſæculo vixit, & *concione in litania majore* duplicem confeſſionem diſtinguit: aliam lethalium, quæ ſoli Sacerdoti; aliam venialium, quæ omnibus fieri poteſt: " Unde, inquit, in confeſſione venialium non dicimus; *Ego dimitto tibi peccata tua*: ſed dicimus orando; *Miſereatur tui omnipotens Deus* " *&c.* " Si enim confeſſio venialium a confeſſione lethalium eo ſecernitur, quod in illa orando dicatur, *Miſereatur*; non vero, *Ego dimitto tibi peccata tua*; inde conſequitur, in confeſſione lethalium dici ſolitum; *Ego dimitto tibi peccata tua*: quæ formula indicans eſt.

Probatur 4. ex Ordine Romano vulgato, qui eandem quam *ſupra* dedimus, abſolvendi formam inter alias præſcribit.

Probatur 5. ex variis aliis codicibus quos recenſet Morinus *lib.*8. *cap.*11. atque illo præſertim ſeptingentorum circiter annorum, quem ex bibliotheca Eccleſiæ Rothomagenſis *lib.* 9. *cap.* 31. allegat: in illis enim abſolutio forma indicante etiam conceditur. En verba codicis Rothomagenſis: " Abſolvimus te vice B. Petri ... cui Dominus po- " teſtatem ligandi atque ſolvendi dedit; & quantum ad te pertinet ac- " cuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Deus omnipotens tibi vita & ſalus, & " omnibus peccatis tuis indultor: per eum qui vivit & regnat per omnia " ſæcula ſæculorum. Amen.

ASSERTIO IV.

Decimo-tertio ſæculo a multis ambæ hæ formulæ ſimul conjungebantur; ſed ita tamen, ut ſola indicans Abſolutio eſſe cenſeretur.

Pro-

PROBATUR 1. ex Alexandro Alenſi 4. *parte ſummæ, quæſt.* 21. *membro* 1. " In forma abſolutionis, inquit, præmittitur oratio per mo-
„ dum deprecativum, & ſubjungitur Abſolutio per modum indicati-
„ vum; & deprecatio gratiam impetrat, & Abſolutio gratiam ſuppo-
„ nit: nunquam enim Sacerdos abſolveret quemquam, de quo non
„ præſumeret quod eſſet abſolutus a Deo. " *Membro* 2. *art.* 2. modum indicativum in iis verbis, *Ego abſolvo te*, & deprecativum in iſtis, *Dominus abſolvat te*, poſitum fuiſſe ſatis aperte ſignificat. " Abſolutio Sa-
„ cerdotis, inquit, quæ fit expreſſione talium verborum, *Ego abſolvo te*,
„ vel *Dominus abſolvat te*, magis exprimit Abſolutionem a peccato, quam
„ confeſſio Pœnitentis.

PROBATUR 2. ex Sancto Bonaventura *in* 4. *diſtinct.* 18. *parte* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. qui iiſdem verbis utitur, quibus Alenſis *qu.* 21. *membro* 1. *ſupra*.

ASSERTIO V.

Ad finem XIII. ſæculi ſola indicans Abſolutionis formula legitima putabatur.

PROBATUR 1. ex Sancto Thoma *in opuſc.* 22. *de Abſolutionis*. Cum enim quidam voluiſſet deprecantem formulam, ut olim erat, in uſum revocare; ei fortiter obſtitit Sanctus Thomas: & cum diceret ille utrumque Guillelmum, Altiſſiodorenſem & Pariſienſem, pro ea ſtetiſſe; ſic reponit ſanctus Doctor.: " Nunquid, etiamſi nunc vive-
„ rent, præjudicare poſſent communi ſententiæ Magiſtrorum Pariſiis
„ regentium, qui contrarium ſentiunt, decernentes abſque his verbis
„ *Ego te abſolvo*, Abſolutionem non eſſe per ſolam deprecativam orationem.

PROBATUR 2. ex Franciſco Mayronis, qui teſtatur *ſupra* ætate ſua penitus improbatam fuiſſe & ab omnibus Eccleſiis eliminatam Abſolutionis formulam deprecantem. In hoc autem plerique omnes exinde acquieverunt; quod iſta formula magis ad Chriſti in Evangelio verba accedere, & actum juridicum diſertius exprimere videretur.

ASSERTIO VI.

Apud nos Abſolutio jam conſiſtit in iis ſolis verbis: *Ego te abſolvo, &c.*

PROBATUR ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. ubi ſic habetur: " Docet ſancta Synodus, ſacramenti Pœnitentiæ formam, in qua
„ præcipue vis ipſius ſita eſt, in illis miniſtri verbis ſitam eſſe: *Ego*
„ *te abſolvo, &c.* Quibus quidem, de Eccleſiæ ſanctæ more, preces quæ-
„ dam laudabiliter adjunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequa-

quam

quam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.

Quæres 1. an addendæ ſint hæ voces a *peccatis tuis*.

Respondeo eas eſſe ex præcepti, non vero Sacramenti neceſſitate, ut ſcholæ loquuntur: quia ipſo *Abſolutionis* vocabulo, juxta uſum, ſatis intelliguntur.

Quæres 2. an invocatio Trinitatis neceſſaria ſit.

Respondeo plures arbitrari non neceſſariam eſſe; nonnullos tamen repugnare, eo quod Eccleſia vetus aliquam invocationem Dei ad Abſolutionem ſemper poſtulaverit, & quod cauſa princeps non minus neceſſario videatur exprimenda, quam altera: de quo adi Epiſcopum Pontiopoleos *ad qu.* 11.

Quæres 3. an formula imperans valida foret.

Respondeo validam fore, juxta Henricum Henriques *ſummæ lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 3. *&. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 4. aliosque plurimos recentiores.

Quæres 4. an formula deprecans irrita jam eſſet.

Respondeo pleroſque ita opinari. Pro certo id ponit Vaſques *ad* 3. *partem S. Thomæ:* Eſtius vero exiſtimat tantum id ſecurius eſſe ac probabilius, *in* 4. *diſt.* 15. *ſect.* 3. Sunt multi qui in aliam partem inclinent, imo contrarium afferant, quos conſule, ac præ cæteris Dominicum Soto *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. unica*, *art.* 5. Vivaldum *Candelabri aurei* 1. *parte tom.* 11. *num.* 46. Andream Croquetium *in catecheſibus*; Menardum *ad Sacramentarium Gregorii pag.* 231. 232. *&* 233. accedunt Sammarthanus in opuſculo *de confeſſione cap.* 22. Pontiopoleos Epiſcopus *ad quæſt.* 11. & Theologi Pariſienſes in eadem cauſa, *ad* 4. *propoſitionem*. Eis omnibus præiverat Franciſcus Mayronis *ſupra*. Poſtquam enim dixit, ævo ſuo improbatam eſſe ab omnibus iſtam formam; affirmat tamen eam caſſam non fore, ſi adhiberetur. Et vero adhibetur a Græcis, & niſi quid aliud officiat, in his effectu non caret. Certe ab antiquis & recentioribus Theologis probatus eſt Græcorum etiam Baptiſmus, quem tamen illi formula quadam optante ac deprecante conferri ſolitum cenſebant. Hujus autem ſententiæ ſuæ illi plures afferunt cauſas: 1. eſt, quod ea mutatio ſit tantum accidentalis: ſi enim eſſentialis foret, in nullis nec ullo tempore probari potuiſſet: at mutatio accidentalis effectum non impedit: 2. quod formulæ modus ad diſciplinam ſpectet: at quæ ſpectant ad diſciplinam, Sacramenti ſubſtantiam non evertunt: 3. quod ſi ſufficiat expreſſio Miniſtri, nihil ſit cur non ſufficiat expreſſio Dei, modo effectus non omittatur. De quo lege Morinum *de Pœnitentia lib.* 8. *cap.* 22. Atque hæc de Latinis: jam quod pertinet ad Græcos, ſit.

ASSERTIO VII.

Abſolutio ſemper fuit, & etiamnum eſt apud Græcos deprecatoria.

PROBATUR 1. quia antiquiſſimi Patres Græci hæc Jacobi verba, cap. 5. verſ. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua*, hæc, inquam, Apoſtoli verba de confeſſione interpretati ſunt Origenes *homil. 2. in Levit.* Chryſoſtomus *lib. 3. de ſacerdotio*, Simeon Theſſalonicenſis *de Sacramentis*, ubi de Pœnitentia, & alii quos Latini etiam non pauci imitati ſunt.

PROBATUR 2. variorum ex iſta gente ſcriptorum teſtimoniis.

Auctor conſtitutionum Apoſtolicarum *lib. 2. cap.* 18. reconciliationis morem refert, & ſolius impoſitionis manuum & orationis mentionem facit.

Germanus Conſtantinopolitanus *in Theoria rerum Eccleſiaſticarum*, explicans Euchariſtiæ formam, quam collocat magna ex parte in precibus, ſubdit de aliis Sacramentis, ea quoque precibus Sacerdotum compleri: " Præterea, inquit, nulla fidelibus de ſanctificatione donorum dubi-
„ tatio ſupereſt, neque de aliis ſacramentis, an ſecundum propoſitum, &
„ preces Sacerdotum compleantur.

PROBATUR 3. auctoritate omnium quæ hucuſque viſa ſunt, ſive edita, ſive manuſcripta, Græcorum Euchologiorum: in his enim orationes tantum extant ad Abſolutionem impertiendam. De his vide Morinum *lib.* 8. *cap.* 12. *& in appendice*.

PROBATUR 4. multis hujus & ſuperioris ſæculi monumentis.

Primo enim cum Lutherani Jeremiam conſuluiſſent ſuper confeſſionem; is eadem reſpondit, quæ nos credimus & uſurpamus: *Cap.* autem 11. & 13. Abſolutionis vim precibus ſolis attribuit.

Secundo Clemens VIII. *in inſtructione ſuper ritibus Græcorum*, quam edidit an. 1595. " In caſu neceſſitatis inquit, Presbyteri Græci Ca-
„ tholici poſſunt Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in gene-
rali Florentina ſynodo præſcripta; & poſtea ſi voluerint, dicant oratio-
„ nem illam deprecativam quam pro forma hujuſmodi Abſolutionis dice-
„ re tantum conſueverunt. " Ergo illi in propriis Eccleſiis forma tantum deprecante utebantur.

Tertio Anno 1638. a Græcis editum eſt Venetiis Euchologium; ibi ritus præſcribitur ad Pœnitentes reconciliandos uſitatus: nihil autem præter orationes varias comparet: ergo.

Quarto Morinus cum Romæ ſuper hac Abſolutionis formula interrogaſſet Sacerdotem Græcum, nomine *Ligarinum*, hoc ab eo reſponſum tulit. Abſolutionem apud Græcos in hunc modum eſſe conceptam: " Ipſe Domine,
„ remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia tua eſt potentia, tu-
„ um regnum &c:

OB-

Objicit Arcudius *lib.* 4. *de Sacramentis*, *cap.* 13. Sacerdotes Græcos dicere conſueviſſe, " Ego te habeo abſolutum. " Atqui hæc formula indicans eſt.

Respondeo 1. hanc eſſe formulam recentiorem, & a paucis, & pro arbitrio uſurpatam; atque adeo non poſſe eſſe formam Abſolutionis: 2. id dici poſt adminiſtrationem totius Sacramenti ad dimittendum Pœnitentem, ſicut alii dicunt; *Vade in pace*, *noli amplius peccare*: & Latini varias benedictiones adjiciebant. Quod autem illa non vera ac genuina Abſolutio ſit, multis evincitur: 1. quia non ab omnibus frequentatur. 2. quia non eſt in ritualibus libris, qui tamen ſine dubio omnia complectuntur quæ neceſſaria ſunt: 3. quia, ſi verba ipſa ſpectes, Abſolutionem jam datam ſonant: 4. quia Leo Allatius in epiſtola ad Morinum, *tomo* 1. *Miſcell.* affirmat eam dici poſt datam orationibus Abſolutionem. Adi Arcudium ipſum, & Morinum *lib.* 8. *cap.* 12.

Objicit idem 2. Eſt quidam apud Græcos Abſolutionis indicativæ uſus; ut conſtat ex *Turco-græcia* Cruſii.

Respondeo ea, ſi vera ſint, ad Abſolutionem ab excommunicatione, non a peccatis pertinere, ut obſervat Morinus *ibid.*

Objicit 3. teſtimonium Gabrielis Philadelphienſis, qui hæc verba *Ego te habeo pro abſoluto*, decernit eſſe formam ſacramenti Pœnitentiæ.

Respondeo Gabrielem illum, qui ſuperiore ſæculo ſtudebat Patavii, formulam Græcorum Latinæ accommodare voluiſſe.

ARTICULUS II.

De iis quibus olim concederetur, & nunc concedenda ſit Abſolutio.

An qui Pœnitentiam ſani non petierant, iis in exitu Abſolutio concederetur.

ASSERTIO PRIMA.

Qui Pœnitentiam ſani non poſtulaverant, iis vania in ipſo mortis diſcrimine primis ſæculis negabatur.

Probatur pluribus antiquorum teſtimoniis.

Primo Cyprianus *epiſt.* 52. *ad Antononianum*, " Idcirco, inquit, „ fratres chariſſimi, Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delicto- „ rum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione „ teſtantes, PROHIBENDOS OMNINO CENSUIMUS A SPE COMMU- „ NICATIONIS ET PACIS, ſi in infirmitate atque in periculo cœ- „ perint deprecari; quia rogare illos, non delicti Pœnitentia, ſed mor-

„ mortis urgentis admonitio compellit ; nec dignus eſt in morte accipere ſolatium , qui ſe non cogitavit eſſe moriturum . “ Ibi nomine *communicationis & pacis* Abſolutio intelligitur : 1. quia id voces ipſæ ſonant : 2. quia Abſolutio tunc a ſacra corporis Chriſti communione non ſeparabatur : 3. quia ideo iis denegabatur pax & communicatio, quod nullus eis ineſſe putaretur veræ Pœnitentiæ ſenſus; ubi autem non eſt Pœnitentia , ibi nullus eſt veniæ locus. Ergo.

Secundo Concilium Arelatenſe ann. 314. *can. ultim.* “ De his , inquit , qui apoſtatant , & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant , „ nec quidem Pœnitentiam agere quærunt , & poſtea infirmitate correpti petunt communionem , placuit eis non dandam communionem , niſi revaluerint , & egerint fructus dignos Pœnitentiæ.

Tertio Innocentius I. *epiſt. 3. ad Exuperium* , qui ab ipſo quæſierat , “ Quid de his obſervari oporteat , qui poſt Baptiſmum omni „ tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti , in extremo vitæ ſuæ „ fine Pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt.“ Duplici modo hanc quæſtionem ſolvit , pro veteri ac nova Eccleſiæ diſciplina : ſic enim habet *cap.* 2. “ De his , inquit , obſervatio „ prior , durior : poſterior , interveniente miſericordia , inclinatior „ eſt . Nam conſuetudo prior tenuit , ut concederetur ei Pœnitentia, „ ſed communio negaretur . . . . . Nam cum illis temporibus crebræ „ perſecutiones eſſent , ne communionis conceſſæ facilitas homines de „ reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu , negata merito communio eſt , conceſſa Pœnitentia , ne totum penitus negaretur ; & „ duriorem remiſſionem fecit temporis ratio . Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit , jam depulſo terrore, communionem dari obeuntibus placuit , & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis , & ne Novatiani hæretici negantis „ veniam , aſperitatem & duritiem ſubſequi videamur . Tribuitur ergo cum Pœnitentia extrema communio , ut homines hujuſmodi vel „ in ſupremis ſuis pœnitentes , miſerante Salvatore noſtro , a perpetuo exitio vindicentur . “ Illic , ut patet , Innocentius oſtendit „ tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis & quarto ineunte hiſce hominibus denegari ſolitam Abſolutionem . Quod enim de Abſolutione loquatur, conſtat : 1. quia ab Exuperio quæſtio propoſita fuerat de reconciliatione : 2. *communio* dicitur , *remiſſio* ac *venia* ; quod ſoli Abſolutioni competit : 3. eo *communionis* nomine id intelligitur quod negabant Novatiani , & propter quod duritiei accuſabantur : atqui Abſolutionem ipſam negabant Novitiani , & inde duri atque inhumani cenſebantur : 4. huic communioni tribuitur , quod homines ab æterno exitio vindicet : id autem in ſolam Abſolutionem convenit : 5. primis iſtis temporibus Abſolutio , & Euchariſtica communio non ſejungebantur : 6. ſi hoc *communionis* vocabulo Euchariſtia intelligeretur , non

non fuiſſet prior obſervatio durior poſteriore : nam etiam poſtea quibuſdam in ipſo mortis diſcrimine negata eſt Euchariſtia; idque in arbitrio Epiſcoporum poſitum erat: & etiamnum in Gallia, reis morte damnatis non conceditur. Ergo.

OBJICIES 1. Innocentius I. ait conceſſam iis eſſe Pœnitentiam: atqui *Pœnitentiæ* nomine venia intelligitur; ſic enim accepit hoc nomen Cæleſtinus *epiſt.2.*

NEGO antecedens: *Pœnitentiæ* enim nomine non venia, ſed ritus ille quo Pœnitentiam cum certis precibus imponi mos erat, intelligitur. Id aut magnum munus, & eximium donum eſſe putabatur. Vide Albaſpinæum *in obſervat. lib.2. cap.3.*

INSTABIS Cyprianus *epiſt. ad Antonianum* ait duriſſimum eſſe eum qui imponit Pœnitentiam, nec veniam concedit.

DISTINGUO: nec veniam concedit poſt Pœnitentiam actam, quod faciebant Novatiani; concedo: ante Pœnitentiam actam; nego. Porro ægrotis Pœnitentia imponebatur qua defungerentur juxta Eccleſiæ diſciplinam, ſi convaleſcerent; ſed cum ea per morbum defungi non poſſent, in eodem morbo venia non concedebatur. Cæterum de hac Pœnitentiæ impoſitione nulla mentio eſt in Eccleſia Carthaginienſi aut Gallicana.

OBJICIES 2. Synodus Nicæna *can.* 13. declarat antiquum eſſe canonem de his qui in vitæ diſcrimen veniunt, ut tunc ultimo & maxime neceſſario viatico (id eſt Abſolutione) non priventur. De iis qui „ excedunt, inquit, antiqua & canonica lex nunc quoque ſervabi„ tur, ut ſi quis vita excedat, ultimo & maxime neceſſario viatico „ ne privetur. Si autem deploratus & communionem aſſecutus, rur„ ſus convaluerit, ſit cum eis qui orationum ſunt tantum communionis participes.

DISTINGUO ancedens: ſi Pęnitentiam ſani inchoaſſent; concedo: ſecus; nego. Agit Synodus de iis qui Pęnitentiæ ſtadium decurrebant, atque hoc in eorum gratiam juxta veterem morem decernit: non loquitur autem de iis, qui in extremo ſpiritu conſtituti tum primum ad Pęnitentiæ remedium confugiebant. Legatur canon 12. cujus 13. eſt ſeries & complementum: Hoc enim in canone loquitur de iis qui Pęnitentiæ ſtationes abſolvebant, Epiſcopiſque permittit ut, pro Pęnitentis fervore, aliquid pęnæ impoſitæ diminuant. “ Qui, „ inquit, ... cingula depoſuerunt, poſtea autem ut canes ad ſuum „ vomitum reverſi ſunt, ... hi decem annis proſternantur ſuppli„ ces, etiam poſt triennii Auditionis tempus: in his enim omnibus „ examinare convenit conſilium & ſpeciem Pœnitentiæ. Quicunque „ enim . . . . converſionem ore & habitu oſtendunt, hi impleto Au„ ditionis tempore, quod præfinitum eſt, merito orationum commu„ nionem habebunt, cum eo quod liceat etiam Epiſcopo humanius „ aliquid de eis ſtatuere. Quicunque autem non adeo graviter tulerunt,

„ nec

„ nec multum ſua referre exiſtimarunt, ſatiſque eſſe putarunt in eccleſias
„ ingredi ad converſionem, tempus omnino impleant.

ASSERTIO II.

Sæculo IV. remiſit ſe iſta ſeveritas: tumque nulli etiam in extremo morbo Pœnitentiam flagitanti, Abſolutio negata eſt.

PROBATUR.

Primo Innocentius *ſupra* fatetur eam fuiſſe ævo ſuo facilitatem; ita ut Novatianorum duritiem & aſperitatem conſectari ille viſus eſſet, qui aliter egiſſet.

Secundo Cæleſtinus *epiſt. 2. ad epiſcopos Galliæ*, *cap.* 2. " Salutem,
„ inquit, homini adimit, quiſquis mortis tempore ſperatam Pœnitentiam
„ denegaret. " Hæc enim profert ex diſciplina ſui temporis, quo qui veniam negaſſet, pro Novatiano habitus eſſet.

Tertio S. Leo *epiſt. 91. ad Theodorum* univerſe ſic ſtatuit: " His
„ autem qui in tempore neceſſitatis, & periculi urgentis inſtantia,
„ præſidium Pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſa-
„ tisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda; quia miſeri-
„ cordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud
„ quem nullas patitur veniæ moras vera converſio.

De hac controverſia vide Morinum *lib.3.cap.9.*

Notandum porro eos, qui venia donati erant ante peractam Pœnitentiam, ſi convaleſcerent, compulſos exinde eſſe quod ſibi deerat legitimæ Pœnitentiæ explere, ſive in gradu Conſiſtentium manendo, ſive ad eam ſtationem redeundo in qua eos occupaverat morbus. Ita Concilium Nicænum *can.* 13. " Si autem deploratus & communionem
„ aſſecutus rurſus convaluerit, ſit cum iis qui orationum ſunt tantum
„ communionis participes.

Gregorius Nyſſenus *epiſt. ad Letoium*: " Si quis tempore non ex-
„ pleto a canonibus præſtituto vita excedat, jubet Patrum clemen-
„ tia, ut effectus Sacramentorum particeps, non viatico vacuus ad
„ extremam illam & longam peregrinationem mittatur. Sin autem
„ poſtquam Sacramenti particeps fuerit, rurſus ad vitam reverſus ſit,
„ ſtatutum tempus expectet, in illo gradu exiſtens in quo erat ante com-
„ munionem.

Synodus Carthaginienſis IV. *can.* 76. " Si ſupervixerit, admoneatur
„ a ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ eſſe ſatisfactum, & ſubdatur ſta-
„ tutis Pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos qui Pœnitentiam dedit,
„ probaverit.

Arauſicana I. *can.3.* " Qui recedunt de corpore Pœnitentia accepta,
„ placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione communicare .... Quod
„ ſi ſupervixerint, ſtent in ordine Pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis Pœ-

„ nitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.

Epaonenſis *can. 36.* " Si cui forſitan diſcrimen mortis immineat, da„ mnationis conſtitutæ tempora relaxentur. Quod ſi ægrotum accepto via„ tico revaleſcere fortaſſe contingit, ſtatuti temporis ſpatia obſervare „ conveniet.

Quæres cur tam auſtere actum ſit cum iis qui morti proximi Pœnitentiam duntaxat peterent.

Respondeo hujus ſeveritatis cauſam extitiſſe, quod Patres huic Pœnitentiæ in extremis temporibus conceptæ admodum diffiderent.

Cyprianus *epiſt.* 52. *ad Antonianum*, *ſupra*, " Rogare illos, in„ quit, non delicti Pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio com„ pellit.

Sanctus Auguſtinus *homilia* 41. ſeu *ſerm.* 393. " Si quis, inquit, poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere Pœni„ tentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor „ vobis, non illi negamus quod petit; ſed non præſumimus quia be„ ne hinc exit .... Pœnitentiam dare poſſum; ſecuritatem dare non „ poſſum .... Vis te de dubio liberare? Age Pœnitentiam dum ſa„ nus es: ... tene certum, dimitte incertum. " *Serm.* 57. *de tempore*, qui nunc eſt *in appendice* 255. " Pœnitentia, inquit, quæ ab infirmo „ petitur, infirma eſt; Pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo „ ne ipſa moriatur &c.

Fauſtus Regienſis adhuc vehementius *epiſt. ad Benedictum Paulinum*: " Inſultare Deo videtur, inquit, qui illo tempore ad medi„ cum venire noluit, quo potuit; & illo tunc incipit velle, quo non „ poteſt.

Cur autem ita incerta ſit hujuſmodi Pœnitentia, alibi docuimus; quod nempe, ut ait S. Thomas, difficile ſit admodum ab iis quibus ſemper affixus fueris, amorem abſtrahere, & in contrariam partem ſubito transferre.

An ſint quædam peccata propter quæ veniam & Abſolutionem olim Eccleſia denegaverit.

ASSERTIO PRIMA.

Quædam ſunt peccata graviora quæ certis in Eccleſiis, aut certis temporibus nulla venia olim donabantur.

Probatur 1. de adulterio, ac proinde multo potiori jure de homicidio & idololatria, in nonnullis Africæ Eccleſiis. Ita enim Cyprianus *epiſt.* 85. alias 52. *ad Antonianum*: " Et quidem, inquit, apud „ anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtis in provincia noſtra dandam

„ dam pacem mœchi non putaverunt, & in totum Pœnitentiæ locum
„ contra adulteria clauſerunt : non tamen a Coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut catholicæ Eccleſiæ unitatem vel duritiæ vel
„ cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt.

Probatur 2. ex ſynodo Eliberitana : hæc enim omnium ſeveriſſima fuit, & quamplurimis peccatis hanc pœnam impoſuit, ut nec ad finem vitæ, venia & pace donarentur. *Canone* enim 1. " Placuit, inquit,
„ ut quicunque poſt fidem Baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idoli
„ idololatraturus acceſſerit, quod eſt crimen capitale, nec in fine eum ad communionem ſuſcipere.

*Can.*2. " Flamines, qui poſt fidem lavacri & regenerationis ſacrificaverunt, eo quod geminaverint ſcelera, accedente homicidio ; vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia; placuit eos nec in fine accipere communionem.

Can. 12. " Mater vel parentes, vel quælibet fidelis, ſi lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius ſuum; placuit eam
„ nec in fine accipere communionem.

Can. 65. " Si cujus Clerici uxor fuerit mœchata, & ſcierit eam
„ maritus ſuus mœchari, & non eam ſtatim projecerit ; nec in fine
„ accipiat communionem, ne ab his qui exemplum bonæ converſationis
„ eſſe debent, ab iis videantur ſcelerum magiſteria doceri.

Can.66. " Si quis privignam ſuam duxerit uxorem, eo quod ſit inceſtus; placuit nec in fine dandam eſſe communionem.

Can.70. " Si cum conſcientia mariti uxor fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam eſſe communionem; Si vero eam reliquerit, poſt decem annos
„ accipiat communionem.

Can. 71. " Stupratoribus puerorum nec in fine dandam eſſe communionem.

Probatur 3. ex Concilio Sardicenſi. Cum enim Oſius vidiſſet quanto Eccleſiæ ſcandalo eſſent translationes Epiſcoporum ab una ſede in aliam ; quo huic gravi morbo occurreret, propoſuit Patribus *can.* 1. *juxta Verſionem Iſidori*, ut hujuſmodi Epiſcopi " Nec laicam communionem in fine acciperent. Univerſi (vero Patres) dixerunt : Placet.

Probatur 4. ex ſynodo Sydenſi de Meſſalianis : cum enim illi Eccleſiam ſæpe eſſent ludificati, tantum edictum ab ea eſt, ne deinceps omnino reciperentur.

ASSERTIO II.

Inſigniores Eccleſiæ majorum criminum, idololatriæ ſcilicet, homicidii & adulterii reis nunquam olim veniam negarunt.

Probatur Primo ex facto Joannis Apoſtoli, quod poſt Clementem narrat Euſebius *lib.3.cap.*23. Is enim Apoſtolus juvenem qui in famoſum la-

tronem evaſerat, eccleſiaſticæ communioni reſtituit, cum Aſiæ Eccleſias, quas fundaverat, regeret.

Secundo ex libro *Paſtoris*, *ſupra*. Hermas enim ibi indicat locum fuiſſe mulieribus adulteris ad reconciliationem. Quippe *lib.* 2. *mandato* 4. Angelum interrogat an, ſi mulier adultera a viro dimiſſa Pœnitentiam egerit, vir teneatur eam recipere: & reſpondet Angelus: " Imo ſi non receperit eam vir ſuus, peccat, & magnum peccatum ſi„ bi admittit.

Tertio ex Dionyſio Corinthio epiſcopo *in epiſt. ad Amaſtrianos* apud Euſebium, *lib.* 4. *cap.* 23. Ibi enim præcipit, ut quorumlibet peccatorum rei ad Eccleſiam, ſi reſipuerint, admittantur. " Cunctos, inquit „ Euſebius, qui a quovis lapſu, ſive delicto, ſive etiam ab hæretica „ pravitate reſiliunt, benigne ſuſcipi jubet.

Quarto ex Irenæo *lib.* 1. *cap.* 9. in quo ſignificat mulieres a Marco corruptas, ab Eccleſia receptas fuiſſe. " Hæ ſæpiſſime converſæ ad Ec„ cleſiam Dei confeſſæ ſunt & ſecundum corpus exterminatas ... val„ de ſe illum dilexiſſe &c.

Quinto ex Tertulliano. Ipſe enim *lib. de Pœnit. cap.* 7. poſtquam obſervaſſet Diabolum in id unum intentum eſſe, ut hominem poſt Baptiſma ſubvertat, impellatque vel in turpia flagitia, aut hæreſim, aut Chriſtianæ religionis coram Tyrannis abnegationem, & adverſus hæc venena a Deo præſtitutam eſſe Pœnitentiam tanquam præſens remedium: " Offendiſti, inquit; ſed reconciliari adhuc potes: habes cui „ ſatisfacias, & quidem volentem. Id ſi dubitas; evolve quæ Spiritus „ Eccleſiis dicat: ... ſtuprum Thyatirenis exprobrat .... Omnes ad „ Pœnitentiam commonet, ſub comminationibus quidem: non com„ minaretur autem non pœnitenti, ſi non ignoſceret pœnitenti. " Ergo a venia non excludebat hæc etiam ſcelera graviſſima. 2. In libro *de pudicitia cap.* 1. cum iſtis iiſdem facinoribus omnem veniæ ſpem præcluderet juxta Montaniſtarum, quibus jam adhærebat, conſuetudinem; fatetur ingenue ſe ſcribere adverſus id quod olim in Eccleſia catholica & cum ea docuerat. " Erit igitur, inquit, & hic adverſus Pſy„ chicos titulus, adverſus meæ quoque ſententiæ retro penes illos ſo„ cietatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. " Ergo is erat Eccleſiæ catholicæ mos; ut ea delicta minime venia privarentur. 3. Catholici reipſa ſic contra Tertullianum dimicabant *ibid.* " Si, „ inquiebant *cap.* 3. aliqua Pœnitentia caret venia, jam nec in totum „ agenda tibi eſt; nihil enim agendum eſt fruſtra: porro fruſtra age„ tur Pœnitentia, ſi caret venia. Omnis autem Pœnitentia agenda eſt. „ Ergo omnis veniam conſequatur neceſſe eſt. " Ac proinde juxta Orthodoxos, de omni genere peccatorum agenda erat Pœnitentia: agenda autem non fuiſſet, niſi venia eſſet Pœnitentiam conſecuta. Ergo putabant illi nullum eſſe peccatorem, qui a venia arcendus foret. Quocirca ſive ſpectes Tertullianum adhuc Catholicum, ſive eundem jam fa-

ctum Montaniſtam & ſibi ipſi contradicentem, ſive Orthodoxos cum eo diſputantes, ex æquo colligas hanc fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam, nulla ut delicta venia carerent.

Sexto ex Cypriano, & id quoque multifariam. 1. enim cum lapſi citra ullam Pœnitentiam pacem accipere vellent, eorum temeritatem arguit Cyprianus, comparatione ducta ex homicidio & adulterio. *Epiſt.* 11. " Nam cum in minoribus delictis, inquit, quæ non in Deum com-
„ mittuntur, Pœnitentia agatur juſto tempore, & Exomologeſis fiat,
„ inſpecta vita ejus qui agit Pœnitentiam; .... quanto magis in his
„ graviſſimis & extremis delictis caute omnia & moderate ſecundum
„ diſciplinam Domini obſervari oportet. " Idem *epiſt.* 9. Ergo juxta Cyprianum homicidis & adulteris poſt actam juſto tempore Pœnitentiam venia concedebatur. Imo cum ibidem & ubique lapſos reprehendat, non quod communionem ſibi reſtitui flagitarent, ſed quod id extorquere vellent contra Eccleſiæ diſciplinam, non emenſo prius legitimæ Pœnitentiæ ſtadio, id argumento eſt ab hujus temporis diſciplina alienum non fuiſſe lapſis etiam Abſolutionem aliquando impertiri. 2. *epiſt.* 52. *ad Antonianum*, *ſupra*, *pag.* 801. memorat quoſdam ac paucos Epiſcopos adulteris pœnitentiam denegaſſe, contra communem aliorum morem. Ergo. 3. Cum Novatianus eo veniſſet ut lapſos ab omni ſpe communionis depelleret, in eum invehitur, ut qui cum Scripturis, antiqua Eccleſia, & ipſa ratione pugnaret. *Ibid.* " Ille, inquit, per plu-
„ rimas civitates novos ſuos Apoſtolos mittat, ut quædam recentia in-
„ ſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat ..... Neminem putamus, in-
„ quit *ibid.* a fructu Satisfactionis & ſpe pacis arcendum, cum ſciamus
„ juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore & hortatore ipſo Deo,
„ & ad agendam Pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque in-
„ dulgentiam pœnitentibus non denegari. Atque o fruſtrandæ fraterni-
„ tatis irriſio! o miſerorum lamentantium caduca deceptio! hortari
„ ad Satisfactionis Pœnitentiam, & ſubtrahere de Satisfactione medici-
„ nam! dicere fratribus noſtris, plange & lacrymas funde, ... ſed
„ extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris, quæcunque ad pacem per-
„ tinent, facies; ſed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis non
„ ſtatim pereat? Quis non ipſa deſperatione deficiat? .... Præcludere
„ eſt .... pœnitendi viam; ut cum in Scripturis Dominus Deus re-
„ vertentibus ad ſe & pœnitentibus blandiatur, noſtra duritia & cru-
„ delitate, dum fructus Pœnitentiæ intercipitur, Pœnitentia ipſa tolla-
„ tur. " Quid diſertius? An enim ita loqueretur Cyprianus, ſi idem quod Novatianus Eccleſia paucis ante diebus frequentaſſet?

Septimo ex Clero Romano, quem cum Cyprianus ſuper lapſorum temeritate conſuluiſſet, reſpondet *epiſt.* 31. *apud eundem*, ſcribente ipſo Novatiano ante ſchiſma a ſe conflatum: Pacem quidem & communionem eis eſſe reddendam, ſed non cito, ſed non abſque juſta ac legitima Pœnitentia: qua in re teſtatur ſe nihil innovare. Ergo vetus hæc

erat ac vulgata Romæ conſuetudo, ut lapſi poſt legitimam Pœnitentiam venia potirentur.

Octavo ex Dionyſio Alexandrino *apud Euſebium lib. 6. cap. 36.* decernente ut lapſis abſolutio, ſaltem imminente obitu, non negaretur; & hiſtoriam narrante Serapionis cujuſdam ſenis, qui poſtquam idolis immolaſſet, & Pœnitentiam publicam egiſſet, inſtante morte Euchariſtia donatus eſt.

Nono ex Canonibus antiquiſſimis, qui *apoſtolici* dicuntur. Id enim ſanciunt, vel generatim, *can.* 51. " Si quis Epiſcopus aut Presbyter a
„ peccato revertentem non recipit, ſed rejicit; deponatur: quia Chri-
„ ſtum contriſtat dicentem, *Gaudium erit in cœlo, &c.* " vel etiam ſpe-
„ ciatim de mutilatione, fornicatione, adulterio & fidei Chriſti abne-
„ gatione, *canone* 24. " Laicus qui ſe ipſum mutilavit, annis tribus
„ communione pellatur: inſidiator eſt enim vitæ ſuæ. *Can. 61.* " Si
„ adverſus fidelem accuſatio intendatur vel fornicationis vel adulterii,
„ &c. & convictus fuerit; ad Clerum non provehatur. " *Can. 62.* "
„ Si quis Clericus humano timore Judæi vel Gentilis vel Hæretici ne-
„ gaverit, ſiquidem Chriſti nomen; ejiciatur: ſi vero Clerici nomen;
„ deponatur: Pœnitentiam autem agens, ut laicus recipiatur.

Decimo ex Auctore Conſtitutionum *cap.* 12. indicente, ut omnes qui Pœnitentiam agere voluerint, admittantur: " Pœnitentes recipe,
„ .... ne aliquando tanquam deſperantes nequitiæ ſe dedant. " *Cap.* autem 23. etiam ii qui in idololatriam lapſi ſint: " Nullum majus
„ peccatum quam idolorum cultus; eſt enim impietas in Deum. Ta-
„ men per veram pietatem remiſſum eſt.

Quæ cum ita ſint, conſtat ubique & ab inſignioribus Eccleſiis veniam eſſe majorum etiam criminum reis conceſſam.

Objicies I. Tertullianus *lib. de pudicitia*, novitatis inſimulat eos qui mœchis veniam largirentur, etiam Pęnitentia functis; non novitatis autem ſolum eos accuſat, ſed etiam inconſideratæ levitatis, quod mœchis veniam donarent, cum idololatras & homicidas, mœchis hactenus conjunctos, ab omni indulgentia excluderent. " Audio, inquit
„ *cap.* 1. edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex
„ ſcilicet Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum edicit: Ego & mœchiæ
„ & fornicationis delicta Pęnitentia functis dimitto. O edictum, cui aſ-
„ cribi non poteſt bonum factum! Et ubi proponetur liberalitas iſta?
„ Ibidem opinor, in ipſis libidinum januis, ſub ipſis libidinum titulis. "
Cap. 5. " Ergo mœchia ..... quanti æſtimanda ſit ſceleris prima lex
„ Dei præſto eſt. Siquidem poſt interdictam alienorum Deorum ſuper-
„ ſtitionem .... ſubſtruxit præceptum; *Non mœchaberis* ... Quale de-
„ lictum jam intellige, cujus cohibitionem poſt idololatriam ordina-
„ vit .... Adjungit: *Non occides*. Oneravit utique mœchiam, quam
„ homicidio anteponit .... Pompam quandam atque ſuggeſtum aſpi-
„ cio męchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum

„ homi-

„ homicidii inſequentis .... Quis eam talibus lateribus incluſam ....
„ a cohærentium corpore divellit, ... ut ſolam eam ſecernat ad Pę-
„ nitentiæ fructum? .... Aſſiſtit idololatres; aſſiſtit homicida, in me-
„ dio eorum aſſiſtit & męchus : pariter de Pęnitentiæ officio ſedent
„ in ſacco .... Quid agis molliſſima .... diſciplina? Aut omnibus
„ eis hoc eſſe debebis; .... aut ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idolola-
„ tram quidem & homicidam ſemel damnas ; męchum vero de medio
„ excipis? Perſonæ acceptatio eſt ... Dabis ergo & idololatræ & om-
„ ni apoſtatæ veniam : ... communicabis & homicidæ. “ *Cap.* 12. “
„ Idololatriæ neque ſanguini pax ab Eccleſiis redditur .... Quid hic
„ de fornicatore? “ *Cap.* 19. “ Subjicit (Apoſtolus,) inquis, ... *Si*
„ *conſitemur delicta noſtra*, *fidelis & juſtus eſt*, *ut dimittat ea nobis*, *&*
„ *emundet ab omni injuſtitia*. Nunquid ab immunditia? Aut ſi ita eſt ;
„ ergo & ab idololatria. “ *Cap.* 22. “ Quæcunque auctoritas, quæcun-
„ que ratio męcho & fornicatori pacem eccleſiaſticam reddit, eadem
„ debebit & homicidæ & idololatræ pęnitentibus ſubvenire. “ Ergo a-
liquid circa hoc caput ævo Tertulliani novatum eſt, & venia mœchis laxata eſt, quæ nec iis ante nec homicidis, nec idololatris eo etiam tempore concedebatur. Ergo hactenus tria majora crimina venia non gaudebant.

Respondeo hunc difficilem Tertulliani locum doctos homines in varias ſententias diſtraxiſſe. Cum enim conſtet, vel ex ipſo Tertulliano, atque ex hoc etiam Tertulliani libro, in venia omnibus delictis tribuenda omnium Eccleſiarum catholicarum paſſim, ac præcipuarum præſertim conſuetudo; atque adeo ſecum ipſe pugnare videatur Tertullianus.

Primo nonnulli, in quibus eſt Morinus *libro* 2. *cap.* 20. & Natalis Alexander *diſſertatione* 7. *ad ſæculum* III. ajunt Tertullianum, pro Hæreticorum more, Eccleſiæ impoſuiſſe, & tam cæco quidem impetu, ut quid diceret non animadverterit; idque, ut dogmata ſua facilius aſtrueret. Sed durum eſt ita de Tertulliano opinari, tum quia vir ſummi ingenii ſemper fuit, tum quia neque ad calumniam & putida mendacia projectus fuiſſe videtur, qui nimiæ ſanctitatis & auſteritatis affectatione in Montaniſtarum caſtra tranſierit. Et vero, nedum hoc in libro ullum ſit malæ fidei veſtigium, Tertullianus contra fatetur ingenue, ſe illic agere contra veterem ſuam ſententiam & Eccleſiæ communem conſuetudinem. Summa etiam fide refert omnia Catholicorum momenta quibus illi contendebant nulli peccatorum generi Abſolutionem eſſe negandam, quia nullum eſt peccati genus de quo Pęnitentia agenda non ſit. Hæc autem diſſimulaſſet vir ſagaciſſimus, ſi Eccleſiæ imponere voluiſſet.

Secundo itaque alii putant Tertullianum illic diſputare adverſus Epiſcopos illos Africæ qui a Cypriano *ſupra* memorantur, & majorum criminum reis pacem non tribuebant. Cum enim quidam forte apud

eos

eos extitiſſet ſingularis auctoritatis & nominis, qui, mœchos a ceterorum conſortio ſejungens, declaraſſet ſe iis Pœnitentia certa functis pacem laxare, cum reliquos ſimili indulgentia non proſequeretur, ac collegas ſuos in eaſdem partes tracturus eſſe videretur; hoc Tertulliano bilem movit. Dubium enim eſſe non poteſt quin horum Epiſcoporum ſocietate ac patrocinio Tertullianus gloriaretur. In illum igitur Epiſcopum declamat; &, quia ironia delectabatur, nudam ejus declarationem in edictum vertit; eumque traducit, quaſi ſe ille ſummum Pontificem & Epiſcopum Epiſcoporum conſtitueret. Denique comparatione ducta ex duobus aliis criminibus quæ incondonata dimittebat, rite adverſus eum argumento, ut ajunt, ad hominem diſputat. Atque hæc eſt plana & facilis interpretatio: de qua vide Tillemontium *in Zephyrino*.

Tertio tandem alii volunt Tertullianum hic decertare adverſus Zephyrinum ſummum Pontificem, qui certum ac brevius Pœnitentiæ tempus mœchis edicto ſuo præſtituerit, cum aliorum duorum ſcelerum rei diuturniori, incerto, & ex Epiſcoporum voluntate ſuſpenſo tempore Pœnitentiam agerent, juxta uſitatam hactenus Eccleſiæ diſciplinam. Cum autem priſcam ſeveritatem erga mœchos remiſiſſet, quam illibatam ſervabat erga alios; inde, quo ingenio erat, Tertullianus anſam arripuit in eum declamandi, quaſi ſimpliciter veniam laxaſſet mœchis, & eandem de more negaret homicidis & idololatris. Hanc ergo facilitatem mirum in modum exaggerat. Sed quantalibet ſit exaggeratio, ea eſt ex noto Eccleſiæ uſu, ex Tertulliani ſcriptis ac ſententiis temperanda.

De his unuſquiſque ſtatuat ut lubet; res enim eſt meræ conjecturæ ac divinationis: caveat tantum ne certis incerta præponat.

Objicies 2. Cyprianum. Nempe cum vi perſecutionis Decianæ magna fidelium multitudo in idololatriam corruiſſet, illique velut agmine facto deinceps in Eccleſiam irruerent, ac qui libellis commendatitiis Martyrum erant freti, ii potiſſimum communionem ſibi reſtitui importune flagitarent; eorum inſolentiam ſic repreſſit Cyprianus, ut de iis ante reditum ſuum in urbe (e qua Domini juſſu exire coactus fuerat ut lateret,) & Eccleſiæ redditam tranquillitatem, & Concilium ſuper ea re habitum, nihil omnino decerni voluerit: "Expectandam „ enim eſſe publicam pacem, antequam de ſingulorum pace tractare„ tur: eos qui adeo properabant, nec volebant differri, poſſe corona„ ri. Aciem enim adhuc geri, agonem quotidie celebrari; atque adeo „ tempus ipſum perſecutionis pluſquam poſtulabant eis largiri, ſi for„ tes eſſe velint: martyrium enim abſolutionis vices ſupplere poſſe." Ita *epiſt.* 10. 11. 12. *&* 13. Porro *epiſt.* 52. *ad Antonianum* ait, tunc temporis ſe vigorem evangelicum defendiſſe. Ergo priſcus Evangelii vigor in Eccleſia hactenus uſitatus poſtulabat, ut venia nulli concederetur.

Distinguo conſequens: ut venia nulli concederetur ſine Pœnitentia;

tia; concedo : poſt actam Pœnitentiam; nego. Certum eſt ubique Cyprianum conqueri, quod illi ante actam legitimam Pœnitentiam pacem extorquere vellent. *Epiſt.* 23. *ad Clerum Romanum*, " Per aliquot civi-
" tates in Præpoſitos impetus multitudinis factus eſt; & pacem, quam
" ſemel cunctis a Martyribus & Confeſſoribus datam clamitabant, con-
" feſtim ſibi repræſentari cœperunt, territis & ſubactis præpoſitis " &c.
Et *epiſt.* 29. " Ad vos litteras feci .... de quorumdam proſpecta te-
" meritate, qui Pęnitentiam agere & Deo ſatisfacere detrectant; ...
" pacem non dandam ſibi poſtulantes, ſed quaſi jam datam ſibi vindi-
" cantes. " Porro hæc eſt Evangelii lex, hic vigor, ut nulli Pęnitentiam detrectanti venia concedatur. Quod enim in eo conſtituatur hic vigor Evangelii, conſtat 1. ex Cypriano *epiſt.* 10. ubi ait hoc eſſe " Contra Evangelii legem : " 2. ex Clero Romano *epiſt.* 31. ipſum *vigoris evangelici* & *ſeveritatis evangelicæ* nomen uſurpante : 3. ex S. Cypriano *lib. de lapſis*, ubi conceptis verbis hanc facilitatem eſſe definit contra Evangelii vigorem.

Instabis 1. At ne Pęnitentiam quidem iis ſolemni more imponi voluit; ſed omnes in ſuſpenſo teneri juſſit.

Distinguo : quod, cum non una eſſet cauſa omnium, accurate ſingula expendenda eſſent, ut pro criminum modo ac gravitate Pœnitentia injungeretur; quod fervente perſecutione, abſente Epiſcopo fieri non poterat; concedo : eo quod crederet non eſſe unquam iis concedendam Abſolutionem; nego.

Instabis 2. At nullam eis aſſignat Cyprianus aliam ad peccata expianda, quam martyrii viam. Ergo.

Distinguo : per illud tempus, quo nec Pęnitentia rite injungi, nec venia juxta veterem diſciplinam poſt legitimam Pœnitentiam concedi poterat; concedo : quod crederet nulla eos eſſe venia donandos deinceps; nego. Alloquitur eos qui præpropere communionem flagitabant : quibus dicit quod, ſi differri non velint, poſſint coronari.

Ceterum nedum ex iis colligi poſſit, non eſſe datam acta Pęnitentia veniam; contrarium magis inde eruatur. Non enim venia tunc negabatur, niſi quia, antequam acta eſſet legitima Pęnitentia, vi quadam extorqueretur.

Instabis 3. Cum lapſi illi acrius inſtarent, & æſtas imminens morbos adveheret, & aliquid concedendum videretur precibus Martyrum, victus tandem Cyprianus laxavit iis pacem; ſed triplici appoſita conditione : 1. ſi libellos Martyrum haberent : 2. ſi Pœnitentiam inchoaſſent, quæ Satisfactioni jam proxima eſſet : 3. ſi in ipſo mortis diſcrimine verſarentur : ceteros in eadem diſciplinæ ſeveritate continuit quam prius indixerat. Hoc erat decretum fiduciarium perſecutionis tempore latum, & ad publicam uſque Eccleſiæ pacem duntaxat duraturum; de quo idem *epiſt.* 12. 13. & 52. Ergo ſi hæc ſit remiſſio diſciplinæ, antea ne in exitu quidem venia concedebatur.

Dis-

Distinguo conſequens : ne in exitu quidem venia concedebatur; ante actam legitimam Pœnitentiam; concedo : poſt actam legitimam Pęnitentiam; nego. Laxatus ergo reipſa fuit vigor antiquus decreto fiduciario ; ſed in eo quod lapſis qui libellis Martyrum muniti erant, poſt inchoatam Pęnitentiam Abſolutio in ipſo mortis articulo concederetur, cum antea concedi non ſoleret etiam in exitu, niſi poſt integram peractam.

Instabis 4. Sopita demum perſecutione habita eſt ſynodus, in qua peremptorium decretum editum eſt. In hoc porro decreto ſanciebatur, ut *Libellatici* quidem *interim*, hoc eſt in præſentiarum, *admitterentur* ; *Sacrificatis* vero *in exitu ſubveniretur*, ut habet Cyprianus *epiſt.* 52. Atqui hoc ipſum decretum moverat Antonianum, ad quem ſcripta eſt, quaſi Cyprianus vigorem evangelicum deſeruiſſet, & temere nimis Pęnitentiam ac pacem laxaſſet. Et reipſa Cyprianus fatetur ſe neceſſitati temporum ſuccubuiſſe : ait, ſe temperamentum libraſſe, ut nec in totum ſpes communicationis & pacis denegaretur, nec ſine Pęnitentia pax concederetur : reſpondet multis quæ adverſus hanc remiſſiorem diſciplinam objiciebat Antonianus, momentis. Ergo revera, etiam cum in exitu pax concederetur eo tempore lapſis, novitas quædam erat veteri Eccleſiæ mori contraria.

Distinguo conſequens : novitas quædam erat, quoad veniæ facilitatem ; concedo : quoad veniæ conceſſionem ; nego.

Ut ergo hæc diſputatio penitius intelligatur (quam ad rem neceſſe ſit maximam epiſtolarum Cypriani partem legiſſe,) videndum eſt quis fuerit Pęnitentiæ ſtatus in Africa ante perſecutionem Decianam; quid fervente perſecutione Cyprianus ſtatuerit ; quid tandem ea ſopita definitum ſit.

Itaque ante Decianam perſecutionem hæc erat in Africa Pęnitentiæ diſciplina. Primo Pœnitentiæ munus non ſtatim ac temere cuivis pętenti concedebatur ; ſed poſt crebras preces, & longam probationem Pœnitentiæ candidatorum. Id liquet ex Tertulliano *de Pœnitentia*, *cap.* 9. " Itaque, inquit, exomologeſis . . . . mandat . . . . . . „ Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari ; omnibus fratri- „ bus legationes deprecationis ſuæ injungere, " & *cap.* 10. " Cum te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. " ſecundo Antequam Pęnitentiæ agendæ lapſis copia fieret, ſingulorum cauſa accurate excutiebatur, ut in variam ac multiplicem ſceleris gravitatem pęnæ imponendæ convenirent. Cyprianus *epiſt.* 52. " De eo „ quod ſtatuendum eſſet circa cauſam lapſorum, diſtuli; ut, cum quies „ & tranquillitas data eſſet, & Epiſcopis in unum convenire indul- „ gentia divina permitteret, tunc communicato & librato de omnium „ collatione conſilio, ſtatueremus quid fieri oporteret " &c. Tertio Pęnitentia quæ injungebatur, non brevi ac fixo tempore erat circumſcripta, ſed infinito, & ex Epiſcoporum voluntate ſuſpenſo ; ut ad Tertullia-

tullianum mox obſervavimus *p.* 820. & 821. & ex Cypriano *epiſt.* 52. colligi poteſt. Quarto Venia non dabatur niſi poſt actam plenam Pęnitentiam. Cyprianus *epiſt.* 11. & 12. Contra Evangelii legem, inquit, ... ante actam Pęnitentiam ...... offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, id eſt, ſanctum Domini corpus profanare audent. " Et „ hujus Pęnitentiæ integritatis tanta erat ad reconciliationem neceſſitas, „ ut ſi quis ante expletos Pęnitentię ſuæ labores, medioque in Peni- „ tentiæ curriculo in apertum vitæ diſcrimen veniret, tunc temporis pace non donaretur; ſed uni Deo permitteretur. Cujus quidem ſeveritatis triplex cauſa fuit: 1. quod alioqui contigiſſet ut cum iis communicaretur qui nondum Pęnitentia fuiſsent expurgati, ſi nempe convaleſcerent: id autem viris piis graviſſimum apparebat: 2. Quod ſic Domino quadantenus præjudicaretur, cum abſolverentur ii quos ille ſubinde nihilominus judicaturus eſſet: 3. Quod timendum eſſet, ne lapſi reconciliationis ſecuri, deſides fierent, & Fideles in lapſum proniores eſſent. Has rationes perſtringit Antonianus *apud Cyprianum*. Et vero idem Cyprianus, cum in gratiam Martyrum quibuſdam lapſis veniam in exitu concederet poſt inchoatam Pęnitentiam, *epiſt.* 52. ſatis ſignificat hanc eſſe novam & extraordinariam indulgentiam. Quinto Libellatici, id eſt, ii qui pretio ſe redimentes judicibus libellos dabant, aut ab iis accipiebant, teſtantes Imperatorum edicto ab his & illis Chriſtianis eſſe ſatisfactum, cum id tamen falſum eſſet; ii, inquam, libellatici vix a ſacrificatis, & thurificatis, hoc eſt iis qui thus idolis reipſa adoleverant, in Pęnitentiæ legibus ſecernebantur; quod perhibet Antonianus apud ſanctum Cyprianum *ibid. epiſt.* 52. " Nec tu exiſtimes, „ inquit Cyprianus Antoniano, libellaticos cum ſacrificatis æquari oportere. " Sexto denique, ſanis quidem, at non moribundis, Pęnitentia concedebatur. Hic erat tum Pęnitentiæ ſtatus.

Cum autem coorta eſſet perſecutio Deciana, quæ ingentem fidelium numerum proſtraverat, & lapſi, atque ii præſertim quos Martyres commendaverant, communionem ſtatim ſibi reſtitui certatim vellent; id primo prohibuit omnino Cyprianus, nec ulli voluit tribui pacem: tum quia eam plerique nulla prævia Pęnitentia extorquebant; tum quia aliis, qui forte eam ſponte ſuſcepiſſent, ſolemni more imponi non poterat, nec intra paucos dies abſolvi; in quo antiquæ diſciplinæ inſiſtebat. Deinde vero non nihil eſſe indulgendum ratus Martyrum libellis, eo ſe inflexit erga eos qui a Martyribus libellos obtinuerant, ut veniam acciperent in extremo ſpiritu, ſi Pęnitentiam ante inchoaſſent, quamvis nondum eam peregiſſent: Quod enim aliquam ab iis Pęnitentiam repoſceret, imo & Pęnitentiam Satisfactioni proximam, patet ex *epiſt.* 11. & *aliis*: quod & Tillemontius, & auctor Bibliothecæ eccleſiaſticæ *in ſua ad Benedictinos de Cypriano reſponſione*, probant. " Peto, „ inquit Cyprianus, ut eos quos ipſi videtis, ... quorum Pęnitentiam Satisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libel-

„ lo, "

„ lo. “ Quod autem ſpectat ad alios, qui hujuſmodi libellis non erant adjuti, eos *uni Deo permiſit*; contra quam Clerus Romanus ex peculiari Eccleſiæ ſuæ conſuetudine *epiſt.* 31. cenſuerat. Omnes enim ſine ulla exceptione, qui Pęnitentiam inchoaſſent, in exitu eſſe venia donandos definit: quod Cyprianus, ex ſeveriori Africæ diſciplina, ad eos qui fulti erant libellis Martyrum reſtrinxit.

Tandem finita perſecutione plena in ſynodo definitum eſt, 1. ut omnibus agendæ ſtatim Pœnitentiæ facultas daretur: 2. ut libellatici non ſolum a ſacrificatis ſecernerentur; ſed etiam illico reciperentur, ſi Pęnitentiam inchoaſſent. Hæc enim benignitas ad hos ſolos qui Pœnitentia jam pro virili functi eſſent, pertinebat; ut notant Tillemontius & auctor Bibliothecæ eccleſiaſticæ, & colligitur ex Cypriano ipſo in libro *de lapſis*, ubi reliquos ad Pœnitentiam hortatur: 3. ut thurificati agerent Pœnitentiam plenam per certum ac fixum temporis ſpatium, quo elapſo, etiam ante mortis punctum, pace eccleſiaſtica potirentur. Quod enim certum ac definitum ad Pœnitentiam tempus aſſignatum ſit, poſt quod illi reconciliarentur, conſtat; tum quia Cyprianus *epiſt.* 52. aſſerit ibi fuiſſe edictum, “ Ut examinarentur cauſæ „ & voluntates & neceſſitates ſingulorum, ſecundum quod libello contineretur. “ Quorſum enim iſtud examen? Quo hic libellus, ſi omnium eadem menſura fuit? tum quia *epiſt.* 59. objurgat Therapium epiſcopum, quod Victorem quemdam Presbyterum, contra Synodi decretum, ad communionem admiſiſſet ante legitimum Pœnitentiæ tempus: 4. ut ſi quis e thurificatis in ipſo Pęnitentiæ ſtadio infirmitate aliqua gravi corriperetur, ei Abſolutio tribueretur, etiamſi nondum integram Pœnitentiam peregiſſet: 5. ut extrema duo vitarentur; unum Novatiani, qui omnes lapſos ab omni ſpe pacis arcebat; alterum quorumdam e clero, qui ſine ulla Pœnitentia eoſdem in Eccleſiæ ſinum accipiebant: 6. ut ſi quis in extremo tantum morbo ad Pęnitentiam confugeret, venia careret. Hæc duo poſtrema capita definitionis erant ex veteri diſciplina: cetera, totidem ejus laxamenta.

Quibus poſitis, jam omnia prona ſunt ac per ſe fluunt. *In epiſt.* 52. Antonianus hac diſciplinæ mutatione commotus, objiciebat 1. inconſtantiam Cypriano, qui cum evangelicum vigorem olim & inter initia perſecutionis defendiſſet, hoc eſt, nemini pacem dare voluiſſet ante Pœnitentiam omni ex parte completam, jam & cum libellaticis, & cum ſacrificatis in exitu, nondum juſta Pœnitentia functis, communicaret: 2. quod non tantum pacem, ſed etiam Pœnitentiam laxaſſet: 3. & quidem potiſſimum, quod lapſis in exitu ante peractam Pęnitentiam dando veniam, jam communicaretut cum hominibus non expurgatis, & præjudicaretur Domino: 4. quod libellaticos inter & ſacrificatos latum diſcrimen conſtitutum eſſet: 5. quod, dum venia concederetur poſt certum ac breve Pęnitentiæ tempus, timendum eſſet ne martyria deficerent.

RES-

Respondet Cyprianus ad ſingula: ad primum, non eſſe inconſtantiam, ſed prudentiam. Se itaque primo cum lapſis communicare noluiſſe inter initia perſecutionis, quando adhuc erat unde non tantum indulgentiam, ſed & coronam lapſus acciperet; deinde vero remiſiſſe ſe aliquid ex iſta ſeveritate; ſed neceſſitate coactum, & ad Cleri Romani exemplum, nec non & in gratiam Martyrum, lapſis pro quibus illi rogaverant, communionem concedendo, ſi Pœnitentiam inchoaſſent: denique ſi quid perſecutione ſopita novaverit, ſive in Pœnitentia omnibus laxanda, ſive in libellaticis illico recipiendis, ſive in aſſignando thurificatis ad promerendam pacem certo tempore, ſive in venia illis ſub ictum mortis tribuenda, id factum eſſe ex totius Synodi decreto & eccleſiæ Romanæ conſenſu, idque gravibus ac juſtis de cauſis; tum quia ingens erat lapſorum multitudo; tum quia Schiſmatici quidam erant, qui eos in ſuas partes inſidioſa facilitatis oſtentatione pellicerent: ſe itaque in his neceſſitati temporum ſuccubuiſſe. Ceterum libellaticos recte a thurificatis diſtinctos eſſe, ut pote longe minoris criminis reos. Quod autem ægre ferret Antonianus communionem cum lapſis Pœnitentia nondum plane expurgatis, id quidem grave eſſe; ſed eos a ſe poſt pacem datam ſuffocari aut opprimi non poſſe: nec vero præjudicari Domino deinceps judicaturo; quia Deus, cum ſit rerum omnium ſummus arbiter, ratam non facit Pœnitentiam, niſi quæ plena ac juſta ſit; tandem non eſſe timendum ne martyria deficiant, ex eo quod lapſis venia concedatur poſt certum temporis intervallum; quandoquidem virginitas non deficiebat, etiamſi mœchis, quibus certum Pœnitentiæ tempus fixum erat, indulgeretur.

Non negamus igitur quandam tunc temporis in Eccleſiam eſſe invectam novitatem, quoad veniæ facilitatem: in eo novitas ſita fuit, quoad decretum fiduciarium, quod lapſis qui Martyrum libellos offerebant, ſit data pax in exitu ante integram Pœnitentiam: quoad peremptorium autem poſt redditam Eccleſiæ pacem, in eo quod 1. laxata ſit omnibus Pœnitentia: 2. data ſine mora ſit libellaticis venia, cum nondum Pœnitentiam abſolviſſent: 3. fixum fuerit thurificatis certum Pœnitentiæ tempus: 4. quod iis etiam in exitu ſubventum ſit ante emenſum totius Pœnitentiæ curriculum. Sed in eo novitas non fuit, quod venia iis concedi cœpta ſit quibus antea prorſus negaretur.

Instabis. Cyprianus *ibid.* ait, ſe " Temperamentum quoddam ſalubri moderatione libraſſe, ut nec in totum ſpes communicationis „ & pacis lapſis denegaretur, nec tamen .... ad communionem temere proſilirent; ſed traheretur diu Pœnitentia &c.

Respondeo hoc temperamentum non fuiſſe inter veterem & novam Eccleſiæ diſciplinam, (quaſi antiquam Cyprianus deſeruiſſet, & aliam induxiſſet;) ſed inter duo extrema ſchiſmata, quibus Eccleſia tum ſcindebatur: hinc enim erant Novatiani, qui lapſis omnem

veniæ

veniæ ſpem adimerent ; inde vero certi Presbyteri vitæ ſolutioris, qui lapſos temere & ſine ulla prævia Pęnitentia admitterent. Inter utroſque mediam viam tenuit Cyprianus.

Quibuſnam Abſolutio jam concedenda ſit.

Poenitentiæ ſacramentum petunt, vel ſani, vel moribundi. De utriſque ſeorſim agemus.

De iis qui ſani ad Pœnitentiæ ſacramentum accedunt.

Difficultas eſſe poteſt de iis qui aut nondum omnem exuerunt peccandi affectum, aut peccandi conſuetudine obſtricti ſunt, aut in peccata quæ ſæpe jam confeſſi ſunt, ſemper relabuntur, aut in occaſione peccandi verſantur, aut denique præſcriptis ſibi a Sacerdote remediis nolunt uti.

Quæres itaque 1 an iis concedenda ſit Abſolutio, qui adhuc in affectu peccati lethalis hærent.

Respondeo non eſſe concedendam : quia tunc vera non eſt animi contritio, nec ſincerus de peccato dolor, qui ad remiſſionem peccatorum ſemper neceſſarius fuit.

Hoc autem in luto hærere cenſendi ſunt, qui æs alienum contra fas retinent ; qui illatas injurias reſarcire detrectant ; qui renuunt ea deponere corporis ornamenta, quibus aut chriſtiana modeſtia læditur, aut aliorum pudicitia tentatur ; qui apud ſe habent turpes tabellas & imagines, &c.

Quæres 2. an ſtatim Abſolutione donandi ſint, quos diuturna hactenus peccandi conſuetudine obſtrictos videris.

Respondeo non eſſe donandos, niſi poſt certam ac neceſſariam Pęnitentiæ veræ probationem. Cujus quidem rei hæc ratio eſt ; quod iis non ſit adminiſtrandum Sacramentum, de quibus legitimus eſt dubitandi locus, an ad illud rite diſpoſiti ſint, an eorum vera ſit converſio ad Deum. Atqui jure dubitari poteſt de hujuſmodi hominibus.

Primo quia peccandi voluntas non ita facile, nec tam cito exuitur: conſuetudine enim ſic animus conſtringitur, ut injectas catenas vix ac ne vix quidem excutere poſſit. Cujus difficultatis teſtis idoneus eſt Auguſtinus *lib.* 8. *confeſſ. cap.* 5. “ Velle meum, inquit, tenebat inimicus, & „ inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex volun„ tate perverſa, facta eſt libido ; & dum ſervitur libidini, facta eſt „ conſuetudo ; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas: „ quibus quaſi anſulis ſibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus.

Secundo quia quæ poſt diuturnam conſuetudinem nova naſcitur ad rectum

rectum propenſio, infirma diu eſſe ſolet: amor porro Dei in corde dominans requiritur ad certam ac ſolidam contritionem. Idem *ibidem*. " Voluntas autem nova, inquit, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis „ colerem, fruique te vellem, nondum erat idonea ad ſuperandam prio- „ rem vetuſtate roboratam.

Quæres 3. an qui in eadem peccata lethalia, quæ frequenter confeſſi jam ſunt, ſemper relabuntur, iis Abſolutio impertienda ſit.

Respondeo non eſſe impertiendam:

Primo propter duas mox allatas rationes.

Secundo quia accedit nova etiam differendæ Abſolutionis & probandæ contritionis cauſa: nempe violatio crebra Sacramenti, quæ hactenus, ut credibile eſt, præceſſit. Hæc enim iram Dei ita incendit, ut vix ullus gratiæ ſperandæ locus ſuperſit. Lege Paulum *epiſt. ad Hebr. cap. 6.* iis qui ſpiritui gratiæ contumeliam fecerint, extrema quæque minitantem. Adde Petrum 2. *cap.* 2. *verſ.* 22. de iis qui ut canes ad vomitus redeunt. Sed præ ceteris illud expende quod ipſe Chriſtus in Evangelio de hujuſmodi hominibus pronuntiat *Matth.* 12. 45. & *Luc.* 11. 26.

Tertio quia id majores noſtri ſeveriſſime prohibuerunt. Patres Toletani *ſupra*, hunc eſſe fœdiſſimum pœnitendi morem, hanc eſſe execrabilem præſumptionem ſanciunt.

Quarto quia ſi ei qui ſæpe in eadem re mentitus ſit, deinceps non creditur in iis quæ pertinent ad humanæ vitæ ſocietatem; quanto minus in rebus divinis, ubi & majorem cautionem ipſius religionis majeſtas poſtulat, & dubium majus movet innata ad malum, & uſu atque indignatione Dei corroborata propenſio?

Quæres 4. an Abſolutio tribuenda ſit iis qui in occaſione peccandi verſantur.

Respondeo 1. duplicem peccandi occaſionem diſtingui: aliam per ſe, quæ ex natura ſua in peccatum inducit; ut apud ſe habere feminam, quicum Deum offendere ſoleas: aliam per accidens, quæ non per ſe ad peccatum inclinat, ſed habita ratione perſonarum: ſic quibuſdam perniciosa eſt alienæ pecuniæ adminiſtratio.

Respondeo 2. Abſolutionem non poſſe concedi iis qui in prioris generis occaſione verſantur; quia hoc in caſu non cenſentur illi habere firmum propoſitum non peccandi de cetero, nec, ut par eſt, a peccato abhorrere. Ut enim ajunt Philoſophi, Qui vult cauſam, vult & effectum.

Respondeo 3. eos qui verſantur in ea occaſione peccandi, quæ per accidens tantum eſt cauſa peccati, non eſſe venia donandos, niſi aut eam deſeruerint, aut ſe per certi temporis ſpatium probaverint atque emendaverint: quia nimirum quæ per ſe mala non ſunt, debent quidem deſeri, ſi habita ratione vitii perſonæ, nulla ſpes correctionis aſfulgeat; poſſunt autem libere exerceri, ſi quis futuræ deinceps melioris vitæ fidem probabilem, ſuâ per aliquod tempus in recto conſtantia, faciat.

Quæres 5. an ille a peccatis abſolvi debeat, qui præſcriptis ſibi remediis nolit uti.

Respondeo non eſſe abſolvendum: quia is jure exiſtimatur peccatum non ſatis fugere. Qui enim finem aliquem aſſequi cupit, is media ad finem apta uſurpare non detrectat.

Qui porro de his accuratiorem diſputationem habere voluerit, adeat illuſtriſſimum epiſcopum Caſtorienſem *libro 2. de Amore Pœnitente;* Genetium Vaſenſium epiſcopum *in Theologia morali*; Merbeſium *in ſumma;* Macharium Havermans in peculiari de hoc argumento *diſſertatione*; Jueninum *de Pœnitentia;* & Natalem Alexandrum *in Theologia morali.*

Qui autem regulas in ipſo uſu ſequendas noſſe optaverit, conſulat S. Carolum Borromæum, præſertim *in inſtructione Confeſſariorum*, quam aſcivit Clerus Gallicanus; & *Pœnitentiæ Praxim* Gallice editam ab uno e noſtris *, viro in his exercitatiſſimo, ad uſum Eccleſiæ Virdunenſis. His enim nihil ſanctius, nihil enucleatius, nihil prudentius.

De moribundis quibus eſt adminiſtrandum Pœnitentiæ ſacramentum.

Cum eorum qui peccata ſua confiteantur ſatis aperta cauſa ſit, controverſia ſolum reſtat de iis qui vocis uſu deſtituti ſunt.

Quæres 1. an qui voce peccata ſua confiteri non poſſunt, ſed ante ſignificarunt confiteri ſe velle, aut qui nutu id teſtantur, ſint Abſolutione donandi.

Respondeo eſſe donandos qui confeſſionis ac Pęnitentiæ votum teſtati ſunt; ex Concilio Carthaginenſi IV. *can. 76.* " Is, inquit, qui „ Pęnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos in„ vitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim ver„ ſus fuerit; dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat Pęniten„ tiam: &, ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus im„ poſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. " Idem ſtatuunt ſynodus Arauſicana I. *can. 12.* & S. Leo *epiſt. ad Theodorum Forojulienſem.*

Abſolutionem quoque iis eſſe impertiendam qui nutu deſiderium ipſius ſignificant, cum ex iiſdem teſtimoniis evincitur, tum ex communi uſu ac ſententia omnium. Hanc autem Abſolutionem eſſe Sacramentalem, contra Dominicum Soto cuncti ſtatuunt.

Quæres 2. an publicis peccatoribus, qui nullo dato Pęnitentiæ ſigno obmuteſcunt, venia ſit impertienda.

Respondeo non eſſe impertiendam: quia homo talis eſſe præſumitur, qualis ſemper fuit, quandiu aliud non apparet.

Nec dicas Auguſtinum *in libro 1. de adulterinis conjugiis cap. ult.* edicere, ut Cathecumeni, qui palam ac publice vitam turpem duxerant, Baptiſ-

* Ludovico Habert.

Baptiſmo donentur, ſi vocis uſu in extremo ſpiritu deſtituti ſint.

Id enim definit Auguſtinus, quia Catechumeni Pœnitentiam ac futuram converſionem cordis ſui ad Deum ſemper præ ſe tulerant.

Quæres 3. an ii quos in ipſo peccandi actu vox deficit, v g. duello confligentes, ſint reconciliandi.

Respondeo non eſſe reconciliandos; hancque propoſitionem damnatam eſſe anno 1665. a ſacra Facultate Pariſienſi in Amadæo Guimenio.

Quæres 4. an qui vir probus eſt, aut merito talis habetur, ſi caſu ſubito ita opprimatur, ut nec voce confiteri peccata, nec nutu ſuum de iis dolorem teſtari poſſit, ei Abſolutio tribuenda ſit.

Respondeo 1. Cum Amadæus idem Guimenius ſcripſiſſet in hunc modum, " Infirmus qui amiſit loquelam vel uſum rationis, ſi bene vi„ vebat ut bonus & fidelis, ... quamvis non petierit Sacramenta, quia „ ex inſperato talia acciderunt, debet præſupponi contritus; & faciente „ aliquo confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos „ faciat Abſolutionem ab omni ſententia & peccato: " atque adeo iis verbis neceſſitatem imponeret Sacerdotibus omnes hujuſmodi homines abſolvendi; ſacra Facultas Pariſienſis ſic cenſuit de iſta propoſitione: " „ Doctrina hujus propoſitionis, inquit, univerſe & abſolute ſumpta, „ eſt in praxi periculoſa.

Dicitur autem *abſolute & univerſe in praxi periculoſa hæc doctrina*, quia multi ea abuti poſſunt ad Abſolutionem quibuſvis leviter & temere concedendam; præſertim ſi neceſſitas Sacerdotibus incumbere cenſeatur Abſolutionem impertiendi. Conſule Genetium *in Theologia morali*.

Respondeo 2. quod, cum hæc cenſura rem non ſpectet niſi univerſe & abſolute, & neceſſitatem potiſſimum impetat ab Amadæo Guimenio impoſitam omnibus Sacerdotibus, nonnullos etiam ex hoc ſacro ordine arbitrari a viro prudente poſſe iis in caſibus Abſolutionem tribui: cujus rei plurima afferunt momenta.

Primo Auguſtinus *lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. ult.* definit non eſſe denegandum Baptiſma Catechumenis, ſi forte in extremo morbo obmuteſcant; quamvis hactenus non caſte vixiſſent. Hujus autem ſententiæ ſuæ plurimas adducit cauſas: 1. eſt, Quod incredibile ſit, eos „ nec in fine baptizari voluiſſe: 2. quod, etiamſi voluntas incerta eſ„ ſet, multo ſatius ſit nolenti dare, quam volenti negare. " Poſtea vero ſic addit: " Quæ autem Baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cau„ ſa, ſi forte Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: nec „ ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet mater Ec„ cleſia. " Quis enim non videt hæc eadem, & multo quidem magis, dicturum fuiſſe Auguſtinum de eo quem hic inducimus? An non enim Eccleſiæ Deoque charior eſt homo vere chriſtianæ vitæ, quam malus Catechumenus? An non auxilia ſibi pro tempore neceſſaria longe potiori jure repoſcit & flagitat qui ad Chriſti leges ſuam vitam exigit, quam al-

terius qualiſcunque profeſſio? Si Catechumenus baptizandus eſt, quia credibile eſt eum in fine baptizari voluiſſe; quanto certius id in eum de quo agimus? Si, ubi incerta eſt voluntas, ſatius eſt nolenti dare quam volenti negare; ubinam hoc potius, quam in hoc quem proponimus caſu, uſurpandum eſt?

Secundo Sacerdotale Romanum Venetiis excuſum an. 1560. id aperte decernit. " Infirmus, inquit *fol.* 62. aut jam amiſit loquelam, vel „ uſum rationis, puta quia phreneticus; aut non. In primo caſu, ſi „ bene vivebat ut bonus fidelis, & frequentabat confeſſionem & com- „ munionem & hujuſmodi, quamvis non petierit Sacramenta quia ex „ inſeparato talia acciderunt, ... faciente aliquo confeſſionem gene- „ ralem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat Abſolutionem ab „ omni ſententia & peccato: & poteſt injungere circumſtantibus ali- „ quid pro eo faciendum, vel heredibus aut conſanguineis pro ejus ani- „ ma, ſi volunt acceptare. Deinde debet dari ei Euchariſtia, quamvis „ non ſit confeſſus.

Tertio Clemens VIII. cum quidam ex fabrica D. Petri præceps ruiſſet, ipſi, cum caderet, Abſolutionem dedit, dicens: *Si es capax, abſolvo te a peccatis tuis.* Id refert, præter alios pleroſque, Homobonus *in examine Eccleſiæ, parte* 1. *tract.* 7. *cap.* 18. *quæſt.* 84.

Quarto Synodus Lemovicenſis an. 1619. *in decreto*, cui ſubſcripſere Abbates undecim, Decani tres, Præpoſiti ſeptem, Priores decem, Archipresbyteri decem, id etiam ſancit: " Poterit quoque, inquit, idem „ applicari remedium (Abſolutionis) ei qui judicio omniumque ſen- „ ſuum uſu ſtatim captus eſt, non petita Pœnitentia, nulloque ſigno „ contritionis edito, cum .... ferri poteſt judicium ex actionibus vi- „ tæ & moribus, eum libenter Pœnitentiæ ſacramentum petiturum fore, „ ſi tempus & morbi violentia permiſiſſent; licet hoc in caſu nihil de „ Abſolutionis effectu promittere poſſimus. Sed ... nullum remedium „ omittere debemus quod Deus poteſtati noſtræ commiſit: Deum oran- „ tes, ut immenſa bonitate quod deeſt ægrotorum diſpoſitioni ſuppleat, „ cetera inſcrutabilibus Dei judiciis commendantes.

V. Gregorius XV. anno 1623. idem docuit cum adhuc eſſet archiepiſcopus Bononienſis *in memoriali cap.* 1. *de forma ſacram. Pœnitentiæ*, idque ex Sacerdotali Romano & ſententia S. Antonini: " Licet, in- „ quit, abſolvere moribundum, etiamſi nullum Pœnitentiæ ſignum det „ in præſentia Confeſſarii; ſi tamen aliquis teſtetur eum oſtendiſſe con- „ fitendi deſiderium. Ita docet Rituale Pauli V. Imo addit Sacerdota- „ le Romanum ex doctrina D. Antonini, poſſe etiam abſolvi mori- „ bundum aſſuetum frequentare confeſſionem, quamvis, repentino caſu „ oppreſſus, Sacramentum non petierit.

Sexto ita cenſent 1. Academia Lovanienſis, teſte Havermano in ſuo *de Abſolutione* libello; 2. Joannes Heſſelius Theologus Lovanienſis 2. *par. catechiſmi*, *cap.* 55. 3. Jacobus Baius *libro* 2. *inſtit. cap.* 9. 4. Morinus

rinus *lib.* 16. *cap.* 10. a pluribus noſtri ordinis Doctoribus approbatus; 5. Genetius *in Theologia morali*, a multis Cardinalibus tum in Galliis tum Romæ laudata; 6. Huygens *Methodi tract.* 3. 7. Merbeſius *in ſum.* 8. Havermans *in exam. Pentalogi diaphor.*

Septimo ratio multiplex ſuffragatur : 1. enim juxta communem Theologorum ſententiam, nutus ſufficit ad ſuſcipiendam Abſolutionem : ergo multo magis chriſtiana vita : hujus enim quam alterius longe certius eſt, ac ipſis etiam ſenſibus magis obvium teſtimonium. 2. In ejuſmodi dubio illud eſt probabilius quod hominis ſaluti conducibilius eſt; niſi quid indubitatum obſtet. 3. Sacramenta in gratiam hominum inſtituta ſunt; atque adeo ſatius multo fuerit ea irrita eſſe, quam homines perire. 4. Ideo pleriſque non videtur eſſe Abſolutio hoc in caſu concedenda, quia non apparet contritio nec confeſſio ulla : quæ tamen ſunt eſſentialis Sacramenti materia. At, inquiunt, certum non eſt, an non ſit alia materia : Scotiſtæ enim totum Sacramentum in Abſolutione collocant ; alii vero materiam eſſe ſtatuunt impoſitionem manuum, aut ipſum hominem; denique ipſi Pœnitentis actus merito præceſſiſſe cenſentur. Ergo.

Sic illi Theologi, quorum ſententiam peritiorum judicio relinquimus.

NEC dicas Extrema-unctione huic homini ſuccurri poſſe:

Primo enim multi caſus contingunt, in quibus Extrema-unctio adminiſtrari non poteſt.

Secundo non uſquequaque certum eſt Extrema-unctione deleri poſſe peccata lethalia. Sunt enim tantum duo ſacramenta mortuorum; Baptiſmus & Pœnitentia.

NEQUE vero adjicias canones teſtimonia exigere : v. g. canon 76. concilii Carthaginienſis.

NAM loquitur hæc Synodus de peccatoribus, qui Pœnitentiam hactenus publicam detrectarant, & morbo correpti Pœnitentiam demum poſtulabant

ARTICULUS III.

Quandonam olim concederetur Abſolutio & hodie concedenda ſit.

Quandonam olim concederetur Abſolutio.

QUÆSTIO multiplex hic inſtituitur : 1. an poſt expletam duntaxat ſatisfactionem, Abſolutio quondam tribueretur extra caſum neceſſitatis : 2. an, cum publica erat Pœnitentia, in limine Conſiſtentiæ ſtationis concedi ſoleret ; an ſolum ad ejus finem, cum Euchariſtiæ copia fieret : 3. an idem uſurparetur etiam in Pœnitentia privata : ita ut, ex-

tra caſum neceſſitatis, ſacramentalis Abſolutio ab Euchariſtiæ communione non ſejungeretur.

ASSERTIO PRIMA.

Ad ſeptimum uſque ſæculum non videtur fuiſſe conceſſa Abſolutio, extra caſum neceſſitatis, niſi poſt expletam omnem Pœnitentiam.

Probatur 1. ex triplici controverſia quæ olim in Eccleſia fuit: 1. Catholicos inter & Montaniſtas: 2. Cyprianum inter & lapſos: 3. Eccleſiam inter & Novatianos. Nam 1. Montaniſtæ in eo cum Catholicis conſentiebant, quod poſt confeſſionem Pœnitentiam imponerent; in eo vero diſſidebant, quod poſt Pœnitentiæ labores veniam non impertirentur: inde Catholici apud Tertullianum *de pudicitia cap.* 3. arguebant; " Fruſtra agi Pœnitentiam, ſi caret venia. " 2. Cyprianus hoc ferre non poterat in lapſis, quod ante actam Pęnitentiam pacem repoſcerent; ut patet *ex epiſt.* 10. 11. 12.*&* 13. hoc reprehendebat in Epiſcopis, quod lapſos, ante legitimum Pœnitentiæ tempus elapſum, reconciliarent; *epiſt.* 59. 3. Cyprianus idem *epiſt.* 52. Pacianus *epiſt.* 1. *ad Sempronium*; Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnitentia cap.* 16. & *lib.* 2. *cap.* 9. hoc velut intolerabile in Novatianis notant, quod Pęnitentiam injungerent, & Pęnitentiæ fructum ſubtraherent. " O fruſtrandæ, inquit Cy„ prianus, fraternitatis irriſio! o miſerorum lamentantium caduca de„ ceptio! . . . Hortari ad ſatisfactionis Pęnitentiam; & ſubtrahere de „ ſatisfactione medicinam: dicere fratribus noſtris; Plange & lacrymas „ funde, ... ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris: quæcun„ que ad pacem pertinent, facies; ſed nullam pacem, quam quæris ac„ cipies . . . . Operari tu putas ruſticum poſſe, ſi dixeris: Agrum . . . „ exerce; . . . ſed nullam meſſem metes . . . . Præcludere eſt . . . pœ„ nitendi viam, ut . . . . dum fructus Pęnitentiæ intercipitur, Pęniten„ tia ipſa tollatur . . . . Admittendus eſt plangentium gemitus, & Pę„ nitentiæ fructus dolentibus non negandus. " Ergo hæc pervulgata erat apud omnes diſciplina, ut non niſi poſt emenſum Pęnitentiæ curriculum, reconciliatio concederetur.

Probatur 2. ex epiſtolis canonicis Gregorii Thaumaturgi, Gregorii Nyſſeni, Baſilii, & iis tum Patribus tum Conciliis, quæ varias Pęnitentibus decurrendas ſtationes aſſignant. Qui enim tres priores emetiebantur, ii extra Eccleſiam ejiciebantur, nec in oratione quidem cum fidelibus conſiſtere iis licebat. An autem ita dure actum eſſet cum iis qui jam eſſent juſtificati? an e templo expellerentur qui templum eſſent Spiritus-ſancti? an qui Dei filius & heres eſſet, a ceterorum ſocietate, ut omni eorum communione indignus, ejiceretur? an quos Sacramento dignati fuiſſent, eos a precibus ſejunxiſſent? Ergo Abſolutio ſacramentalis initio hujus curriculi non concedebatur.

Probatur 3. non paucis veterum teſtimoniis.

Zephy-

Zephyrinus ſummus pontifex, ſeu quis alius, ***apud Tertullianum libro*** *de pudecitia*, *ſupra*, *pag.* 816. " Ego, inquit, & mœchiæ & fornicationis delicta Pœnitentia functis dimitto.

Tertullianus ipſe in libro *de Pœnitentia cap. 6.* " Quam porro ineptum, quam iniquum, Pęnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere? hoc eſt, pretium non exhibere; ad mercem manum emittere .... Si ergo qui venditant, prius nummum quo paciſcuntur, examinant, ne ſcalptus, neve raſus, neve adulter; etiam Dominum credimus Pęnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem, perennis ſcilicet vitæ, conceſſurum.

Cyprianus *epiſt.* 11. de iis qui ante expletam Pęnitentiam pacem ſibi reſtitui flagitabant, " Nemo, inquit, adhuc importuno tempore poma decerpat: nemo navem ſuam quaſſatam & perforatam fluctibus, priuſquam diligenter refecit, in altum denuo committat. " *Ibidem* invehitur in Confeſſores, qui libellos communicationis lapſis generaliter concedebant, his verbis: " Communicet ille cum ſuis. " Et docens quibus concedendi ſunt libelli hujus generis, ait iis dandos, qui Pęnitentiam ſuam prope abſolverint: " Ideo peto, inquit, ut eos quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum Pœnitentiam SATISFACTIONI PROXIMAM conſpicitis, deſignetis nominatim libello. " Et *epiſt.* 10. " Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores Pęnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant; nunc .... ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum; & NONDUM POENITENTIA ACTA, ... nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſita, Euchariſtia illius datur. " *Epiſt.* 59. " Legimus litteras tuas, frater chariſſime, quibus ſignificaſti de Victore quodam Presbytero, quod ei, ANTEQUAM POENITENTIAM PLENAM EGISSET, & Domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temere Therapius collega noſter immaturo tempore & præpropera feſtinatione PACEM DEDERIT. Quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe a decreti noſtri auctoritate, UT ANTE LEGITIMUM ET PLENUM TEMPUS SATISFACTIONIS, ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente ac neceſſitate cogente, PAX EI CONCEDERETUR.

Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnitentia*, *cap.* 16. contra Novatianos, " Fruſtra dicitis, inquit, vos prædicare Pęnitentiam, qui tollitis fructum Pęnitentiæ: " *Lib.* autem 2. *cap.* 3. " Nonne, inquit, advertitis... quod emerendi gratia Sacramenti ad precandum impellimur? Et hoc auferre vultis propter quod agitur Pęnitentia. " Ergo Abſolutio erat finis, fructus & merces actæ Pęnitentiæ. Namque Novatiani tollebant id propter quod agebatur Pœnitentia. Atqui tollebant Abſolutionem. Ergo.

Pacianus *epiſt.* 1. *ad Sempron.* " Scio, inquit, frater, hanc ipſam Pę-

„ tentiæ veniam non paſſim omnibus dari, nec antequam aut inter-
„ pretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari, ma-
„ gno pondere magnoque libramine, poſt multos gemitus effuſionem-
„ que lacrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ Pęni-
„ tentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet.

Siricius papa *epiſt.* 1. *cap.* 3. de lapſis, " Si reſipiſcentes, inquit, for-
„ te aliquando fuerint ad lamenta converſi, his quandiu vivunt agen-
„ da Pœnitentia eſt, & in ultimo fine ſuo reconciliationis gratia tri-
„ buenda.

Innocentius I. *epiſt.* 1. *cap.* 7. " Ceterum de pondere æſtimando deli-
„ ctorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem Pœni-
„ tentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis; & tunc jubere dimit-
„ ti, cum viderit congruam ſatisfactionem.

S. Leo *epiſt. ad Theodorum Forojulienſem*, " Mediator Dei & homi-
„ num Chriſtus Jeſus, inquit, hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit pote-
„ ſtatem, ut & confitentibus actionem Pęnitentiæ darent, & eoſdem
„ ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per
„ januam reconciliationis admitterent.

Sozomenus *hiſt. lib.* 7. *cap.* 16. de Pęnitentiæ more apud Romanos
differens, poſtquam deſcripſit quomodo imponeretur, " Privatim dein-
„ de, inquit, ſponte ſua quiſque vel jejuniis .... vel aliis, quibus
„ juſſus eſt, modis, ſemetipſum affligens, tempus expectat, in quantum
„ Epiſcopus præſtituit; elapſo demum, a peccatis abſolvitur, & popu-
„ lo in Eccleſia conjungitur.

Gennadius *de dogmatibus eccleſiaſticis cap.* 53. " Quem, inquit, mor-
„ talia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publi-
„ ca Pęnitentia ſatisfacere; & ita Sacerdotis judicio reconciliatum,
„ communioni ſociari, ſi vult non ad judicium & condemnationem
„ ſui Euchariſtiam percipere.

Concilium Toletanum III. *can.* 11. poſtquam querelas inſtituit de fę-
diſſimo pœnitendi more, qui jam invaluerat, " Jubetur, inquit, ut
„ ſecundum formam antiquorum canonum detur Pœnitentia: .... ex-
„ pleto autem Satitfactionis tempore, ſicut ſacerdotalis contemplatio
„ probaverit, eum communioni reſtituat.

Gregorius Magnus *hom* 26. *in Evangelia* in hæc verba: *Quorum re-
miſeritis, &c.* " Videndum eſt, inquit, quæ culpa præceſſit, aut quæ
„ ſit Pœnitentia ſecuta poſt culpam; ut quos omnipotens Deus per
„ compunctionis gratiam viſitat, illos paſtoralis ſententia abſolvat.
„ Tunc enim veræ eſt Abſolutio præſidentis, cum æterni arbitrium ſe-
quitur judicis.

Eligius *hom.* 4. *in Cœna Domini*. " Qui ergo ex vobis, inquit, per
„ Pęnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerint, ... non
ſe a nobis reconciliari exiſtiment.

PROBATUR. 4. ex vulgato ritu Pęnitentiæ imponendæ & reconcilia-
tionis

tionis tribuendæ, etiam ſequentibus ſæculis. Nam initio Quadrageſimæ imponebatur Pœnitentia, & reconciliabantur Pœnitentes in Cœna Domini.

Probatur 5. autoritate ac judicio plurium ex ſuperioribus ſæculis doctorum virorum. Ita enim fieri ſolitum ſentiunt, & pro indubitato habent, auctor *Enchiridii Colonienſis* an. 1536. Oſius *de confeſſione catholicæ fidei cap.* 48. Marianus Victorius *de Sacramento confeſſionis cap. 16.* Bellarminus *lib.* 4. *de Pœnitentia cap.* 5. Maldonatus *lib.* 2. *de Sacram. cap.* 2. Eſtius *in* 4. *diſt.* 15. *ſect.* 15. Hugo Menardus *ad Sacramentarium Gregorii*; Albaſpinæus *in obſervationibus*, Morinus *lib. 9. de Pœnitentia*; Caſtorienſis *lib.* 2. *&c.*

Neque dicas duplicem extitiſſe tunc temporis Abſolutionem: unam ſacramentalem, quæ in ipſo limine Pœnitentiæ concederetur; cæremonialem alteram, quæ ad finem ſtadii ſervaretur: prima reconciliatos eſſe cum Deo Pœnitentes; altera, cum Eccleſia: priorem ſecretam fuiſſe; aliam publicam.

Primo enim hanc fictitiam diſtinctionem explodunt illi omnes eruditi, quos modo laudabamus, in antiquitate profecto verſatiſſimi. Eſtius ait "Non eſſe audiendos, qui ex ſua potius imaginatione, quam ex „ ulla antiquitate, aſſerunt etiam olim Eccleſiam ſolere omnes Pęnitentes abſolvere, antequam ſatisfactionem ſubirent; ſed Abſolutione „ ſecreta." Maldonatus. "Qui ignorat, inquit, ad finem Pęnitentiæ „ datam eſſe Abſolutionem ſacramentalem, ignorat totam antiquitatem.

Secundo de ea Abſolutione ſermo erat apud Patres, quam Montaniſtæ & Novatiani tollebant. Atqui illi tollebant Abſolutionem ſacramentalem. Ergo.

Tertio de ea loquuntur Abſolutione, qua non data, fruſtra agitur Pęnitentia: atqui talis ſola eſt Sacramentalis.

Quarto huic Abſolutioni vim tribuunt reconciliandi cum Deo, peccata remittendi, &c. hanc autem vim habet ſola ſacramentalis Abſolutio.

Quinto hanc, quam injungebant, Pęnitentiam referebant ad culpas delendas, & gehennam extinguendam; ut ex Tertulliano & Cypriano liquet. Ergo nondum erat Abſolutione ſacramentali culpa abſterſa, nondum pęna æterna in temporalem mutata.

Sexto ideo profitentur ſancti Doctores differendam fuiſſe hanc Abſolutionem, quod Deus non tam cito gratiam reſtituat, nec ita facile homo convertatur. Ergo Abſolutionem ſacramentalem nondum conceſſerant.

Septimo incredibile eſt majores noſtros tantam pompam, tantum apparatum ad cæremonialem Abſolutionem poſtulaſſe, & in ea concedenda tam auſteros fuiſſe; Sacramentalem vero ſtatim & ſine ullo negotio tribuiſſe.

Octa-

Octavo Probabile non eſt Patres ita egiſſe erga eos quos Deo reconciliaſſent, ut eos cum Ethnicis & Judæis ſtare præciperent, & e templo ignominioſe extruderent.

Nono multis in locis non communicabatur cum iis qui in ipſo Pęnitentiæ ſtadio morte occupati, Abſolutionis hujus exortes ex hac vita diſceſſerant. Sic enim fieri ſolitum ſcribit S. Leo *epiſt.* 2. *cap.* 8. "
„ Horum cauſa, inquit, (qui Pęnitentiam accipiunt & ante commu-
„ nionem moriuntur,) Dei judicio reſervanda eſt, in cujus manu
„ fuit, ut talium obitus uſque ad communionis remedium differretur.
„ Nos autem, quibus viventibus NON COMMUNICAVIMUS, MOR-
„ TUIS COMMUNICARE NON POSSUMUS. " Quæ quidem verba uſur-
„ pantur ab Alcuino *c.* 49. *lib. de divinis officiis*. At quis putet ita actum cum iis eſſe, qui jam fuiſſent reconciliati?

Decimo hæc diſtinctio Hæreticos juvat & doctrinæ catholicæ nocet. Nihil enim aliud contendunt Hæretici quam ut hæc omnia ad cæremoniam aliquam referantur, ut Pęnitentiæ ſacramentum interimatur: vix autem alia Catholicis ſuppetunt ex antiquitate teſtimonia quibus Eccleſiæ poteſtas, & Abſolutionis neceſſitas & efficacia demonſtretur.

Quod cum ita ſit, pro certo habendum eſt, una hac Abſolutione Pęnitentes fuiſſe cum Deo ſimul & Eccleſia reconciliatos extra caſum neceſſitatis. At in caſu neceſſitatis, aliquando reconciliabantur tantum cum Eccleſia; ita Cyprianus jubet a Diaconis ſuſcipi Pęnitentes, ſi deſit Presbyter: aliquando autem tantum cum Deo reconciliabantur; ſic multa Concilia ſtatuunt ei, qui in infirmitate Pœnitentiam petit, eſſe ſubveniendum ſacramentali Abſolutione, tanquam neceſſario viatico; ita ut tamen poſtea, ſi convaluerit, Pęnitentiam expleat, ac poſtmodum reconcilietur cum Eccleſia.

OBJICIES. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 16. de presbytero Pęnitentiario loquens, ſic habet: " Ille vero pro cujuſque delicto quid facere ſingu-
„ los aut luere oporteret, interminatus, abſolvebat, ut a ſe ipſi com-
„ miſſorum pęnas exigerent.

RESPONDEO infidam eſſe verſionem; græce enim ita legi; " Abſol-
„ vebat eos poſtquam pęnas ſcelerum a ſe ipſi exgiſſent. " quo modo vertit etiam Petavius *ad Epiphanium hæreſi* 59. omnes enim græcæ editiones ſic habeant. *απέλυε παρά σφῶν ἀυτῶν τὴν δίκην ἐισπραξαμένους* Valeſius autem perperam legi vult *εἰσπραξομένους*.

QUÆRES cur majores noſtri præproperas Aſolutiones tantopere prohibuerint.

RESPONDEO diſciplinæ hujus ſuæ plures ab iis cauſas afferri, eaſque graviſſimas.

Primo eſt, Quod Deus non tam cito gratiam ſuam reſtituat. "Putaſne
„ tu, inquit Cyprianus *libro de lapſis*, Dominum cito poſſe placari?...
„ putas facile eum miſereri tui? ..... Orare oportet impenſius & ro-
„ gare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere &c. "

Cujus

Cujus difficultatis ratio repetenda eſt ex peccati, quo Baptiſmus violatur & Spiritus-ſancti gratia proculcatur, gravitate.

Secunda eſt, Quod non uno temporis puncto abſolvatur vera & ſolida ad Deum converſio. " Gratia namque, ut ait Gregorius, lux „ quædam mentium eſt, quæ non niſi paulatim creſcit uſque ad per- „ fectam diem: & ſicut exterior homo a parvis initiis ita ſenſim au- „ getur, ut evadat in virum perfectum; ita interior quoque haudqua- „ quam repente effingitur: ſua habet & rudimenta & incrementa, do- „ nec adoleſcat. " Unde Auguſtinus *tract.* 5. *in Joannis epiſtolam*, " „ Nunquid mox, inquit, ut naſcitur charitas, jam perfecta eſt? ut „ perficiatur naſcitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, „ roboratur; cum fuerit roborata, perficitur. " Idem quoque Proſper, ſeu quis alius, *lib.* 2. *de vocatione Gentium cap.* 11. " Sicut in gramini- „ bus herbarum atque lignorum quæ terra producit, ... plenum de- „ corem non ſtatim ut eduntur, accipiunt; ſed certis & ordinatis pro- „ vehuntur augmentis; .... ita & ſemina chariſmatum: .... nec facile „ reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio.

Tertia, quod brevi tempore animæ vulnera non obducantur. " Al- „ to vulneri, inquit Cyprianus *de lapſis*, diligens & longa medicina „ non deſit. Non concedit pacem, inquit idem *ibidem*, facilitas iſta, „ ſed tollit; nec cummunicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem, " „ dum imperite operit morientium vulnera, plaga lethali altis & pro- fundis viſceribus adhuc infixa.

Quarta quod rara ſit vera Pęnitentia. Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnitentia cap.* 10. " Facilius inveni, inquit., qui innocentiam ſervaverint, quam qui congrue egerint Pęnitentiam.

Quinta, quod homo ſibi ipſe hoc in negotio ſæpe imponat. " Sæpe „ ſibi de ſe mens ipſa mentitur, inquit Gregorius *Paſtoral. part.* 1. *cap.* „ 9. fitque ut aliud in imis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo „ ſuperficies cogitationis oſtendat; & fingit ſe de bono opere amare „ quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.

Sexta, quod qui ſceleris alicujus conſcius ſibi eſt, longe vehementius ſeſe acuat ad dolorem & contritionem, dum veniam nondum ſuſcepit, " Cum, ut ait Tertullianus *de Pœnitentia cap. 6.* pendente ve- „ nia pęna proſpicitur: cum adhuc liberari non meremur, ut poſſimus „ mereri: cum Deus comminatur, non cum ignoſcit .... Peccator „ ante veniam deflere ſe debet; quia tempus Pœnitentiæ idem quod „ periculi & timoris.

A S S E R T I O XII.

In publica Pœnitenti Abſolutio non videtur, niſi ad finem totius curriculi & Conſiſtentium ſtationis, conceſſa.

PROBATUR primo, quia antequam inſtituerentur illi gradus, ex omnium

omnium conſenſu pax ſimul dabatur & communio Euchariſtica, ut ex Cypriano conſtat *ſupra*, *pag.* 846. non fuit autem ratio cur id mutaretur.

Secundo S. Leo ſignificat *ſupra*, *pag.* 848. " Per januam reconci„ liationis, Pœnitentes ad communionem Sacramentorum eſſe ad„ miſſos.

Tertio S. Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnitentia*, *cap.* 3. " Sicut ergo, „ inquit, pro omnibus immolatus eſt; ita QUOTISESCUNQUE PECCA„ TA DONANTUR, CORPORIS EJUS SACRAMENTUM SUMIMUS, ut „ per ſanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio. Ergo evidentiſſime „ mandatum eſt, etiam graviſſimi criminis reis, ſi ex toto corde, & „ manifeſta confeſſione peccati Pœnitentiam gerant, SACRAMENTI „ COELESTIS REFUNDENDAM ESSE GRATIAM.

ASSERTIO III.

Octavo ſæculo ac deinceps Abſolutio concedebatur poſt aliquot annorum ſpatium, etiam ante expletam Pęnitentiam.

PROBATUR.

Primo Egbertus Eboracenſis *can.* 39. *tom.* 7. *Conciliorum*, " Pęni„ tentes, inquit, ſecundum canones non debent communicare ante „ conſummationem Pęnitentiæ: nos autem, pro miſericordia miſe„ rantis Dei poſt annum, vel duos, vel tres, licentiam damus.

Secundo Nicolaus Papa *epiſt.* 24. communionem permittit homicidæ, cui duodecim annorum Pęnitentiam injunxerat, ut poſt quinque annos priores identidem Euchariſtiam percipere poſſit.

Tertio Concilium Wormacienſe ann. 868. *can.* 20. permittit perpetuæ Pęnitentiæ addictis, ut poſt biennium, " Si Pœnitentiæ fructus in eis conſpi„ citur, corporis & ſanguinis Domini participes fiant, ut deſperantiæ „ non obdurentur caligine.

ASSERTIO IV.

Abſolutio non dabatur vulgo niſi expleta ſatisfactione, etiam cum Pęnitentia erat privata.

PROBATUR.

Primo enim pleraque a nobis modo adducta teſtimonia generalia ſunt, & ad privatam quoque Pęnitentiam pertinent. Vide Ambroſium *ſupra*, *pag.* 847.

Secundo quæ cauſæ moverunt Patres, ut Abſolutionem ita differrent, eædem in privata etiam Pęnitentia locum habent.

Tertio in Capitularibus Regum noſtrorum diſerte dicitur, Abſolutionem non niſi expleta ſatisfactione dari ſolitam, cum in privata, tum in publica & ſolemni Pęnitentia.

Lib.

Lib. 5. *cap.* 52. " Si (quis) occulte & ſponte confeſſus fuerit, oc-
„ culte fiat (manus impoſitio :) & ſi publice ac manifeſte convictus
„ aut confeſſus fuerit , publice ac manifeſte fiat , & publice coram
„ Eccleſia juxta canonicos pœniteat gradus . POST PERACTAM vero
„ ſecundum canonicam inſtitutionem , OCCULTE VEL MANIFESTE ,
„ CANONICE RECONCILIETUR.

Lib. 7. *cap.* 392. " Mulier habens virum , ſi adulterium perpetrave-
„ rit , & occulte ad confeſſionem venerit , ſeptem annis pœniteat :
„ tres in pane & aqua ; ceteros quatuor in providentia erit Sacerdo-
tis , qualiter eam viderit poſſe : & ita ei ciborum abſtinentia impo-
natur . Similiter & vir habens uxorem . . . . Si cujus uxor adulte-
„ rium perpetraverit , & hoc a viro deprehenſum fuerit , & publica-
„ tum ; dimittat uxorem , ſi voluerit , propter fornicationem : illa
„ vero , ſecundum quod ſuperius inſertum eſt , publice agat Pęniten-
„ tiam: vir vero ejus, illa vivente, nullatenus habebit licentiam aliam
„ ducere uxorem . Quod ſi voluerit adulterum ſibi reconciliari ; licen-
„ tiam habeat: ita tamen ut pariter cum illa Pęnitentiam agat, ET EXA-
„ CTA POENITENTIA AD COMMUNIONIS GRATIAM , ſicut ſuperius
„ inſertum, utrique accedant.

Quarto idem referunt plura Concilia.

Pariſienſe VI. an. 827. *lib.* 1. *can.* 46. vetat ne Clerici & Laici , Epiſcopi aut Presbyterorum ſuorum judicia declinantes , monachos Sacerdotes adeant ad confitenda peccata ; hancque ſuæ prohibitionis rationem reddunt . " Illis namque eſt confeſſio peccatorum facienda , a
„ quibus ſubinde & modus Pęnitentiæ , & conſilium ſalutis capiatur ;
„ & a quibus POST TEMPORA POENITENTIÆ PERACTA ſecun-
„ dum canonicam inſtitutionem , ſi Epiſcopus juſſerit , reconciliatio
„ mereatur.

Wormacienſe ann.868. *can.* 36. " Si vir viduam in conjugium duxerit , quæ ex priori marito filiam habuit , & cum eadem filia poſt-
„ modum concubuerit ; vir ille Pęnitentiæ ſubjaceat ſanctionibus: ita-
„ ut per triennii tempus a ſacro corpore Domini Jeſu Chriſti ſuſpen-
„ datur . Carnem non manducet , abſtineat a vino , & ſingulis die-
„ bus jejunium celebrare feſtinet , exceptis feſtis diebus atque domini-
„ cis . . . . . Similiter autem de mulieribus quæ CLANCULO patri ſe
„ in concubitu ſubſternunt & filio , obſervandum eſt . Taliter de his
„ ſancimus , qui duabus ſe ABSCONSE ſororibus pollutos cogno-
„ ſcunt.

Quandonam hodie Abſolutio concedenda ſit.

QUÆRES an debeat hoc etiam tempore vetus illa diſciplina uſurpari ; ita ut Abſolutio non niſi poſt actam Pęnitentiam tribuatur .

RESPONDEO neceſſe non eſſe . Quod enim Abſolutio præcedat vel ſequa-

equatur ſatisfactionem, res eſt meræ diſciplinæ, quæ pro temporibus ac locis varia eſſe poteſt: neque intereſt, dum præcedat cordis vera ad Deum converſio. Et vero cum hodie quis ad Sacramentum accedit, fieri poteſt ut jam congrua ſatisfactione expurgaverit peccatum, & animi ſui veram contritionem non dubiis ſignis fecerit manifeſtam. Quis autem hujuſmodi Pœnitentem in longum adhuc tempus remittat?

Quæres 2. an is, qui olim vigebat, Pęnitentiæ ordo ſit magis naturalis.

Respondeo multis ita videri: de quo Lindanus *ſupra*, & Doctores Sorbonici in cauſa illuſtriſſimi Pontiopoleos epiſcopi, *ad proſitionem* 10.

Quæres 3. an, cum dubia eſt hominis ad Deum ex toto corde converſio, ea per aliquod tempus tentari ac probari debeat.

Respondeo oportere; & his quidem de cauſis, quæ majores noſtros impulere ut Abſolutionem procraſtinarent diutius: illæ enim non aliquorum duntaxat, ſed omnium temporum ſunt.

Quæres 4. an ſalutares ſint præproperæ, quæ in uſu frequentiſſimo ſunt, Abſolutiones.

Respondeo eas eſſe pernicioſiſſimas, cum Sacerdotibus, tum etiam Pęnitentibus, ut ait Cyprianus in hunc modum: " Hoc ſunt ejuſmodi lapſis, inquit *in lib. de lapſis*, quod grando frugibus; quod turbi„ dum ſidus arboribus; quod armentis peſtilens vaſtitas; quod navi„ giis ſæva tempeſtas. " De ipſa autem Abſolutione: " Irrita & „ falſa pax, inquit *ibid.* periculoſa dantibus, & nihil accipientibus „ profutura. " Vide & Clerum Romanum *epiſt.* 31. & alios paſſim Eccleſiæ Doctores, quibus hoc malum viſum eſt longe maximum. Adde recentiores, qui de hac perverſitate ac facilitate tam flebiliter conqueſti ſunt, Carolum Borromæum, Marianum Victorium & reliquos, inprimis autem Bellarminum, qui *ſerm.* 8. *de Adventu:* " Non „ eſſet, inquit, hodie tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta „ facilitas abſolvendi. " Ne prætermittas autem Caſtorienſem Epiſcopum, qui *lib.* 2. tam docte, quam pie in hoc argumento verſatus eſt.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De ſacramento Pœnitentiæ Miniſtro generatim.

ASSERTIO.

SOlus Sacerdos eſt Miniſter legitimus ſacramenti Pęnitentiæ.

Probatur primo ex Scripturis. Non enim omnibus, ſed Apoſtolis ſolis, dictum eſt a Chriſto: *Accipite Spiritum-ſanctum; quorum, &c.* Atque adeo hæc poteſtas non quibuſvis, ſed ſolis Apoſtolorum ſucceſſoribus, hoc eſt Sacerdotibus, conceſſa eſt.

Secundo ex Traditione, Scripturarum interprete.

Clemens, ſeu quis alius, *in epiſt. ad Jacobum Fratrem Domini*, "Si forte, „ inquit, in alicujus cor, vel livor, vel infidelitas latenter irrepſerit; non „ erubeſcat.... confiteri hæc ei qui præeſt.

Origenes *homil. 2. in Levit.* " Eſt adhuc, inquit, ſeptima peccatorum remiſſio, ... cum peccator non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum.

Cyprianus *de lapſis*, " Quanto, inquit, & fide majores, & timo- „ re meliores ſunt, qui, ... quoniam ..... de hoc (idolola- „ triæ facinore) vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei „ dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt; „ .... ſcientes ſcriptum eſſe: *Deus non deridetur* .... Confiteantur „ ſinguli, quæſo vos, fratres dilectiſſimi, delictum ſuum; dum.... „ remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt..... Pęni- „ tenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere (Deus;) poteſt „ in acceptum referre quidquid pro talibus & petierint Martyres & fece- „ rint Sacerdotes.

Athanaſius, ſeu quis alius, in illa verba: *Profecti in pagum:* "Si „ nondum ſoluta ſunt vincula tua trade te ipſum diſcipulis Jeſu. Adſunt „ enim qui nos ſolvant, accepta ea a Salvatore poteſtate: *Quodcunque* „ *ligaveritis &c.*

Baſilius *in regulis brevioribus interrog.* 288. Cuinam confiteri peccata debeamus? " Neceſſario, inquit, iis peccata aperiri debent, quibus credita „ eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.

Gregorius Nyſſenus *in oratione adverſus eos qui acerbius judicant*, de confeſſione loquens; " Sume, inquit, Sacerdotem; audacter oſtende illi

„ quæ

„ quæ ſunt recondita : animi arcana , tanquam occulta vulnera , me-
„ dico detege.

Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnitentia* , *cap.* 2. de poteſtate remittendorum peccatorum differens, quam ſibi adjudicabat Eccleſia, Novatiani autem ipſi abjudicabant , “ Hoc , inquit , jure vindicat Eccleſia, quæ veros
„ Sacerdotes habet. Hæreſis vindicare non poteſt , quia Sacerdotes Dei
„ non habet.

Chryſoſtomus *lib.* 2. *de Sacerdotio cap.* 3. difficultatem miniſterii eccleſiaſtici exaggerans, “ Multa, inquit, arte opus eſt, ut qui laborant Chri-
„ ſtiani , ultro ſibi perſuadeant, Sacerdotum curationibus ſubmittere ſe
„ oportere. “ Adde *lib* . 3. *cap.* 5. ubi verba Chriſti expendens , in cœlum uſque effert hanc Sacerdotibus, & quidem ſolis, indultam poteſtatem. “ Qui terram incolunt, inquit, iis commiſſum eſt, ut ea quæ in
„ cœlis ſunt , diſpenſent : iis datum eſt ut poteſtatem habeant, quam
„ Deus neque Angelis , neque Archangelis datam eſſe voluit . Neque
„ enim ad illos dictum eſt: *Quæcunque alligaveritis &c.....Pater omne ju-*
„ *dicium dedit Filio*: ceterum video ipſum omne judicium a Deo Filio
„ illis (Sacerdotibus) traditum.

Innocentius I. *epiſt.* 1. “ Ceterum, inquit, de pondere æſtimando de-
„ lictorum, Sacerdotis eſt judicare &c.

Auguſtinus *epiſt.* 228. deterret Sacerdotes ne deſerant oves in periculo ; quia “ Magnum exitium ſequitur eos, qui de hoc ſæculo vel non
„ regenerati exeunt, vel ligati . “ *Homil.* 351. præſcribens quid ei faciendum ſit, qui contra decalogum peccavit : “ Veniat, inquit, ad An-
„ tiſtites, per quos illi claves Eccleſiæ miniſtrantur. “ *Serm.* autem 352. quam ſuperflua ſit ſine horum judicio privata Pœnitentia, “ Nemo, in-
„ quit, ſibi dicat: Ego occulte ago.... Ergo ſine cauſa dictum eſt : *Quæ-*
„ *cunque ſolveritis*, *&c.*....Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei.

S. Leo *epiſt.* 8. “ Sic divinæ bonitatis, inquit, præſidiis ordinatis, ut
„ indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. “
Epiſt. 136. “ Reatus conſcientiarum, inquit, ſufficiat ſolis Sacerdotibus
„ indicari confeſſione ſecreta.

Cæſarius *Homil.* 41. *inter Auguſtinianas*, hortans ad Pœnitentiam agendam ante mortem. “ Neſcit enim, inquit, ſi poſſit Pœnitentiam acci-
„ pere, & confiteri Deo & Sacerdoti.

Adde Joannem Rayta, Anaſtaſium Sinaitam , Joannem Jejunatorem, Fulgentium, Gregorium, Sonnatium, Synodum Cabillon. & alios exinde a nobis *ubi de Confeſſ.* juxta temporum ſeriem laudatos. His autem *apud Morinum lib.* 8. *c.* 23. Egbertus Eboracenſis, Alcuinus, antiquus Ordo Romanus, Burchardus, Ivo, Odo Pariſienſis, & Petrus Cantor calculos ſuos adjiciunt. Merito itaque ſynodus Tridentina *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. hoc ſanxit.

Objicies 1. Jacobi 5. dicitur, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Ergo cuilibet fieri confeſſio poteſt.

Dis-

Distinguo antecedens: Confitemini, in genere; concedo: ſpeciatim: ſubdiſtinguo: levia & quotidiana; concedo: hoc eſt ſinguli ſingulis; nego. Sic veteres hunc locum intellexerunt; ut eorum teſtimonia de confeſſione recolenti conſtabit.

Objicies 2. Cyprianus *epiſt.* 13. *& alibi*, lapſos Martyrum libellis commendatos pace donari jubet, ſi mors immineat: cum autem deeſt Preſbyter, præcipit ut lapſi illi " Exomologeſim ſuam apud Diaconum „ faciant; ut manu eis ab illo impoſita, veniant ad Dominum cum pa-„ ce, quam dari Martyres deſideraverant.

Respondeo hanc reconciliationem mere cæremonialem fuiſſe hoc in caſu. Ejuſmodi lapſi a communione ſejuncti erant: Imperat ergo ut Diaconus in extremo vitæ periculo eos ab excommunicatione ſolvat, & liberet a pœnis ſatisfactoriis; & cum illi apud eum exomologeſim ſuam fecerint, id eſt, ſe coram eo ſummos peccatores eſſe confeſſi fuerint, quod palam erat, eiſdem Euchariſtia concedatur. Eadem reconciliatio ſacramentalis fuiſſet, ſi a Presbytero foret data: ſed a Diacono profecta, cæremonialis tantum fuit, defectu legitimæ poteſtatis.

Objicies 3. Synodus Eliberitana *cap.* 32. facit Diacono poteſtatem concedendæ communionis, ſi ei juſſerit Sacerdos.

Distinguo antecedens: communionis eccleſiaſticæ; concedo: id eſt, reconciliationis cum Deo; nego. Idem ſenſus eſt hujus Concilii, qui S. Cypriani.

Objicies 4. Concilium Toletanum I. *can.* 2. Diaconos lapſos ad ordinem Subdiaconorum amandat, & eos privat poteſtate imponendi manus ſupra Pœnitentes.

Respondeo hanc impoſitionem fuiſſe honorariam, (quo modo & univerſus Clerus manus cum Epiſcopo imponebat Pœnitentibus;) non ſacramentalem.

Objicies 5. Alcuinus, Ordo Romanus & alii edicunt, ut abſente Epiſcopo ac Presbytero, " Diaconus ſuſcipiat Pœnitentes, ac det eis ſan-„ ctam communionem.

Respondeo hanc ſuſceptionem fuiſſe nudam cæremoniam, qua in Eccleſiæ ſinu admitterentur, ut precum & Euchariſtiæ participes fierent; non abſolutionem ſacramentalem. Nam iidem illi omnes auctores abſolvendi auctoritatem ſolis Sacerdotibus propriam eſſe obſervant. " „ Non omnes Clerici, inquit *ibidem* Alcuinus, aut ullus Laïcus hanc „ ſcripturam uſurpare aut legere debent, niſi illi quibus neceſſe eſt: hoc „ ſunt Epiſcopi vel Preſbyteri, quibus claves regni cœleſtis traditæ ſunt; „ ſic nec judicia iſta alius uſurpare debet. " Ordo Romanus: " Sicut ſa-„ crificium offerre non debent niſi Epiſcopi vel Presbyteri, quibus cla-„ ves regni cœleſtis traditæ ſunt; ſic nec iſta judicia alius uſurpare de-„ bet. " Ordo Pariſienſis *in ſtatutis ſynodalibus*, *ſtatuto* 56. " Prohibetur „ diſtricte ne Diaconi ullo modo audiant confeſſiones, niſi in arctiſſima „ neceſſitate: claves enim non habent, nec possunt absolvere.

Objicies 6. Multi ſunt Patres, plures Synodi, nec pauci ſcholæ Principes, qui jubent abſente Epiſcopo ac Presbytero, confeſſi nem inſtitui apud Diaconum, vel etiam Laicum.

Distinguo: ad præceptum Chriſti de confeſſione quoquo modo implendum, & gratiam ipſa operis humilitate conſequendam; concedo: ad abſolutionem ſacramentalem ab iis ſuſcipiendam; nego. Etenim nullus fere eſt eorum, qui in hac controverſia allegantur, qui non conceptis verbis indicet aut definiat ibidem non eſſe hanc Abſolutionem ſacramentalem: adeo ut ad revincendum Morinum, qui in aliam partem propendere viſus eſt, nullo alio quam Morino ipſo opus ſit. Nam Magiſtrum ſententiarum, Gratianum, Petrum Cantorem, Præpoſitivum, Albertum Magnum &c. in ſuæ opinionis patrocinium adducit. At illi verbis ipſis ab eo relatis ſignificant, Abſolutionem a laicis datam, non ex vi ſua ad peccatorum remiſſionem prodeſſe, ſed ex voto pœnitentis. " Morituris, inquit Gratianus, ſuccurritur etiam a Laicis, ſi Preſ„ byter deſit.... Secundum Auguſtinum, qui agens in extremis confi„ tetur ſocio turpitudinem criminis, fit dignus venia ex desiderio „ Sacerdotis. " Magiſter ſententiarum *lib.* 4. *diſt.* 17. " Sacerdotis „ examen exquirendum eſt ſtudioſe; quia Sacerdotibus conceſſit Deus „ poteſtatem ligandi atque ſolvendi: & ideo quibus ipſi dimittunt, & „ Deus dimittit. Si tamen defuerit Sacerdos; proximo vel ſocio eſt „ facienda confeſſio .... Tanta quippe vis eſt confeſſionis, ut, ſi deeſt „ Sacerdos, confiteatur proximo: .... etſi ille cui confitebitur, pote„ statem solvendi non habet; fit tamen dignus venia „ ex desiderio Sacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem „ criminis. " Præpoſitivus *in ſumma inedita*, " Quæritur, inquit, quid „ conferat confiteri ſocio. Videtur quod nihil conferat: nam ſocius „ non habet poteſtatem ligandi atque ſolvendi: ergo nihil confert ſo„ cius. Solutio. Dicimus quod ſemper melius eſt confiteri Sacerdoti „ quam ſocio; & ſocio non eſt confitendum niſi in neceſſitate: neceſ„ ſitas autem eſt in minimis peccatis, pene enim eſſet impoſſibile, ſem„ per, quoties peccamus Sacerdotem invenire; ſed ſocium de facili re„ perimus: et cum quis confitetur socio, solvitur ex de„ siderio Sacerdotis; ut dicit Auguſtinus. " Morinum ipſum vide *l.* 8. *c.* 23. & 24.

ARTICULUS II.

De Miniſtro ſacramenti Pœnitentiæ in annua confeſſione.

Synodus Lateranenſis IV. anno 1215. ſub Innocentio III. *can.* 21. ſic habet: " Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcre„ tionis pervenerit, ... confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, „ proprio Sacerdoti;..... ſuſcipiens reverenter, ad minimum in Paſcha,

„ Paſcha , Euchariſtiæ Sacramentum ; niſi forte de conſilio Proprii „ sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus „ perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Ec- „ cleſiæ arceatur , & moriens chriſtiana careat ſepultura ..... Si quis „ autem alieno Sacerdoti voluerit de juſta cauſa...... confiteri; ..... „ licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote: cum „ aliter ipſe non poſſit ſolvere vel ligare.

Circa quem canonem duplex quæſtio eſt: 1. an *proprii Sacerdotis* nomine intelligatur ſolus Parochus: 2. an hæc ſynodi lex deinde ſemper viguerit, & etiamnum vigeat.

A S S E R T I O P R I M A.

Concilium Lateranenſe IV. *proprii Sacerdotis* nomine ſolum Parochum intellexit.

Probatur 1. ex ipſo canonis contextu. Nam juxta canonem proprius Sacerdos ille eſt, a quo debet in Paſcha Euchariſtiam ſuſcipere, de cujus conſilio poteſt ab ea per certum tempus abſtinere; cujus eſt ſemel in anno peccata non confitentem, aut in Paſchate Euchariſtiam non ſuſcipientem, ab Eccleſiæ ingreſſu arcere, & chriſtiana privare ſepultura; a quo denique oportet & poſtulari & obtineri licentiam extraneo Sacerdoti peccata confitendi. Atqui hæc omnia ad ſolum Parochum pertinent, ut omnibus notum eſt. Ergo.

Probatur 2. ex alio canone ejuſdem ſynodi 32. Scilicet ibi *proprii Sacerdotis* vocem iterum uſurpat, & quidem, omnibus fatentibus, ad Parochum deſignandum: " Illud autem penitus interdicimus, inquit, „ ne quis in fraudem, de proventibus Eccleſiæ quæ curam proprii „ Sacerdotis debet habere, penſionem alii quaſi pro beneficio conferre „ præſumat.

Probatur 3. ex iis Conciliis & Patribus, quorum hac de re decreta ſynodus Lateranenſis renovavit.

Sonnatius in concilio Remenſi an. *639. can.* 8. " Nemo, inquit, tem- „ pore Quadrageſimæ pœnitentium confeſſiones audiat præter Paſto- „ rem.

Chrodogandus *tomo* 1. *Spicilegii*, *canone* 31. " In Quadrageſi- „ mis, inquit, populus fidelis ſuam Confeſſionem Sacerdoti ſuo „ faciat.

Hayto Baſileenſis de iis qui Romam ibant peregrinationis cauſa, " Domi, inquit, confiteantur peccata ſua, & ſic proficiſcantur; quia „ aut a proprio Epiſcopo aut Sacerdote ligandi aut ſolvendi ſunt, non „ ab extraneo.

Petrus Damiani *ſerm.* 58. qui eſt 2. *de beato Andrea*, " Cum de vi- „ tiorum abyſſo, inquit, diſponis emergere; ad illum præcipue ſit refugium „ tuum, cui anima tua commiſſa eſt; nec te moveat ſi illiteratus ſit &c.

Probatur 4. ex iis omnibus ſummis Pontificibus, Epiſcopis, Auctoribus, Synodis ac Theologis, quorum jamjam mentionem faciemus, ubi de hujus legis perpetuitate diſputabimus.

Objicies. Si *proprii Sacerdotis* nomine ſolus Parochus intelligendus ſit, confeſſioni annuæ non faceret ſatis, qui peccata ſua Epiſcopo ſuo aut ſummo Pontifici confiteretur. Atqui hoc abſurdum & proſcriptum eſt in comitiis Cleri Gallicani an. 1655. idque olim proſcripſit Academia Pariſienſis an. 1250. vide & ſynod. Lingonenſ. an. 1432.

Nego ſequelam: nam *proprii* quidem *Sacerdotis* vocabulo ſolus Parochus intelligitur; ſed lex fixa eſt ad excludendos tantum alienos Sacerdotes, quibus reipſa ſolis in hoc canone opponitur; non ad derogandum juribus communium Sacerdotum quales ſunt ſummus Pontifex aut Epiſcopus. Scilicet unuſquiſque laicus 1. ſubeſt Parocho: 2. Præſuli ſuo: 3. Papæ: ſed Papa eſt pater communis omnium Chriſtianorum, in quorum numero eſt: Pontifex eſt communis totius diœceſeos, in qua verſatur, Paſtor: ſed Parochus eſt proprius ejus Sacerdos. Hi omnes ſunt ſub eadem linea: Papa & Epiſcopus quaſi communes Sacerdotes; Parochus, quaſi maxime proprius. Excluduntur porro qui extra hanc lineam conſtituuntur, hoc eſt extranei Sacerdotes. Præſules quippe jura quidem Parochorum adverſus alienos munierunt; ſed ſuis procul dubio non derogarunt.

ASSERTIO II.

Ista ſynodi Lateranenſis, de confeſſione proprio Sacerdoti per annum facienda, lex ſemper in Eccleſia viguit deinceps, & etiamnum, ſaltem in Gallia, viget.

Probatur: quia non tantum abrogata non eſt, aut deſuetudine, aut contraria lege; ſed etiam firmata ſemper exinde fuit ad nos uſque continuis, aut ſummorum Pontificum, aut Conciliorum, aut Epiſcoporum decretis.

Primo Innocentius IV. an. 1243. ſummus Pontifex *in conſtitutione* Monachos alloquens, " Diſtricte præcipiendo mandamus, inquit, quatenus Parochianos alienos...... ſine Sacerdotis ſui licentia ad Pœnitentiam ullatenus admittatis; cum ſi quis alieno Sacerdoti juſta de cauſa confiteri voluerit peccata ſua, ſecundum ſtatuta generalis Concilii, licentiam prius poſtulare & obtinere debeat a proprio Sacerdote.

Secundo Martinus IV. anno 1281. *in Extrav.* quæ non reperitur quidem in jure canonico, ſed laudatur ab Henrico Gandavenſi *quodlibeto 7. quæſt.* 24. " Volumus, inquit, quod ii qui Fratribus confitebuntur, ſuis Preſbyteris Parochialibus confiteri, ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, teneantur.

Benedictus IX. an. 1304. *in Extrav.* quæ habetur *lib.* 5. *tit.* 7. *de* *pri-*

privilegiis, *cap.* 1. Quamvis ampliſſima privilegia tribuat Dominicanis, nomine tamen *proprii Sacerdotis* intelligit Parochum; & ut ei fidelis quiſque ſemel confiteatur, non tantum monet; ſed etiam Dominicanis, ut ad id populum hortentur, præcipit.

Quarto Synodus Lingonenſis an. 1452. " Mandamus, inquit, ſingulis " animarum rectoribus, quod ſingulis diebus Quadrageſimæ Dominicis " habeant illud ſtatutum ſalutare ſuis parochianis, *Omnis utriuſque ſe-* " *xus*, in Concilio generali editum, publice exponere; quod omnis " utriuſque ſexus fidelis ſemel in anno a PROPRIO SUO CURATO SACERDOTE POENITENTIAM DEBET RECIPERE, & ſacramentum Euchariſtiæ ad minimum in Paſchate.

Quinto Sixtus IV. cum orta eſſet de lege ſynodi Lateranenſis controverſia Curatos inter & Mendicantes Fratres, omnibus rite expenſis ad litem decidendam an. 1478. bullam edidit xv. cal. Jul. in qua ſic habet: " Mendicantes deſiſtant prædicare, quod parochiani non ſint " obligati ſaltem in Paſchate proprio profiteri Sacerdoti: quia de ju- " re tenetur parochianus ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacer- " doti. " Cujus quidem bullæ eo majus eſt pondus, quod ea prolata ſit auditis utrimque partibus, & in corpus juris relata, & quod Sixtus IV. Minorum Ordinis quondam fuerit.

Sexto cum quidam Joannes Angeli Minorita, Sixto IV. non obtemperans, hanc propoſitionem protuliſſet Tornaci: " Parochianus confeſ- " ſus Minoribus ſatisfecit decretali *Omnis utriuſque ſexus fidelis*, nec te- " netur confiteri proprio ſuo Curato ſemel in anno, nec ab eo petere " licentiam: " Sacra Facultas Pariſienſis an. 1482. illam ita damnavit. " Hæc propoſitio, ut jacet, eſt ſcandaloſa, & juri communi con- " traria, & pro ſubditorum ad prælatos debitæ obedientiæ & reveren- " tiæ obſervantia, publice revocanda.

Septimo Innocentius VIII. qui Sixto IV. ſucceſſit an. 1484. ad officialem Tornacenſem, " Volumus, inquit, ut iiſdem univerſis Prædica- " toribus .... auctoritate noſtra inhibeas ne .... parochianos a con- " fitendo .... Rectoribus abſtrahere, & eoſdem ad id non teneri præ- " dicare præſumant, privilegio, quod eis nolumus ſuffragari, non ob- " ſtante.

Octavo Synodus Auguſtana anno 1548. præcepit, " Ut capitulum, " quod incipit, *Omnes utriuſque ſexus*, ſingulis quadragenarii jejunii die- " bus dominicis publicetur, & contra inobedientes juxta tenorem Con- " ſtitutionis procedant.

Nono Concilium Narbonenſe an. 1551. *can.* 50. " Quia, inquit, " omnibus Chriſtianis præceptum eſt ut ſemel in anno ſacroſanctum " Euchariſtiæ ſacramentum percipiant, ET PAROCHO SUO peccata " confiteantur; voluit & decrevit Concilium, ut poſthac nemo audeat " ſanctiſſimo die Paſchæ peccata ſua confiteri, aut Euchariſtiæ ſacra- " mentum ab alio quam AB IPSO PAROCHO, vel in ejus locum ſuffecto.

Decimo Synodus Tridentina, *ſeſſ.* 14. *can.* 8. " Si quis dixerit ad
" eam Confeſſionem non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus
" Chriſti fideles, juxta magni concilii Lateranenſis conſtitutionem ſe-
" mel in anno; . . . anathema ſit.

Undecimo Synodus Mediolanenſis I. ſub Carolo Borromæo an. 1565.
" Conſtitutionem, inquit, in generali Concilio editam, qua ſancitum
" eſt, ut fideles, ſaltem ſemel in anno, proprio Parocho peccata ſua
" confiteantur, inviolate omnes obſervent.

Duodecimo Concilium Ebredunenſe an. 1582. *tit. de Pœnitentiæ ſacramento*, " Omnes fideles, inquit, peccata ſua proprio Parocho ſemel
" in anno ad minimum confiteantur. " quod quidem Concilium probatum eſt a Gregorio XIII.

Decimo tertio Conc. Remenſe anno 1583. ab eodem Gregorio XIII. confirmatum, de Pœnitentia, idem & iiſdem verbis quibus ſynodus Lateranenſis decernit.

Decimo quarto Concilium Aquenſe an. 1585. habitum & a Sixto V. approbatum, verba ipſa primæ ſynodi Mediolanenſis uſurpat.

Decimo quinto Concilium Burdigalenſe an. 1624. *cap.* 5. " Sæpiſſi-
" me fideles, inquit, ad ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem cum om-
" ni devotione ..... accedere peroptamus: ſed ne omittant tempore
" Paſchatis id in propria parochia præſtare, ſacris canonibus inſiſten-
" tes, ſtatuimus eo tempore omnes Chriſti fideles, tum ad confeſſio-
" nem peccatorum PROPRIO PAROCHO, aut alii de ejus licentia, fa-
" ciendam, tum ad ſacram Euchariſtiam in eadem Eccleſia percipien-
" dam teneri & obligari, NULLOSQUE ALIAS PRÆCEPTO ECCLESIA-
" STICO SATISFECISSE; ac proinde in eos, niſi reſipiſcant, ab Or-
" dinario cenſuris agendum eſſe declaramus.

Decimo ſexto Clerus Gallicanus an. 16.5. in comitiis idem conſtituit, quod & anno 1645. in aliis comitiis confirmatum eſt. Atque ut hoc Eccleſiæ præceptum accuratius obſervetur, vetitum eſt in iiſdem comitiis ne Religioſi quemquam admittant, ſive ad confeſſionem, ſive ad communionem, a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis. Eandem doctrinam Clerus idem inſuper ſanxit in comitiis an. 1655. docens " Solos Parochos eſſe proprios illos Sacerdotes de quibus Late-
" ranenſis ſynodus, hiſque juxta ejus decretum peccata eſſe ſemel in
" anno confitenda. " Hoc vide in actis comitiorum an. 168.. Quod autem Eccleſia Gallicana ter ita definierat, hoc idem renovavit anno 1665. in aliis comitiis, dubitari ut non poſſit quin is ſit totius hujus regni ſenſus eaque lex quæ a nullo violari poſſit.

Adde rituales libros omnium eccleſiarum, & conſtitutiones ſingulorum fere Epiſcoporum, quibus idem non tantum aſtruitur; ſed, ne quis ignoratione legis peccet, cavetur etiam ut in Quadrageſima palam ac publice quotannis promulgetur.

Sed hac in controverſia nihil afferri poteſt illuſtrius eo quod contigit

git anno 1687. Forte enim tunc accidit, ut quidam palam ac publice concionem habens in diœceſi Ambianenſi diceret, eos Eccleſiæ præcepto facere ſatis, qui Religioſis ſine ulla reſtrictione ab Epiſcopo approbatis, tempore paſchali peccata ſua confiterentur. Adverſus hanc doctrinam ſtatim inſurrexere parochi Ambianenſes litemque intentarunt Concionatori apud illuſtriſſimum Epiſcopum, qui ex Minorum Ordine ad hanc Eccleſiam aſſumptus fuerat. Poſtquam autem is ſecundum Concionatorem judicaſſet, Parochi appellarunt ad illuſtriſſimum archiepiſcopum Remenſem illius provinciæ metropolitanum, qui provocationem illico admiſit. Sed ab hoc ejus decreto Ambianenſis præſul provocavit ad ſedem Romanam. Summus Pontifex partes ſuas delegavit illuſtriſſimis epiſcopis Meldenſi & Sueſſionenſi, qui Ambianenſem ab illegitima provocatione dejecerunt. Tunc itaque archiepiſcopus Remenſis pronunciavit; 1. ab epiſcopo Ambianenſi male eſſe judicatum: 2. a Parochis canonem concilii Lateranenſis ſingulis annis eſſe dominica Palmarum & die Paſchatis legendum lingua vernacula, ne cuipiam ſit ignotum: 3. fideles teneri confeſſionem annuam ab Eccleſia præceptam edere apud Parochum: 4. huic Eccleſiæ legi non ſatisfacere eos, qui Religioſis etiam indefinite, ut ajunt, approbatis peccata ſua confitentur.

Eodem anno cum alter Concionator hoc idem temere protuliſſet Compendii in urbe diœceſeos Sueſſionenſis; hanc ejus propoſitionem vicarii generales, qui diœceſim illam adminiſtrabant, publice condemnarunt, ut falſam, temerariam & contrariam immemorialibus Eccleſiarum Gallicanarum uſibus, nec non ſpecialibus diœceſis Sueſſionenſis ſynodalibus ſtatutis.

Objicies 1. Benedictus XI. *cap.* 50. *Extrav.* definit eos qui peccata ſua confeſſi fuerint Dominicanis, non teneri eadem iterum confiteri propriis Sacerdotibus.

Respondeo id verum eſſe: ſed aliud eſt eadem non confiteri, aliud omnino non confiteri. Adde quod hæc bulla antiquata ſit a Clemente V. *lib.* 3. *Clementin. tom.* 7. *de ſepult.*

Objicies 2. Joannes de Poliaco, theologus Pariſienſis, damnatus eſt anno 1321. a Joanne XXII. quod dixerat a ſynodo Lateranenſi nomine *proprii Sacerdotis* deſignatum eſſe Parochum. Ergo.

Nego antecedens. Damnatus enim ideo fuit, quod affirmaret, eadem quæ Religioſis ante detecta fuiſſent, iterum eſſe Parocho aperienda, & tantæ neceſſitatis eſſe proprio Sacerdoti confiteri, ut ab hac neceſſitate nec Papa nec Deus ipſe fideles eximere poſſet. " Aſſerebat, „ inquit Spondanus, Romanum pontificem non poſſe facere quin fide- „ les tenerentur omnia peccata ſua ſemel in anno .... Parocho con- „ fiteri; quin imo nec Deum poſſe hoc facere: ... denique Papam „ non poſſe dare poteſtatem generalem audiendi confeſſiones; imo nec „ Deum, quin Confeſſus teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, „ hoc eſt Parocho.

Objicies 3. Leo X. in concilio Lateranenſi V. *ſeſſ.* 11. an. 1516. declarat legi Eccleſiæ facere ſatis eos, qui Fratribus Mendicantibus confeſſi ſunt.

Respondeo 1. Concilium hoc Lateranenſe nullius in Gallia eſſe roboris : 2. hanc Conſtitutionem fuiſſe a Pontifice editam multis Epiſcopis reclamantibus, ut ibidem videre eſt : 3. nullibi acceptam eam eſſe, quod patet ex momentis *ſupra* adductis. Idem ſtatue de alia bulla ejuſdem Leonis in gratiam Minimorum edita an. 1518.

Objicies 4. Paulus III. anno 1549. Paulus IV. anno 1557. Clemens VIII. anno 1590. Urbanus VIII. anno 1625. & Innocentius X. anno 1645. hoc tribuerunt Regularibus. Ergo.

Respondeo 1. hæc decreta cenſenda eſſe ſubreptitia, quod non fiat in iis mentio derogationis concilio Lateranenſi, quæ mentio neceſſaria eſſe ſtatuitur in his caſibus : 2. licentiam quidem Regularibus datam ab iis ut excipere poſſint confeſſiones fidelium tempore Paſchali; ſed eo non ſolvi obligationem, qua iidem erga Parochos tenentur : 3. eas bullas nec juridice promulgatas eſſe, nec receptas in uſum. Certe Clemens ipſe VIII. anno 1604. concedit equidem ut Regulares poſſint ſecundum privilegia ſua abſolvere, ſed addit, quatenus tamen ſunt in uſu.

Objicies 5. Clemens X. anno 1670. Conſtitutionem edidit, quæ hoc largitur Regularibus, etiam cum expreſſa derogatione Concilii Lateranenſis.

Respondeo hanc Conſtitutionem a Gallis non eſſe admiſſam : imo vero ad poſtulationem Cleri die 17. Septembris, latum eſſe a ſupremo Senatu decretum, adverſus eos, qui hanc bullam edidiſſent aut diſſeminaſſent.

Quod ſi decreta ipſa Conciliorum generalium, quæ ad diſciplinam ſpectant, vim non habent, niſi cum recepta ſunt; quanto minus diplomata Pontificum non auditis partibus lata, & ipſis generalibus Conciliis ubique receptis contraria?

QUÆ-

QUÆSTIO OCTAVA.

De Subjecto ſacramenti Pœnitentiæ.

QUÆ de Subjecto ſacramenti Pęnitentiæ dici oportebat, ea variis in locis propter argumentorum, quæ occurrerunt, affinitatem, ita occupavimus, ut vix aliquid de eo diſſerendum ſuperſit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Subjecto ſacramenti Pœnitentiæ generatim.

ASSERTIO.

Subjectum ſacramenti Pęnitentiæ eſt ſolus homo baptizatus.

PROBATUR ex iis quæ *ſupra* dicta ſunt. Poteſtas enim quæ in Sacramento Pęnitentiæ exercetur, judiciaria eſt. At judiciariam poteſtatem non habet Eccleſia in eos, qui foris ſunt: intra Eccleſiam porro non ſunt, niſi per Baptiſmi januam ingreſſi fuerint.

ARTICULUS II.

De Subjecto ſacramenti Pœnitentiæ ſpeciatim.

ASSERTIO.

Qui ad Pęnitentiæ ſacramentum rite accedit, is debet eſſe ante abſolutionem ſuſceptam converſus ex toto corde ad Deum.

PROBATUR ex iis quæ *ſupra* diſputata ſunt.

Quæ cum ita ſint, hic conquieſcemus, id unum monentes, ut ſi de Pœnitentia diſſerendi finem facimus, Pœnitentiam de admiſſis agendi finem nunquam hic faciamus.

CENSURA
SACRÆ FACULTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS.

Adverſus Propoſitiones excerptas e codicibus M. le Roux.

PRIMA PROPOSITIO.

(*a*) *IN id præcipue probandum incumbemus, ut ſecundum omnium ſæculorum traditionem, a ſolo timore vera ſit pœnitentia; per timorem voluntas a creaturis vere avertatur, convertatur ad Deum; denique ab ipſo timore vera ſit juſtitia, ut eſt a charitate.*

CENSURA. Hæc propoſitio falſa eſt, ſcandaloſa, temeraria, erronea: & quatenus ultimis verbis enuntiat parem eſſe virtutem timoris & charitatis ad juſtitiam obtinendam, hæretica.

II.

(*b*) *Cum vero hanc ſuſceperimus controverſiam, ea mente præcipue, ut charitatis cujuſdam remiſſæ, ſed prædominantis neceſſitatem e medio tolleremus; ſufficit nobis advertere nullum fere Theologum, uſque ad Janſenii Iprenſis ætatem, ejuſmodi charitatis neceſſitatem propugnaſſe; ex quo erit invictum argumentum adverſus opinionem quam impugnamus, novitatis ſcilicet.*

CENSURA. Hæc propoſitio quantum ad primam partem temeraria, ſcandaloſa, Chriſtianarum aurium offenſiva: quantum ad ſecundam eſt falſa, ſanctis Patribus & antiquis Theologis injurioſa, & auctoris ea in re inſcitiam prodit.

III.

(*c*) *Igitur, cum prædicta doctrina, (quod ſcilicet timor non excludat affectum peccati,) damnata ſit, contradictoria doctrina vera cenſeri debet; quod*

(a) *De attrit. propoſ. 2. prob. 3.*
(b) *Diſſert. 2. probat. 6. ex Theologis poſt Concil. Trid.*
(c) *Ibid. prob. 4. ex bullis ſumm. Pontific.*

quod nimirum timor pœnarum æternarum ipſum peccandi affectum excludat, adeoque & ipſa contritio ex eo concepta.

CENSURA. Hæc propoſitio falſa eſt, erronea, Doctrinæ Concilii Tridentini contraria.

IV.

(*a*) *Chriſtus hominum ſaluti faciliore ratione non conſuluiſſet, ſi neceſſaria eſſet charitas prædominans, in Sacramento: .... nobis impoſitum fuiſſet jugum (amoris prædominantis) quod Judæis neceſſarium erat, ſimul & aliud maxime oneroſum, quo liberi erant, nempe Confeſſio.*

CENSURA. Hæ propoſitiones ſunt falſæ, ſcandaloſæ, piarum aurium offenſivæ, erroneæ, Spiritui Legis novæ, & Paſſioni Chriſti contumelioſæ.

V.

(*b*) *Nunquam a Theologis dictum aut ſcriptum charitatem Dei ſuper omnia, eſſe inchoatam, ... hanc diſtinctionem (charitatis perfectæ & imperfectæ) nulli ex antiquis Theologis tradidere ....*

CENSURA. Hæ propoſitiones falſæ ſunt; ſanctis Patribus & Theologis, atque doctrinæ Concilii Tridentini adverſæ.

VI.

(*c*) *Si dolor attritionis motivo conceptus non eſſet vera pœnitentia, eo non eſſet uſus duntaxat Deus, ut impios ad converſionem adduceret: alia quoque motiva propoſuiſſet; cum juxta adverſarios ſint neceſſaria: atqui tamen, &c. ..... Profecto noverat Deus, cum ab impiis converſionem exigeret, neceſſariam eſſe affectus peccati depoſitionem; tamen illius converſionis motiva non propoſuit niſi motiva attritionis .... Nec eſt quod immoremur in ea calumnia refellenda, qua noſtram ſententiam relaxationis accuſant. An relaxationis ipſe Deus accuſandus erit, qui ſolius attritionis motivis per Prophetas & Apoſtolos ad pœnitentiam adhortatur?*

CENSURA. Hæ propoſitiones falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ, impiæ & hæreticæ.

VII.

(*d*) *Eamdem ſententiam (ſcilicet attritionem ex ſolo pœnarum timore con-*

(a) *Ibid. probat. ult. ex rationibus Theolog.*
(b) *De Attrit. propoſ. 2. probat. 2.*
(c) *Ibid. de Attrit. propoſ. 2.*
(d) *Ibid. probat. 5.*

conceptam ſufficere ad obtinendam in ſacramento Pœnitentiæ juſtificationem) *tradit Catechiſmus trium Epiſcoporum.*

CENSURA. Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, injurioſa tribus Epiſcopis, & aliis qui ſuum fecere hunc Catechiſmum, in quo contraria Doctrina aperte & diſerte continetur.

VIII.

(*a*) *Dummodo tuta ſit in praxi ſententia, non tenemur tutiorem ſequi .... Dubium non eſt attritionem ſufficere; quod evidenter probavimus.*

CENSURA. Hæc propoſitio, ea in parte in qua auctor affirmat dubium non eſſe quin attritio amoris Dei expers ſufficiat in ſacramento Pœnitentiæ, & hanc opinionem tutam eſſe in praxi, eſt falſa, pernicioſa, temeraria, & doctrinæ Concilii Tridentini adverſa.

IX.

(*b*) Loquens de pœnitentia Davidis quam veram fuiſſe inficiari nemo poteſt; *Ibi* inquit, *nulla mentio charitatis, cujus motivo ad compunctionem cordis excitatus fuerit David* ..... ad objecta ſibi omnia veteris Teſtamenti loca quibus Deus a Judæis exigit converſionem ex toto corde, novum cor, ſpiritum novum, reſpondet ſermonem non eſſe de amore charitatis etiam remiſſæ: *Imo*, inquit, *ſi textus objectos perpendamus, facile agnoſcetur converſionem illam ex toto corde niti, non charitatis motivo, de quo nulla ibi mentio; ſed motivis puræ attritionis .... Locus Deuteronomii attritioni aperte favet .... Vides ibi motiva charitatis non proponi ad converſionem ex toto corde, ſed ſola attritionis motiva, timorem nempe iræ divinæ.*

CENSURA. Hæ propoſitiones quatenus abſolute enuntiant Deum ad juſtificationem Judæorum nihil aliud quam attritionem exegiſſe, falſæ ſunt, temerariæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ.

X.

(*c*) *Ex his conſtat timorem pœnarum æternarum, qui attritionis motivum eſt, eſſe initium & coronam ſapientiæ.*

CENSURA. Hæc propoſitio eſt falſa, erronea, & verbi Divini ſenſum pervertit.

Ad

(a) *Ibid. probat. ult. ex rationib. Theolog.*
(b) *De attrit. propoſ. 2. probat. 1.*
(c) *Ibid.*

XI.

(*a*) *Ad effectum ſacramenti Pœnitentiæ comparandum contritio fictitia, ſed a pœnitente invincibiliter putata ut vera, ſufficit.*

Hinc novitatis arguitur illa ejuſdem Auctoris (Juenini) *ſententia, qua contendit contritionem fictitiam, quæ invincibiliter putatur vera, non ſufficere ad effectum ſacramenti percipiendum.*

CENSURA. Hæc propoſitio falſa eſt, Fidelibus pernicioſa: & in quantum peccatori veniam abſque vera converſione cordis pollicetur, hæretica.

XII.

(*b*) *Per præceptum dilectionis tenetur homo in quibuſdam circumſtantiis actum dilectionis Dei elicere; & illæ circumſtantiæ ſunt primus rationis uſus, & mortis imminens periculum.*

CENSURA. Hæc propoſitio, qua reſtringitur obligatio eliciendi actum dilectionis Dei ad duas vitæ circumſtantias, eſt ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, & præcepto amoris Dei contraria.

XIII.

(*c*) *Inſtat Jueninus, ſequi ex ejuſmodi argumento hominem qui, quadraginta annis in impietate peractis, ſacramentalem abſolutionem attritus tantum reciperet, & ſubito mortali morbo correptus amitteret rationis uſum, ſalvari; quamvis nuſquam, ne in ipſo vitæ quidem exitu, Deum dilexerit: juſtificatus enim ille eſt noſtra ſententia, adeoque jus habet ad felicitatem æternam.*

(*d*) *Id quidem ultro fatemur .... nullum eſt prorſus inconveniens ut ſalvetur, quia non tenetur præcepto dilectionis formalis & explicitæ, niſi cum ei facultas adeſt illud obſervandi: facultas non adeſſe ſupponitur: ergo ei vitio verti non poteſt quod actum dilectionis non elicuerit; alias Deus juberet impoſſibilia.*

CENSURA. Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, Chriſtianarum aurium offenſiva, erronea, & præcepto dilectionis Dei contraria.

In

(a) *Differt. 2. q. 1. art. 2. de proprietatibus contrit. propoſ. 1.*
In controver. pecul. de contrit. ad juſtific. in Sacram. Pœnit. requiſita propoſ. 2. prob. 6. ex Theolog. poſt Concil. *Trid.*

(b) *Differt. 2. q. 1. art. 2. prob. ultima.*

(c) *Ibid.*

(d) *In reſponſion.*

XIV.

(*a*) *In eo errant adverſarii quod ſupponant, quaſi evidens eſſet agi de juſtificatione interna Ninivitarum. Agitur duntaxat de ipſorum cum Deo reconciliatione quantum ad temporalia.*

CENSURA. Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, erronea, verbo Dei contraria.

XV.

(*b*) *Illud Sapientis effatum Eccleſ.* 5. Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem: *ſecundum interpretes conſilium eſt, non præceptum: præterea, etſi præceptum eſſet, cenſetur ille differre converſionem ſuam qui ſtatis temporibus non convertitur. Statuta illa tempora ſunt neceſſitatis caſus, mortis periculum, confeſſio peccatorum facienda .... & is caſus eſt annua confeſſio ab Eccleſia præcepta, ... item cum urget lex recipiendi aliquod ſacramentum vivorum, & quoties munus incumbit ſaltem ex officio aliquod Sacramentum adminiſtrandi.*

CENSURA. Hæc propoſitio quoad primam partem, qua abſolute enuntiatur, effatum Eccleſiaſtici conſilium eſſe, non præceptum, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, piarum aurium offenſiva, erronea, Scripturæ ſenſum depravat, & impœnitentiæ finalis periculum inducit. Quoad ſecundam partem, quæ præceptum converſionis coarctat ad mortis periculum, ad annuam confeſſionem, & alios paucos caſus ibi deſignatos, itidem falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & pernicioſam ſalutis negligentiam inducens.

XVI.

(*c*) *Nec ullis in caſibus* (diſciplinam dandæ abſolutionis ante ſatiſfactionem) *mutare cuivis licet, niſi forte pœnitens conſentiat.*

CENSURA. Hæc propoſitio falſa eſt, ſcandaloſa, peccatorum emendationi noxia, Eccleſiæ praxi & poteſtati clavium adverſa.

XVII.

(*d*) *Teſtimonium Joannis* (1. *Epiſt. cap.* 3. Qui non diligit, manet in

(a) *De Attrit. probat.* 2. *ad inſtant. ult.*
(b) *De contrit. neceſſit. propoſ. reſponſ. ad object.* 2.
(c) *Art.* 2. *de ſatisfact. eſſent. de ſatisfact. miniſtro.*
(d) *De Attrit. prob.* 1. *ex Script. ſacr. object.* 2. *ad inſtant.* 1.

in morte) *de fraterna charitate formali & explicita non agit ..... vult ſolum excludi odium proximi.*

CENSURA. Hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, pernicioſa, Scripturæ ſenſum depravat, & præcepto dilectionis proximi contraria eſt.

Cæterum non intendit Sac. Facultas probare alias propoſitiones quæ extant in codicibus ſibi exhibitis a M. le Roux, quarum aliquas tum Deputati, tum alii Magiſtri obſervaverunt Cenſura dignas.

Datum in Comitiis generalibus S. Facultatis die 16. Julii anni 1716. confirmatum die 23. ejuſdem menſis

DE-

DECLARATIO

Doctrinæ Sacræ Facultatis.

UT depulſis errorum tenebris Chriſtiana veritas magis eluceat, & illibata ſervetur, Sacra Facultas declarandum duxit, quæ ſana ſit in præſenti argumento doctrina, quam a Patribus acceptam ſibi tuendam & ſuis tradendam exiſtimat.

I.

“ Mentibus Chriſtianis inculcandum eſſe docet, hanc regulam di-
„ lectionis divinitus conſtitutam eſſe, ut ſcribit Sanctus Auguſtinus,
„ *a* Diliges proximum tuum ſicut teipſum; Deum vero ex toto cor-
„ de, ex tota anima, & ex tota mente; ut omnes cogitationes no-
„ ſtras & omnem intellectum in eum conferamus, a quo habemus ea
„ ipſa quæ conferimus. Et cum ait, *toto corde*, *tota anima*, *tota*
„ *mente*, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, &
„ quaſi locum dare, ut alia re velimus frui; ſed quidquid aliud di-
„ ligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis
„ impetus currit.

II.

Timorem gehennæ etiam ſupernaturalem, quamvis ſit bonus & utilis, non excludere affectum peccandi, nec ſufficere in adultis ad juſtificationem, etiam in ſacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ obtinendam; ſed præter hunc timorem actuſque fidei & ſpei, requiri amorem Dei, quo *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem*, ut docet Concilium Tridentinum, *diligere* incipiamus.

III.

Hunc amorem ferri in Deum, tum ut in ſe ſumme bonus eſt, tum ut eſt ſummum bonum noſtrum; quæ duo complectitur charitas inter virtutes Theologicas tertia; ſicut ex ſacris litteris liquet, & ſancti Patres docuerunt.

Hoc

(a) *L.I. de Doctrina Chriſtiana*, c.22.

IV.

Hoc ſolo amore converti voluntatem ad Deum ; & averti a creatura.

V.

Amorem Dei ſuper omnia, qui charitatis inchoatæ ſaltem actus ſit, neceſſarium eſſe ut ab adultis obtineatur remiſſio peccatorum in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ.

VI.

Denique docet S. Facultas contritionem, * etſi aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliet priuſquam ſacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem contritioni ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.

Datum in Comitiis Sacræ Facultatis die 23. *Julii*, *& confirmatum die* 1. *Auguſti* 1716.

* *Concil. Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 4.

CON-

CONCLUSIO

Sacræ Facultatis Theologiæ Remenſis, ſuper prædicta Cenſura & Declaratione Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis.

PRimo ſtatuit Sacra Facultas Exemplar Cenſuræ Pariſienſis contra Propoſitiones Magiſtri le Roux, & ſubjunctæ Declarationis, recondi in ſcriniis ſuis ad perpetuam rei perutilis memoriam.

Secundo cenſuit dictam Declarationem valde laudandam eſſe, atque ultro amplectendam, propterea quod ſit maxime accurata ac perſpicua explicatio ejus Doctrinæ, quæ non minus Remenſis Facultatis eſt, quam Pariſienſis; quæque apud nos minime nova, ſed ex Scripturis hauſta, a Patribus accepta, perpetua Traditione, & Eccleſiæ Decretis in Tridentino potiſſimum Concilio roborata, Cleri Gallicani Declarationi anni 1700. maxime conſona, atque ad hanc diem Sacro Ordini ita unice probata, ut nemo Magiſtrorum ſit qui aliud vel edoctus fuerit vel docuerit. Quam quidem Doctrinam, utpote ſanam, imo neceſſariam *a*, profiteri, ſuis alumnis inculcare, ac modis omnibus tueri, ſui officii eſſe ducit Sacra Facultas.

Tertio, dictam Declarationem eo libentius amplexa eſt Sacra Facultas, quod ſit imprimis idonea refellendis erroribus, ſophiſmatis ac ſubterfugiis, quibus Magiſter le Roux Cenſuram die 14. Januarii latam evertere, & Decretum eadem die editum eludere in ſuo Apologetico libello conatus eſt.

Quarto, his de cauſis ſtatuit præfatam Declarationem ſuis Commentariis inſcribi, ac pro Lege a ſuis haberi; commendans ſingulis Magiſtris Actuum aut ſtudiorum Moderatoribus, ac præcipue D. Syndico, ut omni ſtudio atque officio invigilent, ne quis Baccalaureorum ab hac Doctrina recedat.

Quinto, extraordinaria Comitia indixit in diem hujus menſis 12. in quibus hæc Concluſio relegi poſſit & confirmari: atque ita concluſit venerandus D. Decanus *die 5. Oct. 1716.*

SACRA FACULTAS THEOLOGIÆ NANNETENSIS die 14. Novembris

a Hoc verbum uſurpat Clerus Gallicanus in comitiis anni 1700. *Et quidem de dilectione Dei*, inquit, *ſicut ad ſacramentum Baptiſmi in adultis, ita ad ſacramentum Pœnitentiæ, quæ eſt laborioſus Baptiſmus, requiſita, ne neceſſariam Doctrinam omittamus &c.*

bris anni 1716. congregata, unanimi omnium conſenſu decretum tulit, quo

" 1. Adoptat cenſuram S. Facultatis Pariſienſis adverſus propoſitiones
„ excerptas e codicibus M. le Roux ; propriam quoque ſibi facit ſub-
„ junctam ejuſdem Sacræ Facultatis Doctrinæ Declarationem ; utram-
„ que commentariis ſuis inſeri, ac utriuſque exemplar in ſcriptis ſuis
„ publicis recondi præcipit.

" 2. Stricte prohibet ne Magiſtri, Licentiati, Baccalaurei quid unquam contrarium ſupradictis cenſuræ & Declarationi ſcribere, docere, propugnare, vel etiam proferre audeant.

" 3. Jubet præfatas Sacræ Facultatis Pariſienſis tum cenſuram tum
„ declarationem una cum adoptione (ſua) typis mandari . . . . . ut
„ pote quæ contineant doctrinam omnibus non ſolum perutilem, ſed
„ & neceſſariam.

Celeberrima quoque Cadomensis Academia decretum edidit die 19. Januarii 1717. quo inter cetera declarat ſe ſuas facere cenſuram & declarationem Sacræ Facultatis Pariſienſis, ſupra relatas, utpote doctrinæ ſuæ conſonas & conſentientes, quas idcirco commentariis ſuis inſeri jubet.

TRACTATUS SACRAMENTI POENITENTIÆ
FINIS.

Digitized by Google

[illegible]